SUMMA
INSTITUTIONUM
CANONICARUM

A SAC. PROF.

JOSEPHO C. FERRARI

SANCTISSIMI D. N. PII PAPÆ IX PRÆLATO DOMESTICO

ET IAM VICARIO CAPITULARI ARCHIDIŒCESIS JANUENSIS

EDITIO TERTIA

AB IPSOMET AUCTORE

JUXTA NOVAS ECCLESIASTICAS CONSTITUTIONES USQUE IN PRÆSENS EDITAS

AUCTA ET EMENDATA.

TOMUS PRIMUS

JANUÆ

EX TYPOGRAPHIA ARCHIEPISCOPALI

1877.

BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. 348
Pl. 9

SUMMA

INSTITUTIONUM CANONICARUM.

KBR
2202
F41
1877

Visis — Imprimatur

Genuæ, die 17 Augusti 1877.

JOSEPH C. BORAGGINI, *Pro Vic. Generalis.*

INDEX

NOMINUM ET RERUM MAGIS NOTABILIUM.

Primus numerus arabicus paragraphum indicat, secundus autem eius notam; ubi vero ultra numerum trecentesimum secundum remittitur lector, Tomum secundum adeat.

A

Abbas quoad collationem Ordinum minorum 338; quoad consecrationem calicum et patenarum 467, 1; demum quoad Prælaturam 200.

Abbatissa 238. Ejus electio *ib*; quæ non possit eligi *ib*., 2. Tempus officii *ib*.. 3; Abbatissæ potestas *ib*.

Abigeatus 273.

Abjuratio hæresis 255, 2.

Abortus continet homicidium 268, 1; si fœtus sit animatum 270: quando hoc contingat *ib*.; si fœtus non sit adhuc animatum, procurans abortum est quasi homicida *ib*. , 1. Pœnæ procurantis abortum fœtus animati 271, 7; presbyter huius sceleris reus debet Romam se conferre 297, 5.

Abrogatio legis 37.

Absentia Episcoporum 152; ejus justæ causæ *ib*.; an requiratur licentia Superioris *ib*. , 3; pœnæ contra injuste absentes *ib*. , 4. Absentia Canonicorum 176 *et seq*. ; pœnæ contra absentes 178. Absentia Parochorum, et pœnæ contra absentes 210.

Absolutio a censuris a quo danda 297 ; quomodo danda 298 ; ad cautelam, et ad gratiam obtinendam *ib*., 3. Quibus hæc non prosit *ib*. Ad reincidentiam *ib*., 4. Casus Papæ reservati 336.

Accessus in electionibus 482, 3; in Beneficialibus 262, 13; in renunciatione 573, 5.

Accusatio 887. Quomodo et a quo fieri possit *ib.*, 1 *et* 2; quid moribus hodiernis observetur *ib.* Discrimen a denunciatione et inquisitione 892, 1.

Acholytus eiusque officium 119.

Actor 750. Quid agere debeat *ib.*; sequi debet forum rei 764. Jura actoris contra reum contumacem 788.

Administrator bonorum Ecclesiæ (Vide *Bona Ecclesiæ*).

Adoptio et Adrogatio 372. Quibus in casibus ex ea oriatur impedimentum dirimens Matrimonium 373; an oriatur ex adoptione simplici *ib.*, 4.

Adulterium 278. Ejus pœnæ *ib.* Quando ex eo oriatur impedimentum ad Matrimonium 388.

Advocatus 752, 1; eius officium 758. Quis ab hoc officio prohibeatur *ib.*, 2. Quando nequeat pacisci cum suo cliente 759. Advocatus fiscalis 761, 1.

Affectio Beneficiorum 503; quando inducatur 504.

Affinitas 380. Ex sola affinitate primi generis oritur impedimentum ad Matrimonium *ib.* Inter quos habeat locum 381. Schema arboris affinitatis *ib.*, 2. Regulæ interdictionis Matrimonii 382, 1.

Agnati et Cognati 375.

Alienatio 702; propria et impropria *ib.*; utraque est prohibita in bonis ecclesiasticis *ib.*, 1. Quæ bona ecclesiastica ad hunc effectum *ib.* Res alienari prohibitæ 703; quid de grege ovium et de pecunia *ib.* Actus qui alienationem prohibitam continent 704. Quid de repudiatione hæreditatis, vel legati *ib.*, 1; quid de hypotheca, compromisso et transactione *ib.*, 3. Quomodo procedat nullitas harum alienationum 705. Quæ actiones dentur Ecclesiæ ob prohibitam alienationem 706. Ad quid tendat actio rei vindicatoria, et a quo intentari queat *ib.*; ad quid actio personalis *ib.* Pœnæ contra male alienantes 707. Quid de observantia Extravagantis *Ambitiosæ ib.*, 5. Quibus in casibus alienatio permittatur 708; permittitur in rebus, quæ servando servari non possunt *ib.*, in rebus exigui valoris 709; quæ tales habeantur *ib.*; in casu urgentis necessitatis 710; in casu, quo res relicta sit Ecclesiæ sub conditione alienationis *ib.*; in casu, quo res sit ab antiquo alienari solita 711: quando talis habeatur *ib.*; in locatione ad triennium 712: quomodo hoc triennium computatur *ib.*; facta ultra

triennium, corruit in toto *ib.*, 1; in rebus exigui valoris, et quando adest consuetudo, fit ad novennium *ib.* Quæ justæ alienationis causæ 713. Quæ juris solemnitates 714: præcipua consistit in Beneplacito Apostolico *ib.*; quando præsumatur intervenisse *ib.*; an debeat præcedere actum 715; quomodo soleat concedi 716. Quæ sint causæ solitæ apponi, et quomodo exequendæ *ib.*, 1. Alienationes male factas solus Papa sanat *ib.*, 2.

Altare 451; fixum et portatile *ib.*; est consecrandum *ib.*, 3. Quando consecrari non possit *ib.*, 4. Quomodo execretur *ib.*, 5 *et* 6. Polluta Ecclesia, vel execrata, idem evenit in altari fixo, non in portatili *ib.*, 7.

Alternativa in collatione Beneficiorum inter Papam et Episcopum 510 *et seqq.*

Annatæ in Beneficiis quid importent 514. Quid super hoc in Gallia observetur *ib.*, 3.

Antichresis 646, 3 *et* 653.

Annulus interdicitur simplicibus clericis 81.

Apostasia 260. Ejus pœnæ *ib.*

Apostoli appellationis 873 *et* 880, 1.

Appellatio 864: judicialis, et extrajudicialis *ib.* 1; definitiva 865. Quis possit appellare *ib.* Quando appellatio interdicatur 866. Eam impediunt tres, vel duæ sententiæ conformes *ib.*, 1. Clausula *appellatione remota ib.*, 4. An interdicatur in causis minimis *ib.*, 5: quæ sint tales causæ, et quomodo queat procedi *ib.* Ab interlocutoria quando detur 867; quando habeat vim definitivæ *ib.*, 3; quando afferat damnum irreparabile *ib.*, 4. Differentiæ inter appellationem a definitiva, et ab interlocutoria 868. Ad quem dari possit 869. Non datur a Papa ad Christum, neque ad Concilium generale 124. Datur gradatim non intermisso medio *ib.* excipe si detur ad Papam *ib.* Appellari nequit a sententia Papæ 870; a sententia judicis ecclesiastici ad magistratum civilem *ib.*, appellatio ab abusu reprobatur *ib.*, 1; neque potest sustineri ex eo, quod Principes catholici sint protectores fidei *ib.*, 3. A quo, et quomodo possit proponi 871; intra quod tempus sit interponenda 872; introducenda 874; finienda 875; quando fiat deserta *ib.*, 3. A quo fiat declaratio appellationis desertæ *ib.* Nullitas sententiæ in appellatione declaranda 876. Appellationis effectus suspensivus 877; devolutivus *ib.* Quibus in causis appellatio detur ad solum effectum devolutivum 878. Quæ sint observanda in appellatione a

censuris 879, 2 *et* 4; in appellatione a Concursu ad parochias 497. Justa interpositio et introductio est admittenda 880. Pœna judicis delinquentis *ib.*, 1. Quæ exhibenda sint, ut judex appellationis queat procedere *ib.* Processus in appellatione 881. Quæ adhuc facere possit judex *a quo* 882, 3; quæ facere debeat judex *ad quem ib.* Aliæ appellationes impropriæ 883.

Arbiter 742 *et* 748: necessarius, et voluntarius *ib.* Arbitri de causa recusationis judicis suspecti cognoscunt 745, 3. Quando deputentur arbitri necessarii 748. Quibus in causis eligi nequeant *ib.* Quæ eorum potestas, et forma procedendi 749, 4; de eorum sententia *ib.*

Arbitrator ad quid constituatur 749.

Arbor consanguinitatis 377, 1; affinitatis 381, 2.

Archiepiscopus 142: eius insigne est Pallium 143; quando eo utatur 146. Ejus jura 147: congregat Concilium provinciale *ib.*: quando possit visitare diœceses Suffraganeorum *ib.*, 2; quomodo ab eis appellationes recipiat *ib.*; non potest allegari suspectus *ib.*; potest Suffraganeos negligentes ad residendum cogere, et eorum negligentias supplere *ib.*; causas eorum minores in Concilio provinciali cognoscere *ib.*; in eorum Vicarios generales delinquentes animadvertere *ib.*

Archidiaconus 163. Ejus antiqua auctoritas *ib.* Ei successit Vicarius generalis *ib.*

Arctati qui dicantur 91, 2.

Arreptio itineris ad S. Sedem, sententiæ executionem suspendit 885. Conditiones necessariæ *ib.*, 1.

Arrhæ 353.

Articuli 798; differunt a positionibus *ib.*, 1; comprobatorii, et additionales *ib.*; quomodo proponendi *ib.*, 2.

Assecuratio marittima, sive nauticum fœnus 644, 3.

Assessor 760. A quo detur *ib.*, 2. Quando dandus *ib.* Quando allegari possit suspectus *ib.*, 4. Ejus officium *ib.*, 5.

Assignatio causæ ad sententiam 847. Allegatio in jure, et in facto *ib.*

Asylum sacrum 454. Quousque hoc jus extendatur ex jure antiquo *ib.*, 3. Extingui lege non potest 455. Quatenus a Concordatis fuerit restrictum 456, 1. Quibus prosit reis 457. Quænam sint crimina excepta *ib.* Quomodo tractandi rei ad Ecclesiam confugientes 458. Quomodo ab asylo extrahendi rei excepti criminis 459, 1. Pœnæ contra violatores sacri asyli latæ 460.

Attentata post appellationem revocantur 882.

B

Baptismus quotuplex 310. Solus Baptismus aquæ est verum sacramentum *ib.* Quotuplex eius minister 311. Obstetrices probandæ *ib.*, 4. Baptismi subjectum 312. Quæ observanda in adultis *ib.*, in filiis infidelium *ib.*, 6, 7. Non licet baptizare in domibus privatorum, exceptis filiis Regum 311, 1; neque subditum in aliena parochia, vel alienum in propria *ib.*; quid de peregrinis *ib.* Non possunt omitti solemnes cæremoniæ nisi ex necessitate, vel ex licentia Ordinarii 314; omissæ cito sunt supplendæ etiam in venientibus ab hæresi *ib.* Quid de Baptismo dato a Missionariis in partibus infidelium 311, 1 *et* 312, 1. Quid agendum in dubio de validitate Baptismi 313. In eo adhibendi Patrini 315.

Beatificatio et Canonizatio 125, 1.

Benedictio nuptialis 341 *et* 360, 2.

Beneficium competentiæ 73; quando non habeat locum *ib.* pro clericis oberatis 699; quando ex jure eis concedatur, et negetur *ib.*: quid de hoc observetur ex legibus civilibus gentium 73, 3.

Beneficium divisionis inter plures fideiussores 657; Ordinis, sive excussionis *ib.*; cedendarum rationum *ib.*

Beneficium inventarii 687, 1.

Beneficium quoad ordinationem 89.

Beneficium ecclesiasticum 471. Ejus origo 470. Quomodo distinguatur a Præbenda 471, 2. Auctoritate ecclesiastica erigendum est 472. Ad altare cum dote *ib.* 1. A quo, et cui conferendum *ib.* Debet esse perpetuum *ib.* Quot sint Beneficiorum species 473. Quatenus manualia de Beneficiis participent *ib.* An, ad amovendum clericum a Beneficio manuali, causa requiratur 474. Solus Papa erigit Beneficia majora et primaria 475. Episcopus parochialia et simplicia *ib.* Quando possit erigere Canonicatus 476. Nequit Canonicatum in duos dividere, aut Canonicos supranumerarios creare *ib.* Quæ conditiones in erectione Beneficii apponi queant 477; semel appositæ nequeunt immutari *ib.* An capellania laicalis erigi possit in Beneficium 478. Quibus modis Beneficia obtineantur. (Vide *Collatio, electio, postulatio, institutio.*) Quoad reservationem (Vide *Reservatio Beneficiorum*). Quot modis fieri queat Beneficiorum unio 515 *et* 516. In extinctiva unione privilegia regulariter subsistunt *ib.*; in subjectiva evanescunt 517; in æque principali

utriusque natura servatur 518. Quis possit Beneficia unire 519. Quæ justæ unionis causæ *ib.*, 2. Qui processus servandus *ib.* Quando Ordinarius hortetur Beneficia unire *ib.* Nequeunt ab eo uniri Beneficia reservata 520; excipiuntur casus parochiæ vere pauperis *ib.*, 1; Præbendæ alias perituræ Cathedralis, vel Collegiate insignis *ib.*, 2; et Seminarii *ib.*, 3. Quæ specialiter pro Seminario sint præscripta *ib.* Quid præbendis Theologi, et Pœnitentiarii *ib.*, 4. Quando unio sit interdicta 521. Unio semel facta potest iterum dissolvi 522. Nemo regulariter potest plura Beneficia obtinere 523. Quæ sint incompatibilia, et ex quibus rationibus 524; etiam difformia sub eodem tecto obtineri nequeunt sine dispensatione Episcopi *ib.*, 4. Quomodo æstimandus redditus ad honestam clerici sustentationem necessarius *ib.*, 5. Quot compatibilia queant uni clerico assignari *ib.*, 6. Quis, et quando super incompatibilitate dispenset *ib. et* 526. Pœnæ retinentium plura Beneficia incompatibilia 525. Nobis videtur incompatibilitatem non posse tolli per consuetudinem contrariam 526. Quando fiat divisio, et quando dismembratio 527: quis possit dividere, et qua de causa 528; quis, et qua de causa dismembrare 529. Beneficium jurispatronatus (Vide *Juspatronatus.*) Quomodo Beneficium amittatur. (Vide *Vacatio* et *renunciatio.*)

Beneficiatus non recitans horas canonicas, amittit fructus pro rata omissionum 178, 4.

Beneplacitum quamdiu duret 53; Apostolicum in alienationibus bonorum Ecclesiæ 714 *et seqq.*

Bigamia triplex, dat irregularitatem 106.

Blasphemia, et ejus pœnæ 263.

Bona fidelium communia 286, 3.

Bona Ecclesiæ temporalia, dicata sunt Deo 598; eorum violator, rebellis est in Deum et in Ecclesiam *ib.* Profana a fidelibus oblata, in religiosa convertuntur 601. Debent perpetuo Deo, et Ecclesiæ servire *ib.* Quis eorum Dominus *ib.* A quo eorum dominium exerceatur 602. Non est subjectum civili potestati 603; a qua, qui petit, dat exemplum horrendæ cupiditatis *ib.* Usurpatio civilis affert ruinam animarum, et regnorum *ib.*, 4. Qui eorum administratores 605 *et* 606. Administratio ministerialis, auctorizabilis, et providentialis *ib.* Fabrica Ecclesiæ Parochialis 607; inducta a legibus civilibus modernis juri sacro in pluribus adversatur *ib.*, 1; quatenus queat ab Ordinario probari *ib.*, 3. Bonorum ec-

clesiasticorum administratores ad quid teneantur 608: tenentur ad damna reparanda ob injustam litem susceptam *ib.*, 2. ad reddendas Episcopo rationes, etiamsi eos testator liberaverit *ib.*, 4. Quoad alienationem (Vide *Alienatio*). Bona Ecclesiæ non possunt obtineri a laicis 704, 4. Bona Beneficiatorum (Vide *Peculium*).

Brachium sæculare 861. Quomodo, et quando possit implorari *ib.*, 1. Quomodo et quando contra clericum, et contra laicum 862. Judex sæcularis debet brachium concedere 861. Quando possit negare 863. Numquam potest acta processus examinare, et aliquid definire *ib.*

Breve Apostolicum 31, 3.

Breviarium 28: quomodo edendum *ib.*, 7.

Bulla 31.

Bulla *Cœnæ* quos casus reservet 336, 3.

Bulla Martini V. *Ad evitanda* 286, 10.

Bulla *Apostolicæ Sedis* Pii IX, 295.

Bullarium Romanum 15.

C

Cælibatus clericorum 118.

Cæremoniale Episcoporum 28.

Calix et patena consecranda sunt 467. Tangi nequeunt a laicis *ib.* Quando execrentur *ib.*

Cambium 646, 5. Quomodo dividatur *ib.*: reale, est licitum *ib.*; siccum vel fictum, est usurarium *ibid.*

Campanæ sunt benedicendæ 469. Adhibendæ solum ad usus religiosos *ib.*, 3, 4, 5.

Canones Apostolici 8; Pœnitentiales 10.

Cancellarius 762; idem actuarius, vel notarius *ib.* Quis possit assumi *ib.* Eo tenetur uti Ordinarius in omni judicio *ib.* Quæ debeat jurare *ib.*, 6.

Canonicus 175. Regularis, et sæcularis *ib.* Eorum origo et antiqua vita communis *ib.*, 1. Eorum qualitates 176, 1. Debent residere per novem menses *ib.*; et etiam ad majus tempus, si ita ferat Ecclesiarum constitutio *ib.* Quomodo dentur, et computentur tres menses, aut minus tempus vacationis 177, 1. Pœnæ non residentium 178; modus contra eos procedendi *ib.* An amissi per absentiam fructus, sint ipso jure restituendi *ib.* Debent choro de-

servire 179; Missas conventuales celebrare, et unam pro benefactoribus applicare 180: contraria consuetudo non prodest *ib.*, 2; Episcopum associare, et comitiis capitularibus interesse 181; fidei professionem emittere, si ad cathedralem pertineant, vel sint curati 182. Percipiunt fructus et distributiones 183: fructus, cum resident, vel absunt ex justa causa 184; quæ justæ causæ *ib.*, quid si omnes redditus consisterent in distributionibus *ib.;* percipiunt distributiones tantum, cum sunt præsentes in choro 185; amissæ accrescunt præsentibus, a quibus nequeunt remitti 186. Casus in quibus absentes a choro percipiunt distributiones 187. (Vide *Distributiones.*) Non possunt innovare absque Episcopi consensu 191. Canonici curati debent Missam pro populo applicare, et non alii 208, 1.

Canonizatio 125, 1.

Capellania laicalis 479. Ex quibus agnoscatur, an sit Beneficium, vel non *ib.* Quid importet, si sit simpliciter laicalis *ib.*, 1. An possit converti in Beneficium 478.

Capitulum 175; ejus acceptio, et divisio *ib.*, habet diversos gradus Canonicorum 188. A quo convocandum, et qui vocandi 189; an absentes *ib.*, 2. Qui habeant votum, et quomodo dare queant *ib.*, 3. In eius deliberationibus requiritur majoritas absoluta 190. Omnes debent consentire in iis, quæ singulis specialiter competunt *ib.* Regulariter concurrere debent duæ tertiæ partes *ib.* Si vocati nolint vel nequeant accedere, reliqui deliberant *ib.* Unus contemptus deliberationem evertere potest 189. Capitulum non potest relevare Canonicos curatos a Missa applicanda pro populo 208, 1. Capitulum cathedrale 191, 3. Potest statuta condere et leges ferre 31, 2; suo consilio, atque consensu adjuvat Episcopum 191 *et* 192. Quid importet consilium, quid consensus *ib.* In quibus exhibendus sit consensus 193; in quibus consilium 194. Sede vacante, acquirit jurisdictionem Episcopi 195. Quando sedes dicatur vacare *ib.* Quando ejus administratio incipiat *ib.* Quid si Episcopus captus sit ab hostibus, vel in carcerem detrusus *ib.* Solum per octo dies potest administrare 196. Eligit œconomum, et Vicarium Capitularem *ib.* In electum Vicarium omnis Capituli jurisdictio transit *ib.*; nec potest limitari aut revocari, sine licentia S. Sedis *ib.*

Capitula in causis criminalibus 799. Eorum differentia a positionibus, et articulis *ib.*, 2.

Carcer ut pœna vindicativa ab Ecclesia adhibitus 302, 4 *et* 730, 5. In ejus locum suffecta reclusio in monasterium 302, 5.

Cardinales 127. Creantur a Papa, a quo possunt deponi 128, 1. Habent supra omnes Episcopos præcedentiam 129. Constituunt Papæ Senatum *ib.* Papam adjuvant præsertim in Consistorio 130. Quomodo Ecclesiam vacantem regant *ib.* Eligunt Papam 131: electionis forma *ib.*, 1. Sacras Congregationes regunt 132. Ecclesias sibi commissas administrant 133. Pluribus privilegiis condecorati fuerunt 129. Conferunt Beneficia in suis titulis vacantia 490, 4. Non subjiciuntur regulæ nonæ Cancellariæ, 514.

Casus Papæ reservati 336. Quomodo queat sibi reservare Episcopus 335.

Casus fortuitus 649; a quo præstetur 650.

Causa 733. Quot genera causarum 768. Causæ Matrimoniales a quo judice cognoscendæ 435. Causæ majores reservantur Papæ 767; aliæ a quo cognoscantur. (Vide *Iudex*).

Catechumeni 61.

Cathedraticum subsidium 161.

Cautio 655: quotuplex sit *ib.* Danda a clerico agente pro Ecclesia 638.

Censura 286: quotuplex sit *ib.* Quis judex censurarum 296. Quæ observanda in ferendis censuris *ib.*, 3. Quando monitio est necessaria, et quando citatio *ib.*, 4. Monitio præmittenda etiam comminationi censurarum *ib.* 6. Subjectum censuræ 296; non pueri, aut solum interne, vel externe delinquentes *ib.*, 1; an impuberes *ib.*; quomodo mortuus *ib.*, 3; non extraneus *ib.*, 4; non omnes alicujus universitatis *ib.*; an reges, et reginæ *ib.*, 8. Quomodo censura auferenda 297, 1 *et* 2. Quando ignorantia a censuris excuset 298, 3. Nova censurarum moderatio 295.

Census 646, 5.

Cessatio a divinis 294: quam habeat causam et quem effectum *ib.* 1.

Charitativum subsidium 161.

Citatio 777. Ejus defectus dicitur insanabilis *ib.* Quomodo fiat *ib.*, 1. Quotuplex sit 778. Quæ continere debeat 779. Causa citationis edictalis 780. In criminalibus trina requiritur citatio, vel una peremptoria *ib.*, 2. Quæ observanda in ea emittenda 781. Ejus effectus 782. Comparitio rei citationem sanat *ib.*

Circumscriptio sententiæ 868.

Clausura monialium et monachorum 231 ; monialium tantum 237, 2 *et* 238, 1.

Clementinæ 13.

Clericus quis 61. Clericorum divisio 64. Regulares 214. Qui clericorum privilegiis quandoque fruantur 65. Debent leges observare 66. Ipsi soli jura spiritualia explicant 67. Privilegio fori, canonis, et beneficio competentiæ fruuntur 68 *et seqq.* Habent exemptionem a tributis 74; a publicis officiis *ib.*; quæ ea specialiter sint *ib.* Debent sanctitate morum omnibus præcellere 75; quædam ad hoc specialia *ib.*, 3; sufficienter sapere 76 , maxime in sacris Scripturis, in S. Theologia, et in Jure Canonico *ib.*; custodire castitatem 77; obedientiam servare 78; quid ea specialiter importet *ib.*, 5; Ecclesiæ deservire 83. Quid circa habitum et tonsuram 79 *et seqq.* ; quando ab habitu et tonsura deferenda excusentur 81. Prohibentur deferre ornamenta aurea vel argentea *ib.*, nutrire comam *ib.*; habitare cum mulieribus, eas frequentare, et litteris instituere 84; exceptiones *ib.*, pœnæ *ib.*; mercaturam lucrativam exercere 85 ; misteriis vilibus intendere , et laicorum famulatui *ib.* ; legibus civilibus, aut medicinæ in universitatibus studere et medicum agere *ib.*; luxui, et mundi solatiis indulgere 86; arma deferre , et venationi incumbere 87. An etiam venatio non clamorosa sit prohibita *ib.*

Coadjutoria 540; perpetuam in genere, et temporalem in Episcopatibus dat solus Papa 541. Quando temporalem dare queat Episcopus *ib.* Quis dari debeat Coadjutor 542. Quæ eius onera, et jura *ib.* Dari potest tantum ad spiritualia, vel tantum ad temporalia *ib.*, 1. Quomodo in necessitate succurrendum Coadjutori, et Coadjuto *ib.*, 3. Quando cesset Coadjutoris temporalis officium *ib.*, 4.

Cœmeterium 446, 461 *et* 462.

Cognatio 371. Quæ legalis 372; quando Matrimonium irritet 373. Quæ spiritualis , et quibus in casibus Matrimonium irritet 374: an contrahatur a patre vel matre baptizante *ib.* 4 ; an in Baptismo privato *ib.*; an ab omnibus si plures sint Patrini *ib.*, 6; an a mandante, vel procuratore *ib.* Non contrahunt Patrini, qui non fuerunt confirmati *ib.* Quæ cognatio naturalis 375. Quid indicet stipes, linea et gradus 376. Quotuplex sit stipes et linea *ib.* Quomodo computentur gradus 377. Exhibetur schema arboris consanguinitatis *ib.*, 1. Jure naturæ Matrimonium interdicitur inter parentes, et filios, et probabilius etiam inter fratres, et sorores 378. Regulæ interdictionis ex Jure Canonico 379.

Cohabitatio clericorum cum mulieribus 84.

Collatio Beneficii 487. Quot modis conferatur a Papa 488. Tempus ordinariis collatoribus ad conferendum concessum *ib.* Quid si post hoc tempus ordinarius adhuc conferat *ib.* Ordinarius collator Beneficiorum diœcesis est Episcopus 489; quando Capitulum cathedrale 490. Quibus nequeant Beneficia conferri 491; quando propinquis conferentis *ib.*; nec filio Beneficium patris, qui si illegitimus sit, nec audire potest confessiones in eadem Ecclesia *ib.*, 5. Immediata successio inter patrem et filium reprobatur, non e converso, nec inter collaterales *ib.*, 8. Quando per statuta excludantur exteri *ib.*, 9 *et* 6. Indigenæ forensibus præferendi *ib.*, 11. Forma collationis 492. Quæ formæ adhibeantur a Papa *ib.*, 1, 2 *et* 3. Collatio ex motu proprio non subjacet obreptioni *ib.*, 4. In quo consistat forma Concursus ad parochiales 493.

Collectiones canonum Juris veteris 8; Conciliorum 15, 3.

Communio laica 302. 9. Communio peregrina *ib.*

Communio paschalis 320.

Commenda in Beneficiis 543: nunc est reprobata *ib.*; solus Papa eam concedere potest *ib.*, 3.

Commodatum 647. Quæ res commodari possint *ib.*, 1. Obligatio commodatarii 648. Omnem culpam præstat 650.

Communicatio cum hæreticis 257.

Compensatio 668. Ejusdem conditiones *ib.*

Compositio super omissionibus Missarum 330.

Compromissum in arbitros voluntarios 748; in electionibus ad Beneficia 481; in alienationibus bonorum Ecclesiæ 704, 3.

Concilium 32. Quot Concilia generalia, eorumque scopus *ib.*, 3. Concilium generale obligat omnes fideles 33; Nationale, aut Provinciale totam nationem, aut provinciam 34; Diœcesanum subditos in diœcesi *ib.* Particulariter quoad approbationem S. Sedis 32, 5; quoad obligationem peregrinorum 34, 3.

Concilium Tridentinum, ejusque materia 15, 4.

Concilium Vaticanum 32, 3. not. A.

Conclusio in causa 844. Quando requiratur, et quomodo fiat 845. Quando post conclusum in causa possint probationes admitti 846.

Concordata, et eorum quædam 17, 1.

Concordatio dubii coram sacris Congregationibus 919, 2; quomodo resolvatur 921.

Concubinatus 277. Quomodo procedendum contra concubinarios *ib.* Quibus sunt pœnis afficiendi *ib.*, 6.

Concursus ad parochiales 493. Quæ observanda in perficiendo concursu *ib.*, 1. Qui, et quot debeant concurrere examinatores 494. Quomodo examinatores constituantur 495; in prosynodalibus debet accedere consensus Capituli *ib.*, 3; debent jurare et nihil possunt accipere sub gravissimis pœnis *ib.*. 4. Partes Ordinarii in hoc examine 496. Non habet votum nisi vota sint paria *ib.* De quibus examinatores judicium ferant *ib.* Quomodo appellatio detur 497. Forma concursus observanda est in jurepatronatus ecclesiastico 498; ad quem spectet hoc casu electio dignioris, et institutio *ib.*, 1; non observatur in jurepatronatus laicali *ib.*; quomodo fieri debeat hoc casu experimentum idoneitatis *ib.*, 2. Quid si Patrono elapsum sit tempus præsentandi, aut plures præsentet *ib.*, 3; idem in jurepatronatus mixto *ib.* 5. Non observatur in parochia adjuncta collegio, vel dignitati 499; in parochia omnino paupere *ib.*, in parochia pro qua, ter frustra indictus fuit concursus, et in aliis casibus, in quibus vel non requiritur, vel caret effectu *ib.*, 4. Concursus ad Præbendas theologi, et pœnitentiarii cathedralis 500. Quomodo debeat se gerere Episcopus in concursu ad reservata 514. Quid observetur in Gallia *ib.* 3.

Conditio verbalis 368. Ejus divisio et differentia a modo *ib.*: in legatis 681; in Matrimonio 369 *et seqq.*

Confessarius quoad jurisdictionem absolvendi a peccatis 333 *et* 334. Sollicitator 264.

Confessio 794; judicialis *ib.*: quas conditiones requirat 795; extrajudicialis 800: quam habeat vim *ib.*

Confirmatio ut sacramentum 316. Ejus minister ordinarius *ib.*; extraordinarius *ib,*, 2. Quæ in hoc observanda *ib.*

Confirmatio et consecratio Episcoporum 110 *et* 150.

Confirmatio sententiæ vel mandati facta a Papa 884, 1 *et* 2.

Confraternitas laicorum 245. Quæ sit ecclesiastica, et a quo instituatur *ib.* Quæ laicalis, et a quibus administretur *ib.* Quæ sint in iisdem Ordinarii partes *ib.* Ecclesiastica subjicitur Ordinario 246: quid sentiendum quando mixta est administratio *ib.*, erecta in Ecclesia Regularium subjicitur Ordinario 247, 1; idem in aggregata aliis archiconfraternitatibus *ib.*; eorum fideles subjiciuntur parocho loci 248. Quid de dependentia a parocho in functionibus *ib.*, 2 *et* 3. Eorum privilegia ab Ordinario sunt examinanda 249. Præcedentia dependet ab antiquitate *ib.*

Confusio rerum 687.

Congregatio Concilii 918; ejus attributiones in contentiosis *ib.*; in aliis non contentiosis 930. Episcoporum et Regularium 922, 1; ejus attributiones in contentiosis *ib.*; quomodo componatur 923; ejus attributiones in non contentiosis 930. Inquisitionis et Sancti Officii 925; ex quibus efformetur *ib.*; ejus attributiones in contentiosis *ib.*; in non contentiosis 930. Immunitatis 927; ejus attributiones in contentiosis *ib.*; in aliis 930. De Propaganda Fide 927; ejus attributiones *ib.*, 2. Attributiones aliarum Congregationum 930. Sæpe idem negotium potest a diversis Congregationibus definiri 922 *et* 930. Supplicans ab una Congregatione dimissus, non potest amplius ad aliam supplicare *ib.* Quomodo negotia non contentiosa a sacris Congregationibus expediantur 928, 1, 2 *et* 929, 1. Earum declarationes, sive decisiones 16, 1 *et* 132; a quibus collectæ in unum corpus 930.

Conservatorium puellarum 240. Conservatoria olim erant tantum tolerata, nunc probantur *ib.* Eorum divisio 241. Quomodo omnia dependeant ab Ordinario *ib.*, 1. Possunt habere clausura etiam Papalem 242. Quæ admitti possint 243. Potestas Episcopi in puellas conservatorii *ib.*; non potest eas adigere ad recipiendam clausuram *ib.*, 4. In reliquis assimilantur monialibus *ib.*, 5. Si non habeant clausuram subjiciuntur parocho loci 244. Non possunt sanctissimam Eucharistiam in eorum oratorio retinere sine licentia S. Sedis *ib.*

Consistorium 130 *et* 916, 1.

Constitutum possessorium 715. Per ipsum incurri pœnæ non videntur male alienantium bona Ecclesiæ *ib.*, 1. Contra reum 894 *et seq.*

Consuetudo, ejusque divisio 55. Debet esse rationabilis, et quando talis non sit 56; non admittitur contra Tridentinum *ib.*, 5. Quomodo introducatur *ib.* Quale tempus requirat *ib.* Debet esse a Superiore approbata *ib.* Qualis ad hoc ejus consensus requiratur *ib.* Quomodo interpretandum ejus silentium *ib.*, 10. Quando et a quo probanda 57. Ejus effectus 58. Quomodo abrogetur 59.

Contestatio litis 783. In criminalibus *ib.*, 2. Quotuplex esse possit 784. Assignatio termini probatorii 785, 2.

Continentia causæ 771.

Contractus 609. Veri, et quasi-contractus 611. Qui quasi-contractus *ib.*, 2 *et* 3. Veri quot modis dividantur 612, 1 *et* 2. Con-

tractus innominati *ib.*; consensuales, et reales *ib.*; quæ sint substantialia contractuum 613; quæ naturalia *ib.*; quæ solemnia et accidentalia *ib.* Quando error vitiet contractum 614; quando metus *ib.* Qui prohibeantur contrahere 615. Contractus pure initus statim perficitur 616: initus sub conditione impossibili non valet *ib.*; sub possibili perficitur per conditionis eventum *ib.* Quid de conditione resolutoria *ib.* Quæ res absolute conventionem respuant 617; quæ relative *ib.*, 7 *et* 8. Contractus mohatra damnatur 646.

Contradictorium inter partes litigantes 847.

Contumacia 786. Quis sit contumax vere, vel ficte *ib.* 5. Causæ a contumacia excusantes *ib.* Quomodo possit purgari 789. Observanda in causis criminalibus *ib.*, 1.

Corpus Juris Canonici 7 *et* 9. Ejus rubricæ, summaria et glossæ, 14, 1.

Crimen 250: læsæ majestatis 267; dirimens Matrimonium 388. (Vide *Delictum*).

Culpa theologica et juridica 649. Quæ lata, levis, et levissima, *ib.* A quibus et qualis culpa præstanda 650.

D

Damnum injuria datum 274.

Dataria Apostolica dispensat super publicis Matrimonii impedimentis 422. Quæ continere debeat libellus *ib.*: in eo etiam gradus propinquior exponendus *ib.*, 1. Veritas expositorum inspicienda tempore executionis *ib.* Quando dispenset in forma ordinaria 423: quando in forma pauperum *ib.*; qui habeantur pauperes *ib.*; instructio pro hoc examine *ib.*; 1.

Decimæ 582. Earum divisio 583, 2. Personales et prædiales *ib.* A quo, et cui debeantur 584. Quomodo a parocho queant ad alios clericos transferri 585. Sæcularizatio decimarum damnatur *ib.* Toleratur ut laici antiquas retineant *ib.*, 3. Pendent ab Ecclesia, et sunt obligatoriæ 586. Principes sæculares possunt tantum decimas ad instar tributorum constituere *ib.*, 4. Earum obligatio dimetitur a consuetudine 587. Quid in eis nunc induxerit consuetudo 588; quid leges civiles *ib.*, 5. In necessitate Episcopus potest eas imponere *ib.*, 6. Etiam nunc debentur cum proveniunt ex conventione *ib.*

Declarationes Sacrarum Congregationum 16, 1. A quibus earum decisiones collectæ 930.

Decretum Gratiani, ejus partes, et auctoritas 10.

Decretales Gregorii IX 11. Bonifacii VIII 12.

Defensor Matrimoniorum 431. 7.

Degradatio 299. Quomodo fiat *ib.*, 4. Ob quæ crimina inferatur *ib.* Rehabilitatio non datur nisi a Papa 300, 3.

Delictum 250. Divisio delictorum *ib.* Delicta ecclesiastica *ib.* A quo judice puniantur 266. Delicta mere civilia 267. Delictum læsæ majestatis *ib.*; quot modis committatur *ib.*; ejus pœnæ *ib.* Delictum falsi, ejusque pœnæ 272. Delictum injuriarum 274; quot modis committatur *ib.* Delicta mixta 275. Delictorum pœnæ a judice ecclesiastico quomodo declarandæ 280. Quid si sola adsit diffamatio *ib.* Quis in genere sit delictorum judex 282.

Denunciatio 890. Quotuplex sit *ib.* Quando evangelica fiat canonica *ib.* Canonica et judicialis quomodo fieri debeat 891. Exempla denunciationum ad bonum publicum *ib.*, 1. An omnes admitti possint ad denunciandum *ib.*, 2. An monitio evangelica debeat præcedere denunciationem judicialem *ib.* Ejus differentia ab inquisitione, et accusatione 892, 1.

Denunciatio ad Matrimonium debet esse trina 400, 1. Quomodo facienda *ib.*; hujus obligatio, et effectus 401. Quibus de causis queat Ordinarius dispensare 402. Pœna contrahentium sine denunciationibus, aut dispensatione 403. Pœna ministri *ib.*, 3.

Denunciatio hæreticorum 256. Confessariorum sollicitantium 264.

Depositio 300. Differentia a degradatione *ib.*

Depositum 651: voluntarium, et necessarium *ib.* Obligationes depositarii 652. Quomodo obligetur Ecclesia ex deposito facto suo clerico *ib.*

Derogatio legis 37.

Devolutio in Beneficiis quomodo fiat 488; non admittitur amplius ab Episcopo ad Archiepiscopum *ib.* 3.

Diaconatus 117. Diaconi septem ab Apostolis instituti *ib.*, eorum officia *ib.*

Dieta 45.

Diffamatio quando adesse censeatur 889.

Dignitas 188.

Dilationes in judiciis 828: deliberatoriæ, probatoriæ, et executoriæ *ib.*; earum effectus 831.

Dismembratio Beneficiorum 527 *et seqq.*

Disparitas cultus 395.

Dispensatio in lege 37; a Matrimonii impedimentis 413. Quando Episcopus dispenset super impedimentis impedientibus *ib.*; an, et quando super dirimentibus 427. Non datur dispensatio in impedimentis juris naturalis 414: quæ hæc sint *ib.* Quando Papa non soleat dispensare 415: in contracto dispensat ex sola causa Matrimonii contracti 416; in contrahendis ex quibus causis dispenset 417. Quomodo intelligatur angustia loci *ib.*, 1; quomodo clausula *sub spe facilius*, *etc.*, *ib.*, 2. Dispensat in occultis per S. Pœnitentiariam 419; in publicis per Datariam 422. Rescripta dispensationum solent continere gratiam per executorem faciendam 424: quis deputetur executor *ib.*; quando habeat jurisdictionem, et quando nudum ministerium *ib.*, 1. Quid operetur mutatio status rei *ib.* Debet observare clausulas Rescripti *ib.*: quæ sint præcipuæ *ib.*, 4. Quomodo fiat Matrimonii revalidatio 425: ad eam novus utriusque conjugis consensus requiritur *ib.* Quomodo pars ignara impedimenti sit certioranda de nullitate Matrimonii *ib.*, 2. Dispensatio in radice 426. Executores dispensationum nil possunt recipere 416, 1.

Distributiones quotidianæ 183, quibus debeantur, et accrescant 185. Absentiæ notantur a punctatoribus 186. Infirmi ordinariis distributionibus fruuntur 187: quæ infirmitas excuset a choro *ib.*, item metu, vel vi impediti *ib.*, inquisiti post agnitam juridice eorum innocentiam *ib.* Qui evidentem promovent Ecclesiæ utilitatem, ut Theologus, dum Scripturam legit, etc., *ib.*; qui spiritualia exercitia ad decem dies peragunt *ib.*: omnes ita fruuntur, si non impediti intervenire consueverint *ib.*, 8.

Divisio in Beneficiis 527 *et seqq.*

Divortium quid, et quotuplex 429. Quomodo Matrimonium infidelium solvatur per conversionem ad fidem 430. Quæ notanda circa praxim *ib.*, 5. Matrimonium ratum quot modis solvatur 431. Sponsis volentibus Religionem profiteri datur tempus duorum mensium ad deliberandum *ib.*: a quo die incipiat decurrere hoc bimestre 4. Quando solvatur per dispensationem Papæ *ib.*, 5. Quando et quomodo Matrimonium per sententiam judicis declaretur nullum *ib.* Matrimonium consummatum, sola morte dissolvitur 432: est indissolubile *ib.*; neque solvitur per hæresim, aut adulterium *ib.*, 4. Divortium quoad thorum et habitationem de mutuo conjugum consensu 433; altero invito regulariter fieri debet in judicio Ecclesiæ *ib.*: quando privata auctoritate fieri queat *ib.*, 1. Quæ

justæ causæ 434: quomodo adulterium justam causam præbeat *ib.*; quomodo hæresis *ib.*: sævitiæ, et aliæ causæ *ib.* Coram quo proponenda sit instantia nullitatis 436: coram quo instantia separationis 437; quomodo procedendum in causa *ib.* Penes quem educanda proles, et cujus expensis 438.

Dolus 649. 1. Dolus malus in omni contractu præstandus 650; nec valet conventio. *ne præstetur ib.*; præteritus potest remitti *ib.*

Domicilium quoad Ordinationem 89; quoad Matrimonium 406. Quanto tempore constituatur domicilium habitationis *ib.*, 2. Quasi-domicilium *ib.*

Dominium 632: ejus divisiones *ib.*

Donatio 658: causa mortis *ib.*: inter vivos 659: hujus divisiones *ib.*: ante acceptationem donatarii potest revocari, et quandoque per se revocatur 660, 1; excipe donationem Ecclesiæ, vel piæ causæ, factam *ib.* Quomodo Prælati et Beneficiati queant donare 661. Ex quanto donatio remuneratoria possit excedere meritum *ib.*, 3. Quatenus donatio prohibeatur Prælatis Regularibus, et Religiosis *ib.* Quæ eorum donatio habeatur modica *ib.*, 4. Quæ pœnæ contra donantes, et accipientes prohibita *ib.* Quæ contineantur sub munusculis devotionis *ib.* An liceat donare operas Religiosorum *ib.* Donatio omnium bonorum favore Ecclesiæ sustinetur 662: hoc casu donatori alimenta præbere debet Ecclesia *ib.* Justæ causæ ob quas donatio potest revocari 663: quando per ingratitudinem revocari queat ab hæredibus *ib.*, 2; facta Ecclesiæ non revocatur per ingratitudinem Prælati *ib.* Inofficiosa revocatur in excessu supra legitimam portionem *ib.* Quando et quomodo revocetur ob supervenientiam filiorum *ib.*, 5. 6 *et* 7. Donatio causa mortis, legatis assimilatur 676.

Duellum 269. Omni Jure damnatur *ib.* Propositiones de eo damnatæ *ib.*. 4. Pœnæ contra duellantes, et duello cooperantes 271, 8.

E

Ecclesia ut societas 19 *et* 20: ejus notæ 21: Est regnum 22 *et* 23; monarchium 24. Est societas perfecta, divino-humana, et visibilis 25. Est schola infallibilis veritatis 26: ejus magisterium 27; quomodo Episcopi sint ejus doctores *ib.* Est templum, in quo viget verum sacerdotium et sacrificium 28. Ecclesia jus habet ad

bona temporalia 595. Ejus patrimonium sacrum et inviolabile *ib.*: hoc primum fundavit ipse Christus in collectis *ib.*: valde auxerunt Apostoli, et primi Pastores 596. Ecclesia post Constantinum omnia jura civilia in mobilibus et in immobilibus libere exercuit 597. Hoc jus comprehendit bona, jura, et actiones 599. Principatum temporalem Summi Pontificis *ib.* Liberam administrationem independentem a civili potestate 603. Hæc jus non habet probandi contractus etiamsi id faceret in utilitatem Ecclesiæ *ib.*, 5; neque prohibendi bonorum acquisitionem 604. Lex dicta amortizationis, iniqua est et Ecclesiæ injuriosa *ib.*; vanus est ejus prætextus, ne Ecclesia nimis ditescat *ib.*

Ecclesia ut templum 439. Quibus distinguatur nominibus 440. Conditiones in ejus erectione observandæ 441. Impositio primi lapidis *ib.*, 1. Quæ dos dicatur competens *ib.*, 2. Quæ justa causa erigendæ Ecclesiæ Parochialis *ib.* An sufficiat sola ratio incrementi populi *ib.*, 1. Si dos sumatur ex bonis Ecclesiæ Matricis, ei competit juspatronatus *ib.* Ecclesia cathedralis 191. Collegialis erigi non potest sine auctoritate S. Sedis 441, 9. Quid faciendum si concidat 442· unde desumendæ reparationis expensæ *ib.* Ædificata, est benedicenda vel consecranda 443. Ritus consecrationis *ib.*, 2. Quando execretur 444. Ob quas causas polluatur 445. Polluta Ecclesia polluitur cœmeterium contiguum, non e converso 446. Effectus pollutionis, et Ecclesiæ reconciliatio *ib.*

Electio Summi Pontificis 131: Episcoporum ex jure antiquo 150; ex Concordatis 151; Vicarii Capitularis 196: Abbatissæ monialium 238. Electio in genere 480: quot modis fiat 481 *et seqq.*; ejus acceptatio 483: confirmatio, et electi consecratio 484. Electio in concordia 485. Electio inter Regulares, et Canonicos 486, 1.

Emolumenta Curiæ, Sede vacante, spectant ad futurum Episcopum 199.

Emphyteusis 632: ejus origo *ib.*, 3; divisio *ib.*; in prædiis non multum utilibus constitui potest 633. Jura emphyteutæ 634; ejusdem onera *ib.* Laudemium quid, quando solvendum, et in quanta parte consistat *ib.*, 4 *et* 5; quando pertineat ad Beneficiatum *ib.*, 6. Jura, et onera domini directi 635. Quid de melioramentis, finita emphyteusi, *ib.*

Emptio et venditio 620. Nemo potest ad vendendum cogi, nisi ex necessitate, vel utilitate publica *ib.*, 1. Quæ res vendi possint aut non possint 621. Conditiones pretii 622; quomodo fiat certum *ib.*

Quale sit pretium infimum, medium et summum *ib.* Læsio enormis jus tribuit ad resolvendum contractum 623: quando adsit hæc læsio *ib.*: quomodo computanda quoad emptorem *ib.*, 3. In conscientia quælibet notabilis læsio justi pretii est reparanda *ib.* Obligatio emptoris et venditoris 624. Quid si res, vel nummi essent alieni *ib.*, 1, 2 *et* 4. Periculum, et commodum rei venditæ spectat ad emptorem 625: quæ fiant huic regulæ exceptiones 626.

Epicheia 38, 4.

Episcopus 148: quibus nominibus designetur *ib.*: ejus gradus quadripartitus *ib.* Est de jure divino *ib.*, 4 *et* 159, 1. Ejus dotes ut assumatur 149. Debet esse diœcesanus 491, 11. An præferendus sit Theologus, vel Canonista 149, 3. Quæ his temporibus ejus præparatio *ib.*, 5. Quomodo constitueretur jure antiquo per electionem, confirmationem, et consecrationem 150. Debet habere legitimam ordinationem, et missionem a Papa 110. Jure novo confirmatio et jurisdictionis communicatio a solo Papa fieri potest 150. Quomodo jure novissimo per Concordata constituatur in diversis orbis partibus 151, 1, 2, 3, 4 *et* 5. Debet in diœcesi residere 152. Causæ, et tempus justæ absentiæ *ib.*, 1 *et* 2: an, et a quo licentia petenda sit *ib.*, 1. Pœnæ non residentium *ib.*, 3. Debet evangelium nunciare 153: Sacramenta ministrare 154: præsertim Confirmationem saltem intra decem annos *ib.*, 1: Missam frequenter celebrare pro suo populo et alia facere *ib.*, 3, visitare diœcesim saltem infra biennium 155. (Vide *Visitatio*) Debet cogere Synodum diœcesanam 158: demum statum Ecclesiæ S. Sedi referre, et visitare limina Apostolorum *ib.* Habet potestatem Ordinis, et jurisdictionis 159: illa est immediate a Deo, hæc mediate per Papam saltem quoad exercitium *ib.*, 2. Hæc potestas jurisdictionis est ordinaria, vel extraordinaria 160: quæ agere possit ex potestate ordinaria, quæ ex extraordinaria *ib.*: per illam, non potest auferre jus commune, neque definire quæstiones de moribus et fide vere dubias *ib.*, 2 *et* 4: per hanc, ex delegatione Papæ Jus commune in casu suspendit *ib.*: quanta ad hoc requiratur necessitas *ib.*, 12, vel quæ consuetudo *ib.*, 13. Quando possit absolvere percussores clericorum 72. Quando dispenset in irregularitate 108, 5. Ei debetur reverentia et vitæ subsidium 161: hoc comprehendit procurationem, cathedraticum, et charitativum *ib.* Quando teneatur eligere Vicarium 165, 1: potest ejus sententiam revidere, et causam sibi avocare 172, 2. Non ligatur interdicto, vel suspensione

in jure in genere lata 296. Tenetur expetere consilium, et consensum Capituli cathedralis 192, 2: discrimen inter consilium, et consensum *ib.*; quando adhibere debeat consensum, quando consilium 193 *et seq.*

Episcopus coadjutor, titularis, auxiliaris 148.

Error circa personam in Matrimonio 366; circa rei substantiam in contractibus 614.

Eucharistia 317; ejus minister 318: quibus in locis, et quando non possit ministrari *ib.*, 3: ejus subiectum *ib.*; quibus sit neganda *ib.*, 4. Conficienda, et sumenda a jejunis 319; per viaticum, et per indultum Summi Pontificis licite sumitur a non jejunis *ib.*, 1. Retineri nequit in oratoriis conservatoriorum 244; in oratoriis confraternitatum 249; in oratoriis etiam publicis 447, 3. Præceptum Communionis paschalis 320: an possit per Ordinarium extendi *ib.*; pœnæ contra præcepti violatores 321. Eucharistia ut sacrificium 322: cui offeratur, et a quibus 323; ejus fructus 325.

Evictio in contractu emptionis 613, 2.

Examen ad Ordines 93; ad Religiosum statum 215, 11: ad Parochias (Vide *Concursus*).

Examinatores pro Religiosa Professione monachorum 215, 11 *et* 218, 3; pro Concursu ad Parochiales 494 *et seqq.*

Exceptio 821: quomodo excludatur *ib.* 1; peremptoria, et dilatoria *ib.* Peremptoriæ litis finitæ quæ *ib.*; quando possint opponi 822: quæ simpliciter peremptoriæ *ib.*; quando possint opponi *ib.*, 2. Dilatoriæ quæ 823 *et seqq.* Declinatoriæ fori *ib.*, 1; incompetentiæ *ib.*, 3; non legitimæ personæ 824, 1: cautionis, et aliæ 825 *et seq.*; excommunicationis 827, 3. Quando dilatoriæ exceptiones sint proponendæ *ib.*

Executio sententiæ 858: intra quod tempus fieri debeat *ib.*, cujus judicis mandatum requirat *ib.* 3. Ordo in executione servandus 859. Quæ debeant esse ab executione salva *ib.* 2; quid agendum si extra territorium executio fieri debeat 860. Delegatus a Principe potest suam sententiam exequi, non delegatus ab inferiore judice *ib.* Executio per appellationem regulariter non impeditur *ib.*, 1. Judex ecclesiasticus pro executione potest implorare brachium sæculare 861 *et seqq.*

Executor merus et mixtus 47: in rescriptis Apostolicis *ib. et seqq.*; in dispensationibus super Matrimonii impedimentis 424: debet accurate observare dispensationis clausulas *ib.*, 4. nihil potest

accipere 416, 1. In Beneplacito Apostolico pro alienatione bonorum Ecclesiæ quomodo procedat 716: quas pœnas incurrat, si injustæ alienationi consentiat *ib.*, 2.

Executor testamentarius aliis prævalet 683: regulariter non potest compelli ad officium suscipiendum, sed utique ad susceptum consummandum *ib.* Executor a jure datus est hæres et post ipsum Episcopus 684: si hæres officium suum negligat, supplet Episcopus *ib.*, 1. Testator nequit Episcopum ab executione pii legati omnino excludere *ib.*, 2. Executores nequeunt defuncti voluntatem mutare 685; quid si legatum juxta ejus voluntatem impleri nequeat *ib.*

Exemptio Regularium 220; Clericorum a tributis, et publicis officiis 74.

Excommunicatio 286: differentia ab anathemate *ib.* 2; quibus privat bonis *ib.*, 3. Dari potest ab Ecclesia *ib.*, 4: major et minor *ib.*, 5, utriusque effectus *ib.*, 7 *et* 8: tolerata, et non tolerata *ib.*, 9 *et* 10. Effectus excommunicationis toleratæ 287: effectus non toleratæ 288.

Excommunicati vitandi qui 286; quibus Ecclesiæ bonis priventur 287 *et seqq.* Notorii clericorum percussores ex nova praxi non videntur vitandi nisi post sententiam 288, 1. Non licet catholicis cum vitandis communicare *ib.* quæ actiones prohibeantur *ib.*, 6 *et* 8: casus in quibus licet cum vitandis communicare *ib.* Excommunicati tolerati quibus bonis priventur 287. His accensentur hæretici et schismatici 289. Non licet cum his communicare in sacris et divinis *ib.* 1, 2 *et* 3: non licet eorum nomina in sacris precibus publice recitare 288, 8.

Exequatur, sive Placitum regium 44, 6.

Exilium ut pœna ecclesiastica 302 *et* 730, 5. Relegatio vel expulsio extra diœcesim 302.

Exorcistæ, eorumque officium 119.

Exploratio voluntatis in Novitio 216, 4: in Novitia 229: quomodo hæc fieri debeat *ib.*

Extratempora 96.

Extravagantes 14.

Extrema-Unctio 337. Eius minister, et subjectum *ib.*

F

Fabrica Ecclesiæ Parochialis 607.

Falsum 272. Quot modis committatur *ib*. Falsariorum pœnæ *ib*.

Familiaritas triennalis quoad Ordinationem 89.

Famuli ubi Matrimonium contrahant 409, 1.

Feriæ 831: earum divisio *ib*. Feriæ sacræ 832: quomodo accipiendæ 833; an vigeant in festis suppressis *ib*.: constitutæ ab Episcopo, vel consuetudine 834; Feriæ profanæ possunt auferri *ib*.; earum effectus *ib*. Feriæ in honorem hominum 903, 3.

Fictio juris 817, 1.

Fideles et infideles 61.

Fidejussio 655. Qui possint fidejubere 656; non Clerici nisi ex causa pietatis *ib*. Quomodo fieri possit executio contra Clericum fidejussorem *ib*., 3. Quando fidejussor actionem habeat contra debitorem principalem 657: quæ ei competant beneficia *ib*.

Filii-familias quoad Matrimonium 362, 1.

Fiscalis, sive promotor, vel procurator fiscalis 761; idem advocatus fiscalis *ib*., 1. Quod sit ejus officium *ib*., 2; quam necessarium *ib*.

Foetus quando dicatur animatus 270.

Forma Concursus ad Parochiales 493.

Formula dispensationis ab impedimentis a Sacra Pœnitentiaria 421, 1.

Fornicatio 276. Ejus pœnæ in laicis et Clericis *ib*. Consuetudinaria quomodo punienda 277.

Forus 764: proprius, sive competens *ib*.

Fratres consanguinei, uterini, et germani 375.

Fructus Beneficiorum 183. Quomodo dividantur. (Vide *Peculium*).

Furtum 273: quando committatur *ib*.; quibus diversis nominibus designetur *ib*.; furti pœnæ *ib*.

G

Genuenses non possunt trahi ad litigandum extra eorum urbem 45, 6; possunt Matrimonium contrahere rure, ubi solent habitare 409, 3; habebant confraternitatem B. V. *de Succursu* privilegiis ornatam 245, 2.

Gestio negotiorum 611, 2.

Gestor negotiorum legitime appellat 865.

Glossa 14, 1.

Gratia in rescripto concessa 43: qui possint eam obtinere 44; quomodo interpretanda 46: quando expiret 53; facta per motum proprium Papæ non subjacet obreptioni 492, 4; in rescriptis ad Matrimonium solet esse facienda per executorem 424.

Gratianus auctor Decreti 10.

H

Habitatio clericorum et mulierum 84.

Habitus clericalis 80. Quæ vestes clericis prohibeantur 81. Pœnæ non deferentium habitum et tonsuram 82.

Hæresis 251: ejus divisio *ib.*; quando manifesta *ib.*; quando suspecta 252. Quæ levis, quæ vehemens, quæ violenta hæresis suspicio *ib.*; qui ex violenta suspicione tamquam hæretici damnentur 253, 5. Hæreticorum pœnæ 255. Hæresis abjuratio *ib.*, 2. An hæreticus jurisdictione privetur *ib.*, 5. Hæretici sunt denunciandi 256. Papa quandoque concedit potestatem dispensandi *ib.*, 4. Non licet communicare cum hæreticis vitandis 257; Quando liceat cum toleratis *ib. et* 289. Hæreticorum libri damnantur 258. Hæretici obligantur legibus Ecclesiæ 35. Hæretici sunt. qui adhærent liberorum Massonorum, et Carbonariorum sectis, 254.

Hæredes necessarii, et voluntarii 675, 1.

Heterodoxi 61.

Hierarchia 109: ex divina institutione *ib.*; Ordinis, et Jurisdictionis 110: discrimen inter utramque 111; qui summus utriusque gradus 112. Qui comprehendantur in Hierarchia Ordinis 113.

Homicidium 268. Quotuplex sit *ib.* Pœnæ homicidii in laicos, et clericos 271: quando det impedimentum dirimens Matrimonium 388; quando producat irregularitatem 102.

Honestas publica 383. Quando ex ea oriatur impedimentum ad Matrimonium 384: dissolutis sponsalibus validis, impedimentum subsistit 385; subsistit etiamsi Matrimonium sit nullum ex alia causa, quam ex defectu consensus 386. Quid de eo, qui contrahit sponsalia cum una, deinde Matrimonium cum alia sorore 387.

Hypotheca 653. Quot modis constituatur *ib.* Observanda in moderno hypothecarum systemate *ib.*, 4.

I

Illegitimus Ordinem recipere nequit 106, et per dispensationem ordinatus nequit Beneficium obtinere in Ecclesia, in qua ejus pater est Beneficiatus 491, 5.

Immunitas 452: personalis 68 *et seqq.* 71 *et seqq.*; realis 74; localis 452. Quæ in Ecclesiis prohibeantur 453, 1, 2 *et* 3; quæ permittantur *ib.*, 2 *et* 6. Dat Ecclesia asylum sacrum reis 454. (Vide *Asylus*).

Impedimenta ad Matrimonium 358. Quæ sint impedientia 360: inter hæc comprehenditur hæresis 361, in qua solus Papa dispensat *ib.*; cautelæ, et ritus in his Matrimoniis observandi *ib.*, 4. Quid de dissensu parentum 362; de defectu status liberi 363; a quo, et quomodo fiat, et quando requiratur *ib.*, 1, 2 *et* 3; quid si fides status liberi sit impossibilis, vel incompleta *ib.*, 4. Instructio S. Congregationis pro examine testium *ib.*, 6. Ignorantia elementorum fidei, et status peccati 364. Omissio denunciationum 400. Quæ sint impedimenta dirimentia 365: alia ex Jure naturali, et alia ex Jure ecclesiastico *ib.*; Jus civile potest tantum regere effectus civiles *ib.* 1. Error circa personam irritat Matrimonium 366; quid de errore circa personæ qualitates *ib.* Servitus non irritat, nisi ignoretur 367. Regulæ circa conditiones sponsalibus et Matrimonio appositas 369. Conditio de non transferendo dominio corporis irritat *ib.*, 14; item de solvendo Matrimonio propter adulterium *ib.* Quando impedimentum oriatur ex voto (Vide *Votum*). Ex cognatione (Vide *Cognatio*). Ex crimine (Vide *Adulterium, Homicidium*). Ex disparitate cultus 395. Quomodo hac de re detur a S. Sede dispensatio *ib.* 1. Ex Ordine (Vide *Ordo*). Ex vi (Vide *Metus*). Ex præcedenti Matrimonio 397: quid si de viduis agatur *ib.* Ex publica honestate (Vide *Honestas*). Ex affinitate (Vide *Affinitas*). Ex violentia (Vide *Raptus*). Ex ætate 398. Ex impotentia coeundi 399: quotuplex ea sit *ib.*; Regulæ in ea observandæ *ib.*, in dubio quænam de ea sumantur præsumptiones *ib.*; quomodo fiat in his causis processus *ib.* 8; effectus sententiæ *ib.* Ex absentia Parochi, et duorum testium 404. Impedimenta quomodo auferantur (Vide *Dispensatio*). Quando dicantur occulta 418, 1.

Imperium 740.

Incendiarii 274. Eorum pœnæ *ib.*

Incestus 279. Ejus pœnæ *ib.* Quæ specialia sint in incestu conjuncto cum adulterio *ib.* 4.

Incompatibilitas in Beneficiis 524 *et seqq.*

Indulgentiæ 305, 1.

Indultum alternativæ in conferendis Beneficiis 510 *et seqq.*; eligibilitatis 486.

Indultarii pro Oratoriis privatis 450, 2.

Infamia juris et facti 99.

Infideles 61.

Injuria 274.

Inquisitio 888; quotuplex sit *ib.*; quomodo judex ordinarius queat inquirere 889.

Inspectio ocularis 811.

Instantia 733: prima, et secunda quantum duret *ib.* 1. Quid pereat cum instantia 842, 1.

Institutio in Beneficiis collativa 501, auctorizabilis *ib*, corporalis 502: quomodo hæc fiat *ib.*

Instructio ad examinandos testes pro statu libero 363, 6; ad petendam dispensationem pro Matrimonio 423, 1.

Instrumenta 801: publica, et privata *ib.*; publica plenam fidem faciunt 802: privata, quam fidem habeant 803; quando præsentanda *ib.*, 3; quomodo exhibenda 804; ex quibus eruatur eorum falsitas *ib.* 2.

Interdictum 293: ejus divisio et effectus *ib.*; possessorium 70, 2.

Interpretatio authentica, usualis, et doctrinalis 38; extensiva, et restrictiva *ib.* 1. Præcipuæ ejus regulæ *ib.*

Interrogatoria in judiciis 798; quid sit in eis observandum *ib.*, 4.

Interstitia ad Ordines 97.

Intrusus in Beneficio 407, 4.

Irritatio legis 37.

Irregularitas, ejusque divisio 98: oritur ex delictis contra Religionem 100; quid de filiis hæreticorum *ib.*, 2; ex damnata Sacramentorum administratione, et susceptione 101; ex violatione censurarum *ib.*; ex gravioribus delictis contra societatem 102; ex defectu animi 103, corporis 104, libertatis 105, famæ ob crimen notorium, vilem artem, et illegitimos natales 106, lenitatis 107, ex bigamia 106; quomodo tollatur 108; oritur ex suspensione ut censura, et ut pœna 291.

J

Judex 739. Quid de judicibus collegialibus secundum modernum usum *ib.*, 5. Qui prohibeantur judices esse *ib.*, 6. Processus laici, etiam Cancellarii, in causa criminali contra clericos nullus est *ib.* Judex, si non sit Beneficiatus, potest habere stipendium et expensas, numquam vero munera, xenias, sportulas, et propinas *ib.*, 7. Judex ordinarius, et delegatus 742 *et seq.* Causæ, ob quas ut suspectus recusatur 744: quando, et quomodo recusatio fiat 745; qui de causa recusationis cognoscant *ib.* 3., Quomodo procedatur, quando plures delegati sunt judices 746; quando cesset officium delegati 747; quid circa executionem sententiæ *ib.* Judex competens 765: unde competentia oriatur 766 *et seqq.*; quid si plures judices sint competentes 772; sententia judicis incompetentis nulla est 764; quomodo fiat competens ob domicilium 766, 1; quomodo Romæ omnes possint conveniri *ib.*, 2. Quomodo fiat competens ob contractum *ib.* ob rem sitam *ib.*, 6; ob delictum *ib.*, 7: ob statum clericalem, vel religiosum *ib.* 8; ob naturam causæ 767. Judex ecclesiasticus solus competens in causis spiritualibus, in spiritualibus adnexis, et in sacramentalibus 768. Quæ tales sint *ib.*, 5. Solus Papa competens est in causis Matrimonialibus inter supremos Principes *ib.* Quid de causis educationis, et institutionis fidelium *ib.*, 6. Judex laicus competens in causis temporalibus de dote, de donationibus, de successione, de alimentis, deque similibus *ib.*, 5: solus competens in causis temporalibus laicorum 769. Quid de causis mixtis 770: quæ tales habeantur *ib.*, 2. Quid de prorogatione, continentia et reconventione 771.

Judicium 731. Ejus materia, et forma *ib.*: personæ, quæ ad ipsum concurrunt 732. Controversia, causa, lis, actio, et instantia 733. Actus judiciales et extrajudiciales 734. Solemnitates judicii 735; quæ ex jure naturali, et quæ ex jure positivo *ib.*, 1. Judicium ecclesiasticum, sæculare, civile, criminale 736, aliæ subdivisiones judicii civilis, et criminalis *ib.*; petitorium, et possessorium, 737; ordinarium et summarium 738. Legitimatio personarum in judicio 790. Judiciorum termini 828 *et seqq.*

Judicium criminale 886: quando procedat ad instar civilis *ib.*, 1; quomodo instituatur *ib. et seqq.* Promotor fiscalis tum ex accusatione, tum ex denunciatione, processum instruit, ut inquira-

tur 892: in hoc processu de duobus constat, scilicet de delicto in genere, et in specie *ib.* Via inquisitionis in judiciis criminalibus hodie est ordinaria *ib.*, 1. Processus informativus primo respicit famam, et deinde crimen 893, 1; conficitur secreto, reo non citato *ib.*; testes admittuntur etiam alioquin inhabiles *ib.*, interrogantur super generalibus personarum *ib.* 2; super generalibus et specialibus delicti *ib.*, 3: ex his decernit judex, an procedendum sit ad ulteriora, vel non *ib.*; in hoc adjuvari potest ab oculari inspectione, a scrutatione scripturarum, etc. *ib.*, 4. Solum quando semiplene saltem constat de delicto et de auctore delicti, reus constituitur *ib.*: reus citatur ad constitutum 894; an reo dari queat iuramentum veritatis dicendæ *ib.*, 3. Quid si datum fuit in caput proprium *ib.*: quomodo interrogandus reus 895, 1 *et* 2: confrontatio testium cum reo 896, 1, 2 *et* 3; quid in praxi hodierna *ib.* Processus offensivus, et defensivus 897. Copia actorum reo dari non solet, nisi habuerit testes pro rite examinatis *ib.*, 1. Repetitio testium 898: quomodo fiat *ib.*, 1 *et* 2: quando non est necessaria *ib.*, 3. Reus potest offerre Episcopo libellum compositionis 899. Qualis dari possit sententia 900; absolutoria quot modis detur a S. Congregatione Episcoporum et Regularium *ib.*, 1.

Judicium summarium 901: formæ substantiales in eo observandæ 902; an habeat locum reconventio *ib.*, 3; quæ in eo possint omitti 903; quid si solemnitates judicii ordinarii serventur 904. Judicium summarium potest fieri ordinarium, non vice versa *ib.*; quid si una pars reclamaret contra formam assumptam judicii ordinarii *ib.*, 2. Judicium summarium locum habet tum in civilibus, tum in criminalibus 905, 1: quæ sint causæ sic privilegiatæ ab homine 906: quæ sic privilegiatæ a Jure Canonico 907; quid de causis Beneficialibus *ib.*, 1: quæ sint privilegiatæ a Jure civili 908. Quæ probatio in causis civilibus summariis requiratur *ib.*, 1. Quando summarium locum habeat in criminalibus 909: id obtinet in criminalibus notoriis 911; conditiones ad id necessariæ 912, 1, 2, 3 *et* 4. Quæ possint omitti et quæ sint necessaria in hoc judicio 913, 1; a declaratione notorii datur appellatio *ib.*, 4. Quomodo procedatur contra reum deprehensum in flagranti 914. Processus in summario civili et criminali 915.

Judicia coram S. Congregationibus 916: quomodo Papa olim judicia redderet *ib.*, 1 *et* 2; nunc reddit per S. Congregationes 917. Judicia sic emissa non admittunt appellationem, et obligant

omnes *ib.* Congregatio Concilii de quibus cognoscat 918: quomodo *ib.*; quando Ordinariorum informationes requirat *ib.*, 3; quæ observanda in ejus procedura 919; quis admittatur procurator *ib.*, 1; quid sit, et quomodo fiat concordatio dubii *ib.*. 2: quomodo coram ea causa tractetur 920; conficiendum est summarium actorum *ib.*, acta typis edenda *ib.*, 1; non admittuntur concertationes vocales advocatorum *ib.*, 2; examen testium committitur Ordinariis locorum *ib.*, 3; pœna contumacis, et quis talis habeatur *ib.*, 4; a quo possit dies pro causa assignatus differri *ib.*, 5; quomodo causa definiatur 921; a definitione non appellatur, sed peti potest nova audientia intra decem dies *ib.*: a quo concedi possit nova audientia *ib.*, 1; quid de executione sententiæ deque litis expensis *ib.* Congregatio Episcoporum et Regularium de quibus cognoscat 922; servat formam judicii summarii 923, 1; modus coram ea procedendi *ib.*; in quibus conveniat, aut discordet a procedura coram Congregatione Concilii *ib.*, 2; modus coram ea procedendi in appellationibus a criminalibus 924. Congregatio Inquisitionis, et S. Officii de quibus cognoscat 925: accuratam servat processus criminalis formam 926; non procedit absque rei defensore *ib.*, 1; plenissimas probationes requirit *ib.*; gratis omnino in se et in ministris suis omnia peragit *ib.*; quandoque processum suspendit cum clausula, *firmo remanente processu, ib.*; tres tenet ante commendationem diverso modo et loco conventus *ib.* Congregatio Immunitatis de quibus cognoscat 927: 1: de quibus Congregatio de Propaganda Fide *ib.*, 2: utramque summariam judicii formam servat *ib.*

Juramentum 812: quotuplex *ib.*; judiciale decisorium 813; defertur, et refertur *ib.*, 1; quando non admittatur 814; quomodo præstandum *ib.*, 3. Juramentum suppletorium, et purgatorium 815; dari a quo, et cui, et quando, possit *ib.*, 1. Juramentum in litem 816, 1; quando possit habere locum *ib.*, 2. Juramentum calumniæ 791; differt a juramento malitiæ *ib.*

Jurisdictio 740; quotuplex 741. Ecclesia habet jurisdictionem, et coercitionem 729; quot modis coercitionem exerceat 730. Jurisdictio Episcoporum quomodo sit a Deo 159, 1; ordinaria, et delegata 741, 1.

Jus Divinum, et Humanum 1: Naturale, eius consequentiæ, et præcepta 2; Gentium *ib.*; Divinum positivum, Vetus, et Novum, ejusque præcepta 3; Humanum, ejusque divisio 4; Canonicum.

ejus divisiones, et præstantia 5; Civile romanum 6; Juris Canonici Corpus (Vide *Corpus*). Jus Canonicum Vetus, Novum et Novissimum 7. Jus in re, et ad rem 632, 2 *et* 659; quot modis perimatur 686 *et seqq.*

Juspatronatus 544; ex jure communi non cadit in Prælaturis et in primis Dignitatibus Ecclesiarum Collegiatarum *ib.*, 2; ejus divisio 545; differentiæ inter ecclesiasticum, et laicale 546. Tempus Patronis ad præsentandum concessum *ib.*: quamdiu possit Ordinarius prorogare *ib.*; quid observetur in mixto 547. Aliæ divisiones 548. Juspatronatus acquiritur dotatione, ædificatione, fundatione 549; unum horum probabiliter sufficit *ib.*: privilegio Summi Pontificis post Tridentinum 550: tale privilegium ante Tridentinum fuit abrogatum, paucis exceptis casibus *ib.*: privilegium Episcopi nil prodest, quacumque concurrente consuetudine *ib.*, 2; præscriptione immemoriali a privatis 551; quid amplius requiratur in personis publicis *ib.* Quid si mixtum sit ex justitia, et gratia 552, 1. Quot modis juspatronatus transferatur de uno in alium cum prædio cui adhæret 553; quæ sint in hoc observanda *ib.*, 4; regulæ in translatione ex jure hæreditario 554; quomodo ejus exercitium dividi queat *ib.*, 2: quomodo fiat successio in capita, et in stirpes *ib.*, 3; qui succedunt in capita juspatronatus, et lineas determinant *ib.*, 4; pro nominatione majoritas relativa linearum sufficit, nisi sit Collegiale *ib.*: quomodo dirigatur familiare, et gentilitium 555. Jura Patroni 556; ejusdem onera 561. Quot modis juspatronatus amittatur 562; an amissum possit ab Episcopo integrari *ib.*, 8. Quando Papa derogat in toto juripatronatus 563: quando in parte 564; derogatio medietatis vocum *ib.*

L

Laici qui 61. Omnes baptizati subjiciuntur Ecclesiæ 62; nequeunt spiritualia, et mere ecclesiastica negotia tractare 63: quæ specialiter talia sint negotia *ib.*, 1 *et* 2; an in Curiis Episcopalibus adhiberi queant *ib.*, 1.

Laudum 749.

Laudemium 634; in quanta parte consistat *ib.*, quando ad Beneficiatum pertineat *ib.*, 6.

Lectores, eorumque officium 119.

Legati Papæ 134; nati 135; missi 136; a Latere 137: eorum fa-

cultates 138, 1; quomodo cessent *ib.*; eorum decreta sunt perpetua *ib.*, 2.

Legatum 676: distinctio inter profanum, et pium *ib.*; quando hoc validum habeatur 677: quæ res vel facta legari queant 678; cuius sit legati lucrum et damnum *ib.*, 1. Eleemosynæ legatæ quomodo distribuendæ pauperibus *ib.*, 2: quot modis fieri possit 669. Legatum purum post mortem testatoris statim debetur *ib.*; intra quod tempus sit exequendum *ib.*; ad diem, et ex die, vel in diem 680. Legatum conditionale 681; ejus regulæ *ib.* Legatum sub demonstratione, sub causa, sub modo 682. Qualiter legata sic relicta debeantur *ib.*, 1 *et* 2.

Legitimatio personarum in judicio 790 *et* 824, 1: prolis 344. Legitimitas prolis a judice ecclesiastico cognoscenda est 768, 5.

Lex ecclesiastica 29: non potest opponi juri naturali 30. Qui possint leges ferre 31. Lex est promulganda; et subditorum acceptatione non eget 36, 2: ad præterita regulariter non respicit 37; obligat etiam in conscientia 39; quid de lege pœnali *ib.*, 3: quid de lege in facti præsumptione fundata *ib.*, 4. Quomodo lex interpretanda 38. Quomodo cesset 37. Lex dubia non obligat 38, 5.

Lex dioecesana quid contineat 161.

Lex amortizationis dicta 604.

Libellus judicialis conventionalis 773: quibus constet partibus *ib.*; accusatorius 774, et 887, 1: quibus partibus constet *ib.* Pœna talionis non est amplius in usu *ib.*, 3. Conditiones libelli 775: quot modis plus petatur *ib.*, 2: ejus mutatio, vel emendatio 776. Libellus compositionis 899.

Libellus famosus 274. Pœnæ contra eos scribentes *ib.*, 1.

Libri prohibiti 15, 4 *et* 258, 3. Quomodo prohibeantur a S. Indicis Congregatione 930. Libri liturgici 28.

Litteræ testimoniales ad Ordinationem 90; dimissoriæ 91; quando eas queat concedere Vicarius Capitularis *ib.*; requisitoriæ 860.

Liturgia 28. Ejus moderator *ib.*, 8.

Locatio conductio 630. Quis dicatur locator, quis conductor *ib.*, 1; quæ res possint locari *ib.*; quæ operæ *ib.* Locatio operis *ib.*; in quo consistat merces *ib.*; debet esse determinata *ib.*; quid si supervenerit sterilitas vel alia necessitas 631; quomodo determinetur damnum *ib.*, 2. Quid si conductor re locata male utatur, vel mercedem statuto tempore non solvat *ib.*, 4. Locatio facta a Beneficiato quamdiu duret *ib.*

M

Majoritas absoluta, et relativa 190.

Magnetismus divinatorius damnatur 265, 8.

Mandatum est contractus 638; Ejusdem species *ib.*; præsumptum, quando habeat locum *ib.*: quomodo per generale concedi queant, quæ requirunt speciale *ib.*, 5. Ratihabitio mandato æquiparatur *ib.*, 3. Obligatio mandatarii, et mandantis 639. Quæ negotia speciale mandatum requirant 640. Quomodo mandatum cesset per revocationem mandantis 641; per renunciationem mandatarii *ib.*: justæ causæ revocationis, et renunciationis *ib.*, 1 *et* 3; per mortem mandatarii *ib.*; et mandantis, re integra *ib.* excipe mandatum ad causam piam *ib.*; gestione incœpta, non cessat, nisi in clerico gerente pro Prælato *ib.*

Manus mortuæ 604, 1.

Martyrologium 28.

Matrimonium 339, quibus nominibus designetur *ib.*, 1. Est contractus naturalis *ib.*, 2; melius si sit etiam civilis *ib.* Monogamiam instituit, et restauravit ipse Deus 340: polygamiam simultaneam permisit in Veteri Lege S. Patriarchis *ib.*: successivam omnibus in Nova 341; polyandria omnino damnatur *ib.* Matrimonium est sacramentum 342: ejus minister 343; divisio 344: putativum quos effectus habeat *ib.*; præsumptum non valet nisi in locis, in quibus Tridentinum publicatum non fuit *ib.*: quale sit Matrimonium conscientiæ 345: quæ in eo causæ et conditiones requirantur *ib.*, 2, 3, 4 *et* 5: quando celebrandum *ib.*, 6, 7, 8, 9, 10 *et* 11; causæ ob quas potest publicari 346, 3 *et* 4; quod dicatur Matrimonium ad morganaticam 347. Quando Matrimonium sit illicitum, vel nullum (Vide *Impedimenta*). Quæ ejus bona 369. Quando dicatur clandestinum 400 *et* 404. Ejus solemnitas extrinseca 400; intrinseca consistit in præsentia Parochi et duorum testium 404; Quis sit ad hunc effectum proprius Parochus 405 *et seqq.*; quæ observanda circa Parochum 407; quæ requiratur præsentia Parochi *ib.*, 1; non est necessarius ejus consensus *ib.*, 5; quomodo queat suam auctoritatem delegare *ib.*, 6. Quæ circa testes adhibendos 408. Quid de peregrinis, famulis, aliisque 409, 1 *et* 2. Quando clandestinum adhuc validum sit 410: quomodo Matrimonium celebrari queat in terris hæreticorum 411; si impossibile sit ibi habere Parochum

ib., 1; in partibus infidelium *ib.*, 3. Quid agendum si per fraudem contrahatur coram Parocho et testibus 412. Quomodo Matrimonium solvatur (Vide *Divortium*).

Medicina a clericis exerceri nequit sine licentia S. Sedis 85.

Metropolita 142. Ejus jura 147. (Vide *Archiepiscopus*).

Mercatura clericis interdicta 85.

Metus 389. Quando præbeat impedimentum ad Matrimonium 390. Quando irritet contractus 614.

Missa 322. Quotidie potest a sacerdote celebrari, excepto triduo mortis Christi 324; saltem diebus festis, vel aliquoties in anno est celebranda *ib.*; una tantum, nisi ex lege, vel privilegio plures permittantur *ib.*, 2: quæ causæ necessitatis, ut plures permittantur *ib.*, 4; a quo causa probanda *ib.* Quomodo celebratio fiat *ib.*; ejus fructus 325. Celebrans, licite eleemosynam accipit 326 *et* 593, 1: taxa synodalis etiam a Regularibus observanda *ib.* 2; eleemosynam taxata majorem sponte oblatam potest Sacerdos acceptare, non minorem, contradicente Episcopo *ib.*, 3. Definitiones S. Sedis circa Missarum eleemosynas 327. Onera Missarum sunt adimplenda secundum offerentium voluntatem 328. Regulæ observandæ in redituum imminutione 329. Compositio super omissionibus Missarum 330. Earumdem reductio 331, 1: quæ sit justa reductionis causa *ib.*: Reducendi potestatem habet solus Papa *ib.*, nec Episcopus potestatem habere videtur jure ordinario in limite fundationis *ib.*, 4; jure delegato habere solet *ib.*: regulæ reductionum 332.

Missale 28, Quomodo edendum *ib.* 6.

Modus differt a conditione 368 *et* 682.

Monachi 214: eorum divisio *ib.*, qui Mendicantes *ib.*

Monasterium monialium erigi non potest sine licentia S. Sedis 231, 1: quæ ad hoc requirantur *ib.*; suppressum sine licentia S. Sedis non restauratur *ib.*, 2.

Monialis 225. Monialium origo 226. Choristæ quoad officium divinum 227, 1; conversæ quot possint recipi *ib.* Monialium admissio 228; regulariter non ultra numerum *ib.*, 1: quæ ob infirmitatem, vel ætatem excludantur *ib.*, 2: an plures sorores *ib.*, 3. An nova decreta pro receptione Novitiarum in monialibus habeant locum *ib.* 3. Pœna in cogentem, vel impedientem monialem fieri 229. Exploratio voluntatis ad habitum, et professionem *ib.*, 4. Dos constituenda ante receptionem habitus, 230, 2; hæc post mortem

professæ pertinet ad monasterium, et post mortem novitiæ revertitur ad parentes *ib.*, 1; præter dotem licite constituitur *livello ib.*; aliæ exactiones pecuniarum reprobantur *ib.* Quando vota monialium sint solemnia 231. Earum clausura debet esse papalis *ib.*, 3; episcopalis tantum quandoque imponitur *ib.*: ejus effectus quoad egressum et ingressum *ib.*, 7; causæ permittentes egressum 232; permittentes ingressum, 233, non permittentes *ib.*, 1. Quot, et quales personas possit secum introducere in monasterium visitator *ib.*, 2; de quibus fieri debeat visitatio 237. Quæ observanda, ut licitus sit egressus, vel ingressus 234, 3 *et* 4. Confessarius monialium *ib.*, 4. An in monasterium recipi queant educandæ 235. Quibus sub pœnis prohibita sit collocutio cum monialibus 236. Earum visitatio 237, gubernium 238. Non possunt ad aliud monasterium transferri, aut expelli, nisi auctoritate S. Sedis 239. Quando transferuntur a subjectione regularium ad subjectionem Ordinarii frui pergunt privilegiis ordinis *ib.*, 2. Sæcularizatio in monialibus difficillima est *ib.*, 1.

Monitio trina debet præcedere censuram 295.

Mons pietatis 646, 5.

Mulcta 301; quando locum habeat *ib.*, cui assignanda *ib.*; quando queat judex eam infligere 730, 2.

Mutilatio dat irregularitatem 102.

Mutuum 642. Quibus rebus fiat *ib.*; mutuatarius periculum sustinet *ib.*, 2. Quomodo Ecclesia obligetur a mutuo a Prælato contracto *ib.*, 3; Quomodo, et quando aliquid mutuans possit licite percipere ex mutuo (Vide *Usura*). Quibus in contractibus pecunia ad honestum lucrum collocari queat 646.

N

Negotiatio lucrativa clericis interdicta 85.

Neophyti 61.

Notorium 910, facti et juris *ib.*; notorium præsumptionis *ib.* divisio notorii facti *ib.*, 1; quomodo notorium probetur 912, 1, 2 *et* 3.

Novatio 667, 3 *et* 700; quomodo fiat *ib.*; ejus effectus *ib.*

Novitiatus, et Novitius 216; quomodo peragendus *ib.*, *et* 217; quomodo eo tempore novitius possit facere donationes, et renunciationes *ib.* Defectus novitiatus est insanabilis 216, 3. Novitia

decurrente anno novitiatus in periculo mortis potest professionem emittere, et lucrari indulgentias 230, 1.

Nuncius sive cursor, vel apparitor 763.

Nuntii Apostolici 136.

Nuptiæ sunt benedicendæ 360; quomodo fiat hæc benedictio *ib.*, 1; non datur tempore vetito *ib.*; neque secundo nubentibus 341.

O

Obedientia Episcopo debita 78, 5. Obedientia Regularium 219.

Oblationes 592. Observandæ piæ consuetudines aliquid ministris Ecclesiæ offerendi *ib.*; conventiones circa eas damnantur *ib.*; possunt sponte oblatæ acceptari, non possunt extorqueri 593; quid liceat si ex pia consuetudine proveniant *ib.*; moderatæ juxta piam consuetudinem simoniam non continent *ib.*, 2; licet ab initio voluntariæ et facultativæ possunt obligationem parere *ib.*, jure pertinent ad parochum, 594; voluntas et consuetudo potest eas aliis addicere *ib.*; consuetudo decennalis videtur sufficere *ib.* 1. Parochi, canonici, et omnes clerici oblationes pro exequiis accipientes debent eisdem assistere, et pro defunctis orare *ib.* 2; non licet eo tempore Breviarium recitare, vel alias preces *ib.*

Obligatio 618; oritur ex pactis, et contractibus *ib.*; potest esse ex una tantum contrahentium parte, et ab utraque 619: naturalis tantum, civilis tantum, naturalis et civilis simul *ib.*: quem effectum habeat naturalis tantum *ib.* 1. Obligatio antidoralis 659, 3. Quot modis obligatio perimatur 686: quomodo per interitum rei *ib.*; per confusionem 687; per compensationem 688; ejusdem conditiones *ib.*, 1; per præscriptionem (Vide *Præscriptio*); per solutionem (Vide *Solutio*); per novationem 700; per acceptilationem, sive remissionem 701.

Obreptio, et subreptio 50.

Obstetrices baptizant in necessitate 311. Quæ requirantur ab eis *ib.*, 4.

Œconomus 539, 1.

Officiales Episcopi 165.

Officium 188.

Oppositio propter sponsalia inita ad aliud Matrimonium 354.

Oraculum vivæ vocis 40.

Oratorium quotuplex 447; differt a capella *ib.*, 1. Quæ oratoria

dicantur publica *ib.*, 2: qui actus cultus in iisdem exerceantur *ib.*, 3. Nequit Episcopus permittere celebrationem missæ in oratoriis privatis 448: nisi per modum actus ex magna, et urgenti causa *ib.* Casus in quibus Episcopus specialiter potest erigere, et celebrationem permittere in oratorio, et extra Ecclesiam 449. Indulta Apostolica oratorii privati sunt personalia 450: qui sint indultarii *ib.*, 2; excipiuntur solemniores dies *ib.*, 3; quæ præcipuæ indultorum clausulæ *ib.*, 4.

Ordinatio 88: a quo fieri possit *ib.*, 1. Ex quot causis fiat Episcopus proprius *ib. et seqq.* Ordinatio data in ordine minore ab uno Episcopo facit, ne licite recipiatur ab alio in majore *ib.* Pœna Episcopi ordinantis non subditum, et sic ordinati 92; difficiliter in hoc S. Congregatio dispensat *ib.*, 1. Scrutinia ad ordines 93. Tituli ad ordines 94; quando beneficium sit titulus sufficiens *ib.*; quando, et quomodo titulus patrimonii admittatur *ib.*, 6; pœna ordinantis, et ordinati sine titulo 95; Apostolica dispensatio a titulo *ib.*, 5. Locus, et tempus ordinationis peragendæ 96. Ordinatio per saltum 97. Irregulares ordinari non possunt 98.

Ordo est sacramentum 338; ejus minister, et subjectum *ib.*, 2. Ordo sacer dat impedimentum ad Matrimonium 396.

Ordo cognitionum in judiciis 835 *et seqq.*

Ordines regularium (Vide *Regulares*).

Origo quoad ordinationem 89: illa patris attenditur in legitimis, et matris in illegitimis *ib.*, 3.

Orthodoxi, et Heterodoxi 61.

Ostensorium, pixis, et corporalia, etc., quomodo benedicenda sint 468, 1.

Ostiarii, eorumque officium 119.

P

Pactum nudum, et vestitum 609. Pacta nuda obligationem naturalem pariunt 610: pacta vestita etiam civilem *ib.* Simplex promissio vim pacti non habet, nisi post acceptationem *ib.*: excipe in promissione favore causæ piæ, quæ statim acceptatur a Deo *ib.* Reprobatur pactum de quota litis inter clientem et advocatum 617, 3. Pactum de redimendo in venditione licitum est 627; non est licitum tempus apponere intra quod venditor teneatur redimere, vel rem in conductionem accipere *ib.*, 1. Pactum legis

commissoriæ in venditione licitum est 628: illicitum in pignore 646, 4. Quid de pacto additionis in diem 629. Pactum antichresis quando reprobetur 646, 3.

Pallium 143. Ejus significatio 144 *et seq.*

Papa variis designatur nominibus, et plures refert personas 121: est enim loco divi Petri Christi Vicarius, et loco Cæsaris supremus ditionis ecclesiasticæ princeps *ib.*, 1; est summus Ecclesiæ doctor, et infallibilis in definiendis ex cathedra rebus fidei et morum 27; emittit decreta definitiva *ib.*, 8; est judex supremus, a quo non appellatur 124: est supremus in Ecclesia legislator *ib.* Habet in universa Ecclesia primatum honoris et jurisdictionis 123, non habet superiorem nisi Deum 124, non divincitur vi coactiva legibus humanis *ib.*; dispensat in jure ecclesiastico, et interpretatur divinum *ib.*; constituit diœceses, et Episcopos *ib.* Concilium generale, et novas religiones probat, etc. 125. Duplici potestate fruitur ordinaria et absoluta, quæ plenitudo potestatis appellatur *ib.*; consilio Cardinalium utitur 126. Ipse solus ex causa potest pias testatorum voluntates immutare 685; male factas bonorum ecclesiasticorum alienationes sanare 716, 2. Papa maximo amore et honore colendus est 122.

Parochia 202. Parochiæ prius in agris, quam in civitate institutæ 203; succursales 204, 1.

Parochiani 206, 10.

Parochus 202; alia ejus nomina *ib.*; an, et quo sensu queat appellari pastor *ib.*, 1. Est Episcopo inferior *ib.*; ex institutione Ecclesiastica 203, 1. Parochi non sunt successores LXXII discipulorum *ib.* Regulariter unus, et perpetuus instituendus 204, 1; quando plures, vel amovibiles constituantur *ib.* Eorum potestas in foro interno est ordinaria 205; ad quæ se extendat in foro externo *ib.*; connectitur, et submittitur potestati Episcopi *ib.* Eorum jura 206; onera 207; quos debeant detinere libros *ib.*; quando Missam pro populo applicare 208: hæc obligatio afficit omnes curam exercentes *ib.*, 1; per se, si non sint impediti, in parochia *ib.*; quomodo mederi queat omissionibus *ib.*, 2. Quando, et quomodo debeat prædicare 3; alium concionatorem nequeunt absque Episcopi licentia admittere *ib.*, 5; quæ pœna negligentes puniantur *ib.*, 6. Debent Sacramenta ministrare 209; fidei professionem emittere, exemplum præbere, et alia facere *ib.*, 5; in parochia residere 210; quomodo intelligenda hæc residentia *ib.*: habent ex

causa rationabili bimestre vacationis, et ex causa gravi usque ad quadrimestre, relicto Vicario, et de Episcopi licentia *ib.*: quæ causa rationabilis, quæ gravis *ib.*, 2 *et* 3; quibus pœnis queat contra non residentes procedi *ib.*, 4; onus residentiæ extenditur ad omnes habentes curam animarum, ad coadjutorem, et simul coadjutum, et ad œconomos *ib.*, 7. Parochus quoad Matrimonium 404 *et seqq.*

Parrucca adhiberi nequit in sacro celebrando absque licentia sanctæ Sedis 81.

Patriarcha 139; majores, et minores *ib.*; eorum jura 140.

Patrimonium ecclesiasticum in quibus bonis constitui possit 94; in qua quantitate annui redditus sit costituendum *ib.*, 8; constitutum alienari non potest *ib.* Juramentum a testibus præstandum 95, 5,

Patronus quos recipiat honores ab Ecclesia patronata 556: quando ab ea habeat alimenta *ib.*, 3. Præsentat clericum ad Beneficium vacans intra tempus legitimum *ib.*, 4; quem possit præsentare 557; quid si sit minor *ib.*, 2; vel adsit præsentatio principalis, et procuratoris *ib.*: cum bona fide valide præsentat, quamquam sit in sola pacifica quasi possessione præsentandi 558; si hic possessor, et Patronus præsentent, cujus præferenda præsentatio 1; possessio prodest etiam extraneo ad præsentandum admisso 559; si qui Patroni sint impediti negotium perficitur ab aliis *ib.* Quæ sint onera Patroni 561; nequit se ingerere in jurisdictione, et fructibus Ecclesiæ *ib.* Quot modis amittat jus patronatus 562.

Peculatus 273.

Peculium 717; clericorum quotuplex 718; patrimoniale quæ bona comprehendat *ib.*; quid de bonis clerico per testamentum, vel donationem relictis *ib.*; quid de bonis ex illicita negotiatione quæsitis *ib.*, 1. Peculium ecclesiasticum quæ bona comprehendat 719. Quotuplex peculium secundum leges civiles *ib.*, 1; castrense, et quasi castrense pleno jure pertinent ad clericum *ib.*; adventitium ad Episcopum, si clericus sit Episcopus, vel ad sacerdotem, si sit acquisitum post sacerdotium *ib.*; profectitium ad patrem *ib.* Bona clerici mere ecclesiastica 720; necessaria ad sustentationem 721; quid in sustentatione veniat *ib.*; bona industrialia 722. Quid de distributionibus quotidianis, et de redditibus stolæ *ib.*, 2; bona parsimonialia 723. Regulæ pro assignatione bonorum ecclesiasticorum a clericis perceptorum 724; an clerici teneantur superflua

erogare ex justitia, vel tantum ex charitate *ib.*, 2; quid de utensilibus sacris relictis a Cardinalibus, et Episcopis *ib.*; quando erogatio fieri debeat 725; quæ si non fiat. succedit Ecclesia *ib.*; quid si clericus habuerit Beneficia in pluribus Ecclesiis, vel redditus Ecclesiasticos mixtos patrimonialibus *ib.*, 3. Clericus uti potest melioramentis etiamsi renunciet tantum Beneficio *ib.*; quæ observentur in praxi fori externi *ib.*; quo ordine erogatio fieri debeat *ib.*; consanguinei vere pauperes aliis præferendi sunt *ib.*, 6; timorati improbis, cæteris paribus *ib.*, 7; an cives exteris *ib.* Quomodo Beneficii fructus dividantur inter antecessorem, et successorem 726: an fructus inexacti pertineant ad antecessorem, ejusve hæredes, vel ad successorem 727: quid observetur in praxi *ib.* Distributiones, et alia similia emolumenta pertinent ad hæredes *ib.*

Pensio ecclesiastica 530: quomodo imponatur 531: quod discrimen inter impositam a Papa et ab Episcopo *ib.*, 2; inter censum antiquum et novum *ib.*, 3; in quota parte, et in quibus Beneficiis imponi queat *ib.*: ejus relatio ad Beneficium 532: laicis concedi nequit, nisi a Papa *ib.*, 2. Onus clerici pensionarii *ib.*, 3. Causæ legitimæ pensionum 533. Potestas Episcopi in constituendis pensionibus 534, 1; quæ requirantur ad eas constituendas 535. Pensio constituta alienari prohibetur 536: et nunc etiam commoditas ejusdem percipiendæ *ib.* Quot modis pensio extinguatur 537.

Peregrinus quomodo differat a vago 409: an obligetur a legibus locorum 34, 3.

Periti 810: eorum officium *ib.*: quomodo eligantur *ib.*

Permutatio Beneficiorum fieri nequit sine auctoritate superioris 580; facta resolvitur, si alter alterius Beneficium non sit consequutus 581.

Persona 60. Personarum divisio 61. Persona moralis 2.

Personatus 188.

Petitio mutua in judiciis 825, 2; plus petens 775: quomodo hoc contingat *ib.*, 2; pœnæ *ib.*

Pignus 653: quot modis constituatur *ib.*; quibus in rebus, et a quibus constitui nequeat *ib.* Jura et onera dantis, et accipientis pignus 654.

Plagium 273.

Plebanus 202.

Poena ecclesiastica 283. Ecclesia habet jus et potestatem imponendi pœnas *ib.*, 1. Regulæ ad cognoscendum, an pœna sit latæ, vel

ferendæ sententiæ 284; quid intersit inter utramque 285; quando judicis declarationem exigat *ib.* Quæ pœnæ medicinales 286; quæ pœnæ vindicativæ 299, 301 *et seqq.*

Poenitentia ut sacramentum 333: ejus minister, et subjectum *ib.*, 4. Præceptum annuæ confessionis, et pœnæ in transgressores *ib.* Potestas absolvendi a peccatis quomodo detur 334. Quomodo possit Episcopus sibi peccatorum absolutionem reservare 335; delegatus ad reservationes papales nil potest in Episcopalibus *ib.*, 5; reservationes papales propter peccatum 336; propter excommunicationem *ib.*; in Bulla *Cœnæ ib.*, 3; in aliis sacris canonibus *ib.*, 4.

Poenitentiaria Apostolica dispensat super occultis Matrimonii impedimentis 419: in quibus *ib.* 1; ex speciali Papæ commissione quandoque etiam in publicis *ib.* Quæ in supplicatione sint exponenda 420. Formula supplicationis *ib.* 4. Quomodo exequendæ clausulæ rescripti 421; formula dispensationis *ib.*, 3: rescriptum postea regulariter lacerandum *ib.*, 4.

Polygamia 341.

Pontificale romanum 28.

Positio 796, 2 *et* 3: differt ab interpellatione *ib.*, 3; quid possit in positionem deduci 797.

Possessio 693; quasi possessio *ib.*: naturalis, civilis, et mixta *ib.*; quomodo interrumpatur *ib.*; an per denunciationem extrajudicialem *ib.*, 2. Quid operetur in jurepatronatus 558 *et* 559; quid operetur in genere in Beneficiis 566. Regula de annali possessore *ib.*; regula de triennali 567; quibus in casibus non prosit *ib.* 1. quando dicatur pacifica *ib.*; ejus effectus *ib.*, 2; quando quis possessione spoliatur (Vide *Spolium*).

Postulatio in Beneficii 486.

Præbenda 527, 1.

Præceptum 286, 1.

Prælatus inferior 200. Prælatus proprie *Nullius* habet jurisdictionem *ib.*; in quibus limitetur 201.

Præscriptio 689; acquisitiva, et extinctiva conscientiam afficit *ib.*; ejus conditiones 690. Quæ res præscribi nequeant *ib.* Quando adsit bona fides 691; requiritur toto tempore præscriptionis *ib.*: cum dubio non potest inchoari *ib.*; quid si dubium supervenerit *ib.* Qualis sit justus titulus 692 Qualis esse debeat possessio 693., quomodo interrumpatur *ib.*; an per extrajudicialem denunciatio-

nem *ib.*, 2. Quando præscriptio dormiat 694.; tempus dormitionis in complenda præscriptione subtrahitur *ib.* Regulæ de tempore ad complendam præscriptionem necessario 695: quomodo procedat præscriptio triennalis *ib.*; longi temporis inter præsentes, et absentes *ib.*; longissimi temporis *ib.*; præscriptio quadraginta annorum requiritur contra Ecclesiam *ib.*; contra Ecclesiam Romanam centum annorum *ib.* Quæ sit immemorialis præscriptio *ib.*; quomodo probetur *ib.*, 7.

Præsentatio ad Beneficia quid contineat 556; fieri potest toto tempore Patronis ad id concesso 560; si præsentatus renunciet tempus integratur *ib.* Præsentatus examinatur, et habilis repertus instituendus est 556. (Vide *Patronus*).

Præstimonium 533.

Præsumptio 817; juris et hominis *ib.*; differt a fictione *ib.*, 1; quæ sint juris, et de jure *ib.*; quæ juris tantum *ib.*, 2; earum effectus *ib.* Præsumptiones hominis leves, graves, et violentæ 818: earum vis *ib.*; in criminalibus etiam violentæ regulariter probationem non efficiunt 819. Quam præsumptionem inducat notorietas facti et fama 820.

Præventio in judiciis 772.

Presbyteratus 114. Presbyteri sunt Episcopis inferiores 112; succedunt LXXII Domini discipulis *ib.*: eorum officia 116.

Presbyterium Pontificis Summi 127 *et* 916, 1.

Precarium quid sit 647; ejus differentia a precaria, sive precariis *ib.*, 2.

Primas ejusque jura 141.

Primitiæ 589; probantur ab Ecclesia, et a consuetudine determinantur 590; in casu necessitatis primitiæ possunt esse obligatoriæ *ib.*, 2.

Principatus temporalis Summi Pontificis 121, 1; inter bona ecclesiastica principaliter recensetur 599: nis temporibus est Summo Pontifici necessarius 600; est sacer, et legitimus *ib.*, 1; ad jus Ecclesiæ universalis pertinet *ib.*, 2; electus Papa jurat, se salvum et integrum servaturum *ib.*, 4.

Privilegium, ejusque divisiones 41. Discrimen inter privilegium, et jus singulare *ib.*, 1. Privilegium fori 68; non potest per Principes sæculares auferri, neque in toto per Papam *ib.*, 1; potest per Papam limitari 69; non per Principes *ib.*, 2; quas causas non comprehendat 70. Papa potest dare judicem laicum in crimina-

libus 768, 1. Privilegium canonis 71: quæ actiones ejus violationem inducant *ib.*: 3, pœna violatorum 72; qui clerici illud amittant 71, 9.

Probatio 793; plena, et semiplena *ib.*; quæ requiratur in criminalibus *ib.*, 1: directa, et indirecta *ib.*: ex lege, et ex facto *ib.*

Procedura 731. Omnis procedura curiarum sæcularium a jure canonico deducta 735, 1.

Processus *ex informata conscientia* 78; an possit adhiberi in delictis publicis *ib.*, 3. Processus in electione Episcopi, et ejus preconizatio 483.

Procuratio debita Episcopo visitanti, vel ejus delegato 155, 1 *et* 161; quid eo titulo accipere queat 162; quando procurationem petere nequeat *ib.*

Procurator 752: ad lites *ib.*; differentia inter ipsum, et advocatum 753: debet exhibere mandatum 754: quis repellatur, et in quibus causis ab officio procuratoris 755, 2; quando ejus officium cesset 757. Procurator fiscalis (Vide *Fiscalis*).

Professio religiosa 219 expressa, et tacita *ib.*: hæc quandoque ex novis decretis non admittitur *ib.*, 1: solemnis, et minus solemnis *ib.* Remedia professionis nullæ *ib.*, 2 *et* 3. Effectus solemnis professionis 220. Effectus professionis minus solemnis 221; quibus congregationibus, et ordinibus hæc professio adscribatur *ib.*; ex novo decreto professio Regularium virorum in primo triennio videtur minus solemnis *ib.*, 4. Novitia in periculo mortis potest professionem emittere 230, 1.

Professio fidei emittenda a Canonicis cathedralis 182: a parochis 209, 4.

Promotor fiscalis (Vide *Fiscalis*).

Prorogatio causæ 771.

Provicarius generalis 165: an detur appellatio ab ipso ad Episcopum *ib.*, 3: non potest exequi rescripta S. Sedis Vicario generali directa *ib.*

Pubertas quando adveniat 398.

Punctatores a quo constituendi sunt 186. Juramentum præstant *ib.*

Purgatio vulgaris reprobatur 281: quomodo a profanis fieret *ib.*, 1 *et* 818, 1. Purgatio canonica quando habeat locum *ib.*: casus speciales, in quibus admittitur *ib.*, 3: quomodo fiat *ib.*, 4: ejus effectus *ib.*, 6; an Episcopus hunc procedendi modum etiam nunc servare possit *ib.*, 7.

Q

Quæstiones judicii principales, et accessoriæ 835; prejudiciales prius definiendæ *ib.*; quæ tales habeantur 836; incidentes, sive emergentes cognoscuntur a judice causæ principalis 841. Limitatur in judice laico in quæstione spirituali incidente *ib.*, 2; incidentes præparatoriæ prius expediendæ 842; quæ tales sint *ib.*; incidentes extraneæ coram quo judice tractandæ 843; quid in concursu quæstionis criminalis et civilis *ib.*, 1.

Quæstores eleemosynarum pro Missis 327.

Querela 864; nullitatis sententiæ a quo cognoscatur 884. 2.

R

Rapina 273.

Raptus ad contrahendum Matrimonium 391; quando afferat impedimentum dirimens 392; pœnæ raptorum et cooperantium *ib.*, 1 *et* 2; quæ observanda circa raptum *ib.*, 3. Raptus seductionis Matrimonium non irritat 393; an hoc impedimentum contrahatur quando fœmina rapit virum 394.

Rector 202.

Reconventio 771 *et* 825, 2; non admittitur in criminalibus *ib.*

Recusatio judicis suspecti 744 *et seqq.*

Reductio super oneribus Missarum 331 *et seq.*

Regium placitum, vel *exequatur* 44, 5.

Regula de annali 566; de triennali 567; regulæ Cancellariæ Apostolicæ 16.

Regularis 211. Requisita ad constituendum Regularem *ib.*; Regularium institutio 212; eorum diversæ appellationes *ib.*; præcipuæ eorum regulæ *ib.*; quomodo a statu laicali ad clericalem processerint 213; quomodo dividantur 214. Qui prohibeantur a suscipienda vita Regulari 215; quomodo dandæ litteræ testimoniales Ordinariorum *ib.*, 11; quæ, et quot scrutinia sint necessaria *ib.*, 11; debent complere novitiatum 216, quæ in eo peragendo observanda *ib.*; 3 *et* 4. Monasterium præter victum, et vestitum nil potest recipere, et ab eo recepta novitio egredienti sunt restituenda *ib.* Quomodo novitius possit facere donationes, et renunciationes 217; quomodo, peracto novitiatu, transire ad professio-

nem 218: quid, et quotuplex hæc sit 219 (Vide *Professio*). Regulares sunt exempti a jurisdictione Episcopi 220; exemptio cessat in parvis conventibus *ib.*, 5. Regulares habentur tamquam civiliter mortui *ib.*; acquirunt monasterio *ib.*; non possunt ejici ab Ordine, nisi sint vere incorrigibiles 222; processus, et causæ incorrigibilitatis *ib.*, 1: emendati, sunt iterum in Religione admittendi *ib.*; non possunt jure novo transire ad Ordinem etiam strictiorem sine licentia S. Sedis 223; possunt a S. Sede ex justa causa sæcularizari 224. Conventus, et monasteria votorum solemnium erigi tantum possunt a S. Sede *ib. et* 231, 1; eadem a sæculari potestate suppressa in pristinum remitti *ib.* Regulares quoad ordinationem dependent ab Episcopo loci 90, 3; ordinantur ad titulum paupertatis 94. Quando contra Regulares procedat Episcopus 160.

Religio 18.

Renunciatio in Beneficiis 573; quomodo debeat esse libera *ib.*; quæ sit tacita *ib.*, 3 *et* 4; expressa quot modis fiat *ib.*; quæ habeatur conditionalis *ib.*; quæ fieri dicatur cum jure regressus, ingressus et accessus *ib.*, 5. Causæ justæ pro resignatione Episcoporum 574, 3; ministrorum inferiorum *ib.*, 4. Quando renunciatio interdicatur ratione Beneficii 575; quando ratione personæ 576. Quid de renunciatione necessaria *ib.*, 2. Regula de viginti *ib.*, 3. Renunciatio est a legitimo superiore acceptanda, alias non valet 577; quis legitimus superior *ib.*; facta coram laico non valet *ib.*, 1; quomodo fiat in favorem tertii 578; Papæ auctoritatem requirit *ib.*; an Episcopus rejecta conditione favoris possit eam acceptare simpliciter *ib.*, 1; an resignans queat saltem aliquem commendare Episcopo *ib.* Renuntiatio facta cum reservatione pensionis, aut alterius oneris non valet, nisi a Papa probata 579; modica datio ad redimendam vexationem non videtur improbata *ib.*; cum permutatione fieri nequit sine Superioris auctoritate 580. Effectus renunciationis puræ et conditionatæ 581; si Episcopus renunciaverit tantum Beneficio, potest adhuc licite exercere actus ordinis *ib.* Renunciationes Beneficiorum de jure sunt publicandæ 577, 3.

Replicatio, duplicatio, etc., 821, 1.

Repudium 428.

Res 303. Rerum divisiones *ib.*; Deo dicatæ tamquam extra hominum commercium sunt *ib.*, 1; fungibiles, et non fungibiles 642, 1.

Res judicata 856; non resolvitur per instrumenta postea reperta *ib.*, 3; quæ sententiæ non transeant in rem judicatam *ib.*, 4; effectus rei judicatæ in foro conscientiæ 857.

Reservatio excommunicationis et interdicti in articulo mortis cessat, non vero suspensionis 297, 4. Reservatio papalis quando cesset ob magnam, et urgentem necessitatem *ib.*, 5. Qui habeantur impediti Romam se conferre *ib.* Reservatio Beneficiorum *ib.*, 503; jus in Papa ad reservationes *ib.* 1; praxis reservationum *ib.*; de tacita reservatione (Vide *Affectio*). Reservationum divisio *ib. et* 505, 3; reservatio clausa in corpore Juris 506; an idem sit reservatio apud Sedem, et in Curia *ib.*; reservatio regulæ primæ Cancellariæ 507; regulæ secundæ 508; quid de Beneficiis ab Episcopo ob mortem non collatis *ib.*; quid de vacantibus. defuncto Papa *ib.*: regulæ tertiæ 509: pœnæ contra violatores regulæ *ib.*, 1: regulæ quartæ *ib.*; quæ dicatur major dignitas *ib.*, 2: regulæ quintæ, sextæ, septimæ et octavæ *ib.*; regulæ nonæ, sive regulæ mensium 510; quæ Beneficia non comprehendantur sub regula *ib.*, 1; indultum alternativæ *ib.*, 2: indulti acceptatio in mense Apostolico, vel in mense Ordinarii quid operetur *ib.*, 3; quomodo Episcopus debeat residere ut fruatur alternativa 511, 1; eius absentia non privat jure conferendi mensibus junii et decembris *ib.*; Beneficia a se erecta in suo mense, et alia sibi debita valide confert etiam in mense Apostolico *ib.*, 2; quando alternativa cesset *ib.*, 3; quibus in casibus regula non habeat locum, et Episcopus libere disponat 512. Beneficia libera, vacante sede Apostolica, a novo Papa reservantur *ib.*, 1. Quorum renunciationes possit Episcopus acceptare *ib.*, 2. Quæ Beneficia reserventur in posterioribus Summorum Pontificum Constitutionibus 513.

Residentia Episcoporum 152; item Canonicorum 176; et Parochorum 210.

Rescriptum 40; quot partibus constet 42: quomodo dividatur 43: a quo dari, et a quibus obtineri queat 44; qualiter excommunicatis prosit *ib.*, 4; quomodo recognoscendum. et exequendum 45; ejus interpretatio 46; executio 47 *et seq.*; ejus clausulæ obreptio, et subreptio 50 *et seqq.*; quando cesset 53.

Restitutio in integrum 883; a quo detur *ib.*: intra quod tempus proponenda *ib.*: quibus ex causis in majore et minore *ib.*, 3.

Revalidatio Matrimonii 425.

Reus 751; ejus partes in judicio *ib.*, 2. Jura rei contra actorem

contumacem 787; actore non probante, reus absolvitur 792, 1; excipiendo fit actor, et exceptionem probare debet 792; ejus negatio simplex, vel coarctata *ib.*

Revisio sententiæ 884.

Ritus Sacramentorum 308; eorum institutio 28.

Rituale Romanum 28.

Rota Romana 916, 2; ejus auctoritas, et procedura *ib.*; nunc limitatæ ejus facultates *ib.*

Rubricæ corporis juris 14, 3.

S

Sacerdos exterus sine commendatitiis sui Episcopi ad celebrandum admittendus non est 78, 7 *et* 116.

Sacerdotium et sacerdotes 114 *et seqq.*; eorum officia 116.

Sacramentum 304: quæ ad ipsum necessaria *ib.* Sacramenta Ecclesiæ quomodo differant a Sacramentis antiquæ legis *ib.*; quomodo a sacramentalibus 305. Septem Ecclesiæ Sacramenta 306: eorum materia et forma 307; quæ concurrere debeant in ministro 308; ministri improbitas Sacramenti effectum non impedit *ib.*; numquam licet Sacramenta simulate conficere *ib.*, 2; vel ministrare cum opinione probabili *ib.*, 3. Quæ concurrere debeant in subjecto 309.

Sacramentalia 305.

Sacræ Congregationes efficiunt Senatum, et Vicariatum Papæ 917; Apostolicam, et ordinariam habent potestatem *ib.* Quomodo sacræ Congregationes componantur *ib.* 1: eorum potestas durat, defuncto Papa, et confirmatione non egent *ib.*, 4 (Vide *Congregatio*, *Judicia*, etc.).

Sacrilegium quid et quotuplex 264. Ejus pœnæ *ib.*

Schisma 259; ejus divisio *ib.*; ejus pœnæ *ib.*

Scrutinium ad Beneficia majora 482; triplex ad ordines recipiendos 93; duplex ad vitam regularem 215, 11.

Secularizatio Religiosorum 224.

Secta damnata liberorum muratorum 254.

Sententia 849; quotuplex *ib.*, 1; differentiæ inter definitivam et interlocutoriam *ib.*, 2; inter condemnatoriam, et declaratoriam 285; proferenda est secundum leges 850; lata contra leges nulla est *ib.*; qui eam sic profert, litem suam facit *ib.*; an judex eam

proferens debeat decidendi motiva exponere 851; an queat condemnare ex allegatis reum, et ex sua scientia innocentem *ib.*, 1; proferenda secundum acta, et probata 852; regulariter debet libello conformari *ib.*, 1; finis controversiæ per eam imponi 853. Quando victus victori sit in expensas damnandus *ib.*; in judicium veniunt tantum expensæ necessariæ *ib.*, 2; hæ per judicem sunt taxandæ *ib.*; victoria in re affert restitutionem fructuum saltem a die petitionis *ib.* Quomodo sententia ferenda 854; usque ad medietatem hujus sæculi in Liguria sententia definitiva ferebatur sermone latino in cedula danda 848 *et* 854; interlocutoria, et provisionalis ferebatur habendo terminum *pro servato* 848; a die pronunciationis ad acta cedulæ intra xxx dies erat publicanda, et terminus *pro servato* intra decem dies aperiendus *ib.*; his diebus elapsis, et publicatione non facta, necessaria erat nova citatio *ib.* Sententia lata post decem dies transit in rem judicatam, si ab ea non sit appellatum 855; hi decem dies incipiunt a die pronunciationis ad acta cedulæ dandæ, vel *pro servato* juxta citatum Liguriæ morem, vel a die publicationis coram partibus *ib.*; hoc decem dierum spatio judex, citatis partibus, potest sententiam suam declarare *ib.*, 2. Sententiæ revisio 884.

Separatio conjugum (Vide *Divortium*).

Septimus Decretalium suppressus 15, 1.

Sepultura cadaverum ubi olim, et nunc danda sit 461; quæ observanda in tumulatione 462. Sepultura quotuplex 463; electa prævalet omnibus *ib.*; qui possint eligere *ib.*; Regulares circa eam nequeunt pacisci *ib.*; gentilitia prævalet parochiali 464, quomodo queat alienari *ib.*; in parochiali admittitur quisque parochianus 465. Quibus ecclesiastica sepultura interdicatur 466. Defuncti Parocho, regulariter portio canonica debetur 465.

Sequestrum 651, 1.

Sextus Decretalium 12.

Silentium Pontificis super abusibus populi 56, 10.

Simonia 261; ejus divisio *ib.*; ejus pœnæ 262; in professione religiosa *ib.*; in Ordinum collatione *ib*; in Beneficiis *ib.*; confidentialis quomodo committatur, et quomodo differat ab aliis simoniæ speciebus *ib.*

Simulatio Sacramentorum vetita 308, 2.

Societas ut contractus 636; quas conditiones requirat *ib.*; quomodo dissolvatur 637; an possit dissolvi voluntate unius *ib.* Ex ea honestum lucrum ex pecunia licite percipitur 646, 5.

Sodomia 279; ejus pœnæ *ib.*

Sollicitatio in Confessione 264: ejus pœnæ *ib.*

Solutio 696: quomodo facienda *ib.*; in Beneficiis non licet solvere annatas anticipatas *ib.*; alius pro alio potest debitum solvere *ib.*; non tamen Beneficiatus ex bonis Ecclesiæ *ib.* Quando successor in Beneficio teneatur solvere debita antecessoris 697. Debita clericorum, si alia bona non sufficiant, solvenda sunt ex eorum stipendiis Beneficiorum 698: salva tamen debet esse eorum sustentatio 699.

Sortes quando illicitæ 265.

Sortilegium 265; ejus pœnæ *ib.*, 9.

Spolium 837. Spoliatus quis dicatur *ib.*, 1; quis spolii reus *ib.*, 2. Jura spoliati contra spoliantem 838: spoliatus ante omnia mittendus est in rei possessionem 839: quid si hoc fieri nequeat *ib.*, 1; quid ad hoc demonstrare debeat spoliatus *ib.*; casus in quibus reintegratio non habet locum 840.

Sponsalia 348: conditiones consensus ad ea ineunda 349; eorum incapaces ex jure naturali 350: quid de impuberibus *ib.*, 3; ex jure ecclesiastico 351: quid de filiis-familias *ib.*, 4; quomodo contrahantur 352: quæ conditiones requirantur in procuratore *ib.*: pœnæ reprobantur, non arrhæ 353. 3. Effectus sponsalium 354: quomodo desponsatus queat se opponere ad alterius statum liberum *ib.*: quomodo cogendus sit refractarius ad sponsalia adimplenda *ib.*: 4. Quot modis sponsalia inita queant dissolvi 355: quid si tempus iisdem adjectum sit *ib.*, 8: quæ sit gravis mutatio *ib.*, 11. 12. 13 *et* 14: an per fornicationem sponsalibus præcedentem, et ignoratam *ib.*, 13: ex culpa sponsalia solvuntur solum favore innocentis 356. Quando sponsalia privata auctoritate solvantur, et quando publica sit opus 357; qualis pro eorum confirmatione, vel dissolutione probatio requiratur *ib.*, 2.

Status liber ad Matrimonium 363.

Statuta circa collationem Beneficiorum 491.

Stuprum 278; ejus pœnæ *ib.*, 1 *et* 2.

Subdiaconatus 118. Subdiaconi tenentur continentiam servare et horas canonicas recitare *ib.*

Summaria precum 928; actorum 920.

Summus Pontifex (Vide *Papa*).

Suppellex Ecclesiæ quæ 468: a quo benedicenda *ib.*, 1.

Supplicatio ad Papam post sententiam 884: quando possit proponi *ib.*, 1; an post confirmationem *ib.*

Suspectus de hæresi 252 *et seq.*

Suspensio 290; ejus divisio *ib.*; effectus *ib.*, 1, 2, 3 *et* 4 *et* 292. Discrimina inter suspensionem ut censuram, et ut pœnam vindicativam 291 *et seq.*, 2.

Sustentatio honesta clerici 524, 5.

Syndaci Monasteriorum 756.

Synodus (Vide *Concilium*).

Synodaticum subsidium 161.

T

Termini judiciorum 828; ad deliberandum, probandum, et exequendum *ib.*; alii dantur 829, 2; quantum temporis comprehendant *ib.*; regulariter omnis terminus est peremptorius 830. Termini fatales appellationis 872; terminus ad interponendam appellationem est decem dierum *ib.*; quando incipiat decurrere *ib.*, 1; ad petendos Apostolos triginta dierum 873; ex moribus annus datur ad introducendam appellationem 874; biennium ad eam terminandam 875.

Tertiarii, et tertiariæ 65, 214, 3 *et* 240, 1; a quo illis regulæ sint constituendæ 243: quid si vivant seorsim in sæculo 244, 3.

Testamentum 668: an committi queat in alterius voluntatem *ib.*, 4: solemne, et privilegiatum *ib.*, 2; solemnitates internæ *ib.*, perfectum, et imperfectum *ib.*: quando dicatur ad piam causam conditum *ib.*, 3 *et* 4; hoc est privilegiatum 669; ad hujus validitatem requiritur tantum, ut de voluntate testatoris constet 670. Qui sic recipit potest sibi in conscientia retinere *ib.*, 1; quid de hærede dispositionis inscio *ib.* Qui prohibeantur testari etiam ad pias causas 671; inhabilitas Regularium durat etiam dimisso habitu, vel suppressa Religione, nisi a Papa habilitentur *ib.*, 3. Clerici queunt testari de bonis patrimonialibus et industrialibus 672: de bonis ab Ecclesia acquisitis in causam piam, non in profanam *ib.*; Cardinales, Episcopi, et curiales Romani ad hoc habent privilegium *ib.*, 3: an consuetudo tale privilegium dare queat *ib.*, hoc in Gallia realiter tribuit *ib.* Clerici nihil testamento relinquere possunt heterodoxis etiam consanguineis 673; pœnæ contra facientium *ib.* Qui nequeant ex testamento accipere *ib.*; quid de Regularibus S. Francisci *ib.*; in testamento pio valide instituuntur personæ incertæ 674. Administratio recte committitur in arbitrium tertii *ib.*:

cum non valet in causam profanam adhuc sustinetur in causam piam *ib.*; sed sine præjudicio portionis legitimæ 675; ejus quantitas petenda a legibus civilibus *ib.*, 1.

Testis 805. Quanta testium auctoritas *ib.*, 2; quot requirantur ad plenam probationem 806; unus regulariter plene probare nequit *ib.*; idem si testes sint singulares *ib.* Testium citatio 807, 1; juramentum coram parte adversa *ib.*: examen *ib.*, *et* 808. Ante litem contestatam regulariter testes examinari nequeunt 785; nisi pro reo ad perpetuam rei memoriam *ib.*: probatorii, et reprobatorii 808. Quando proponendæ contra testes exceptiones et repulsæ 809. Qui testes esse nequeant *ib.*

Testimoniales litteræ ad Ordines 90.

Titulus ordinationis 94 *et seqq.* Titulus coloratus 567.

Tonsura clericorum 79. Tonsuratorum onera et jura 120.

Traditio ejusque divisio 54, 1, discrimen inter divinam et humanam *ib.*, 4; quæ habenda, ut divina *ib.*

Transactio 664; quando non valeat *ib.*; quando deceat, ut judex transactionem consulat *ib.*, 1. Prælati et Beneficiati nequeunt de rebus Ecclesiæ transigere, nisi observatis juris solemnitatibus 665; quid si transigant absque solemnitatibus *ib.* Quibus de rebus interdicatur transactio 666: licet non valeat super Matrimonio, valet de sponsalibus *ib.*, 3; non admittitur in Beneficialibus *ib.*; lites de his possunt gratis, et amicabiliter componi *ib.* Quando aliquid possit dari ad redimendam vexationem *ib.* Transactionis effectus 667.

Translatio de uno in aliud Beneficium improbatur 580; quomodo puniantur qui audent hanc sua auctoritate facere *ib.* Solus Papa transfert Episcopos *ib.*; Episcopus minores Beneficiatos, sed regulariter tantum post quinquennium, vel triennium ab adepto Beneficio 576.

Tributa realia, et personalia 74.

Tridentinum Concilium 15, 4.

Tutela, et curatela extraneorum Clericis interdicta 74, 7. An idem procedat in executoribus testamentariis *ib.*

U

Unio Beneficiorum 515 (Vide *Beneficium Ecclesiasticum*).

Unctio-extrema 337.

Usucapio 689, 1.

Usura 643; 1; omni jure prohibetur 273, 5. 6, 7 *et* 643; hoc intelligitur de lucratoria *ib.*, 5 *et* 273; quibus pœnis puniatur usurarius *ib.*; idem non currit in compensatoria 644. qui sint ejus justi tituli *ib.*; an sit justus titulus pactum pœnale ob moram debitoris *ib.*; an lex civilis *ib.*; quæ sint hac de re decisiones S. Congregationis *ib.*, 8; qui sint spurii tituli usuræ 645; quando usura palliata committatur in emptione et venditione 646; quando in antichresi *ib.*, 3; quando in cambio *ib.*, 5.

Uxor quoad separationem a viro 433 *et seqq.* Quando sævities causam separationis præbeat 434; quomodo in causa procedatur 437.

V

Vacatio in Beneficiis quot modis contingere possit 565. Quæ novæ institutioni locum tribuat 568: unde procedat legitima privatio 569.; quando oriatur ex facto *ib.*; quando ex delicto 570; facti vel delicti sententia declaratoria regulariter requiritur *ib.* Quando sententia condemnatoria locum tribuat novæ institutioni 571; ob quæ delicta queat pronunciari *ib.*, 1. Cautela adhibenda; ne privatio fiat spolium *ib.*, 2. Discrimen inter sententiam declaratoriam, et condemnatoriam 572, 1.

Vagus 409.

Venatio clericis interdicta 87.

Viaticum 318, 1.

Vicaria in Beneficiis 538: quando eam possit constituere Episcopus 539: quomodo in absentia Parochi *ib.*, 2: in adjumentum Parochi *ib.*, 3; in parochia Capitulo unita *ib.*, 4: in Ecclesia filiali *ib.*

Vicarius 163. Beneficialis et jurisdictionalis *ib.*; in Beneficialibus jus habet ad congruam portionem fructuum 539, 2, 3 *et* 4; quanta ea esse debeat *ib.*; si sit perpetuus quomodo instituendus et quæ sua jura *ib.*, 6. Differentia inter vicarium, et coadiutorem 540.

Vicarius Capitularis unus eligendus 196: quid de Galliæ consuetudine eligendi plures *ib.*, 1; quis assumendus 197; non is, qui a sæculari potestate nominatus fuit Episcopus *ib.*; ejus potestas 198; non comprehendit quæ Ordinis sunt *ib.*; quæ fuerunt Episcopo personaliter deligata *ib.*, 4; an quæ fuerunt Episcopo concessa tamquam Apostolicæ Sedis delegato, vel ex consuetudine, aut privilegio *ib.*, 5; non comprehendit facultatem conferendorum Beneficiorum 199; alienandi bona Ecclesiastica, exceptis quæ servando servari non possunt, et levioribus *ib.*, 3; mutandi jura Ecclesiæ, et Episcopi *ib.*; alia comprehendit, quæ respiciunt forum internum, et externum 198; probare, et revocare confessarios, indicere concursum ad parochiales vacantes, et S. Sedi referre *ib.*, 6. Quando Vicarii Capitularis officium cesset 196 *et* 199, 5.

Vicarius Episcopi natus, et datus 163. Vicarius generalis 164; quomodo constituendus ad omnem jurisdictionem Episcopi exercendam *ib.*, 2; an omnino debeat residere in civitate Episcopi *ib.*, 1; an sit necessarius 165, 1; jure antiquo ad id requirebatur consensus Capituli, qui ex consuetudine non amplius requiritur *ib.*, 166, 2; quas debeat habere qualitates 167; si non sit doctor in Jure Canonico dandus ei assessor *ib.*, 2. Vicarius generalis regulariter nequit esse Parochus *ib.*, 6; pœnitentiarius, frater aut nepos Episcopi *ib.*, 7. Regularis *ib.*, 8; immo et civis *ib.*, 9. Quæ possit, aut nequeat peragere cum mandato generali 168 *et seq.*; quæ non possit Episcopus ei delegare 170; tale specialiter est pronunciare sententiam in causa hæresis, et processus *ex informata conscientia ib.*, 6 *et* 7; habet jurisdictionem ordinariam 171; modo commissio sit conjuncta cum officio Vicarii, et mandatum non sit nimis limitatum *ib.*, 7; potest delegare, et ad modicum tempus alium sibi substituere 172; non tenetur exhibere in decretis exemplar sui mandati, sed sufficit publicare in Capitulo *ib.* *et* 163, 1; ab eo ad Episcopum non appellatur 172. Quot modis Vicarius generalis cadat ab officio 173; quibus ex causis possit revocari *ib.*, 2; ejus dignitas, et habitus *ib.*, 3.

Vicarius foraneus 174; ejus origo *ib.*; modica jurisdictio *ib.*

Vidua non accipit benedictionem nuptialem 341; quomodo transeat ad aliud Matrimonium *ib.*, *et* 363, 3.

Vis et metus 389.

Visitatio diœcesis infra quod tempus sit absolvenda 155; 1; a

quo perficienda *ib.*; quæ in visitatione inspicienda *ib.*. 2; quæ Ecclesiæ, et loca visitanda 156. Quomodo visitentur Monasteria *ib.*, 4. Modus procedendi in visitatione 157; pœnæ ordinariæ non sunt infligendæ *ib.*, 2; a decretis in visitatione factis non datur suspensiva appellatio, nisi visitans maluerit Ordinem judiciarium servare *ib.*, 3; consultius est processum ordinarium differre *ib.*, 1 *et* 2. Visitans exigere potest procurationem (Vide *Procuratio*). Visitatio monialium 237.

Votum quid et quotuplex 370: solemne per professionem religiosam solvit Matrimonium ratum contractum, et dirimit contrahendum *ib.*; per sacrorum Ordinum susceptionem dirimit contrahendum *ib.*; simplex tantum impedit *ib.*, *et* 360. Quid de voto emisso in Societate Jesu 370. Vota emissa in Ordinibus Regularibus nunc suppressis, quomodo habenda sint 224, 3.

INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBER PRIMUS.

TITULUS I.

DE JURE IN GENERE, ET DE JURE CANONICO IN SPECIE.

SUMMARIUM: 1. Quid et quotuplex sit Jus. — 2. Divinum naturale et gentium. — 3. Positivum vetus et novum. — 4. Humanum ecclesiasticum et civile. — 5. Canonicum scriptum et non scriptum. — 6. Civile commune.

1. Vocabulum Jus a *justitia*, vel a *jubendo* deductum a Jurisconsultis ambigue ponitur; nimirum pro lege, et pro libro, in quo leges continentur; pro judicis sententia, et pro loco, in quo judicatum fertur; pro vinculo necessitudinis, et pro morali facultate aliquid agendi; pro debito justitiæ, et pro ipsa arte et scientia boni et æqui (1). Sed vere Jus est, quod justum ex lege et ratione emergit (2), quodque potentiam ex Deo in hominem derivatam involvit, ut se in via justitiæ regere et tueri possit, et ut sit felix in terris, et beatus in cœlis (3).

Jus dividitur in *divinum* et *humanum* (4). Divinum Deum habet auctorem; ex quo cognoscitur quanta ejus sit rectitudo et auctoritas: hoc verum jus per essentiam, cætera vero jura sunt per ejus participationem (5). Jus autem humanum auctores habet homines, quos ipse Deus in Ecclesia, et Republica constituit legum sanctores, juxta illud: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt; per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam* (6).

(1) Anacl. Reiffenstuel Jus can. univ. in proœ. n. 5. — (2) Can. 2. dist. l. — (3) Ideo tamquam absurdæ, et omnis juris, ac societatis subversivæ notatæ fuerunt sequentes duæ propositiones: *Jus in materiali facto consistit, et omnium hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent. Fortunata facti injustitia nul-*

lum juris sanctitati detrimentum affert. Syllabus propos. 49 et 51. — (4) Eman. Gonzales Com. in Decret. in app. n. 2. — (5) Propterea jus divinum in Gratiani decreto appellatur *Fas,* quod explicatur a Glossa per æquum et licitum sua natura; et ex moribus humanum jus constat. Can. 1. dist. 1. Jus divinum est jus constituens, imprimens, fons et origo cujuscumque juris constituti, est æternum quid mundum universum ordinans et regens imperando, et prohibendo, a quo norma omnium legum humanarum sumenda est, ut agnoscatur quid recte, aut perperam in his constitutum sit, quia juxta D. Paulum ad Rom. 13: *Non est potestas, nisi a Deo.* Unde juxta S. Augustinum l. 1. de lib. arb. c. 5: *In temporali lege nihil est justum, quod non ex lege æterna homines sibi derivaverint.* Ideo illa merito dicitur bene ordinata Respublica, in qua cives magistratibus, magistratus legibus, et leges parent æternæ legi Dei; et in Republica, atheorum, et materialistarum nullum esse potest jus, sed bruta vis. V. Syllab. prop. 1 et 2. — (6) Prov. 8.

2. Juris divini duas constituimus species, nempe *naturale* et *positivum.* Jus naturale a natura procedens *est ipsa voluntas Dei hominibus per rectam rationem publicata præcipiens intrinsece bona, et prohibens intrinsece mala sub præmii, et pœnæ sanctione.* Dicitur *voluntas Dei* quia jus obligat, et ex antecedenti sive ex natura nemo potest nos obligare, nisi Deus naturæ creator: dicitur *hominibus,* quia jus naturale morale non animalibus, sed hominibus tantum constituitur: dicitur *per rectam rationem publicata,* quia medio rationis omnes homines ita eam agnoscunt, ut nequeant ejus ignorantiam prætendere (1): dicitur *præcipiens intrinsece bona, et prohibens intrinsece mala,* quia in hoc differt a legibus humana voluntate constitutis, dum ea quæ præcipit, vel prohibet, præcepta, vel prohibita sunt in se, et suapte natura ante quamcumque hominum reflexionem et ordinationem: dicitur demum *sub præmii, et pœnæ sanctione,* quia ejus observatoribus et transgressoribus sunt respective constituta præmia, et pœnæ, et quidem temporales in animi voluptatibus, vel conscientiæ anguoribus, ac æternæ in gaudiis, vel suppliciis (2): omne enim jus et lex sanctionem requirit, ne impune violari, aut perperam observari queat, aut debeat (3).

Jus naturale Dei existentiam, et providentiam demonstrat, ac simul hominis libertatem, et immortalitatem probat: nam præmia, pœnæque non sanciuntur nisi libere agenti, et æternæ esse nequeunt, nisi anima hominis sit

immortalis. Juxta triplicem naturalium officiorum divisionem, in ea nimirum, quæ dantur erga Deum, erga se ipsos, et erga alios, tria sunt ejus primaria præcepta: 1m Religionem præcipit: *Deum cole* (4): 2m Honestatem vitæ commendat: *Declina a malo, et fac bonum* (5): 3m Justitiam et amorem erga alios imperat: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias, et vicissim* (6). Qualitates denique, quibus ab aliis juribus distinguitur sunt, ut sit necessarium, universale et immutabile (7).

Ex jure naturali ope rationis effectum est *Jus Gentium*, quod est ipsum jus naturale non singulis hominibus, sed populis, gentibus, imperiis, eorumque principibus accommodatum pro mutuo commercio, mutuisque imperiorum commodis. Est profecto populus, aut natio persona moralis, quæ ad alias habet et jura, et obligationes: et ideo ut datur jus naturale *hominis;* ita dari debet jus naturale *imperii,* sive jus Gentium (8). Unde a vero toto cœlo aberrant, qui jus Gentium, sive jus *Internationale,* ut nunc dicunt, admittunt a nullo jure naturali informatum, idque habent tamquam originem et fontem omnium jurium (9).

(1) Sed humana ratio sine prævia voluntate Dei non sufficit ad Jus naturale constituendum. Ipsa plane instrumentum est publicationis juris, non ipsum jus, quod non in se, sed in Deo tantum videre potest. Ideo sequens merito notata fuit rationalistarum propositio: *Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter; sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum et populorum bonum curandum sufficit.* Syllab. prop. 3. — (2) Pœnæ et præmia æterna in divina revelatione habentur, cum ex ratione liquido constet, non esse vitium sibi sufficiens supplicium, neque virtutem sibi præmium sufficiens. — (3) Unde propositio contraria ita concepta: *Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est, ut humanæ leges, et naturæ jus confirmentur, aut obbligandi vim a Deo accipiant,* nuper damnata fuit. Syllab. prop. 56. — (4) Deuter. c. 5. et Joan. c. 4. — (5) Prov. c. 3. — (6) Tob. 4 et Matth. c. 7. Tria hæc præcepta respondent illis tribus, quæ fuerunt a Justiniano imperatore edita, scilicet, honeste vive, neminem læde, suum cuicumque tribue, § 3. Inst. de Just. et jur.; et sunt per se evidentia. At vehementer dolendum, perditos nostri temporis homines his justissimis principiis alia falsa, et infensissima substituisse, scilicet divino cultui Atheismum, et indifferentismum, ut patet ex Syllab. prop. 1, 2 atque 15. Vitæ honestati epicureismum et materialismum, cit. prop. 1 et 58: et justitiæ ac amori proximorum pu-

rum scepticismum prop. 59 et 64. Ita enim effutiunt: *Aliæ vires non sunt agnoscendæ, nisi illæ, quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis, ac in voluptatibus explendis.* Cit. prop. 58. *Omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent*, cit. prop. 59; et alia similia, quæ aures audire recusant. — (7) Joan. Ant. Zallinger Inst. Jur. eccl., c. 2, n. 29. — (8) Gratianus ad jus Gentium revocat sedium hostilium, seu vacantium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, et connubia inter alienigenas prohibita, scilicet inter Christianum et gentilem, aut judæam, aut hæreticam. Can. 3, dist. 1, et can. 15, c. 28. 9. 1. — (9) Syllab. prop. 39.

3. Jus divinum positivum ita dictum, quia fuit præter jus naturale positum est *voluntas Dei hominibus per revelationem publicata, qua agnoscimus aliqua esse facienda, quia præcepta, et aliqua esse fugienda, quia prohibita.* Hoc iterum jus divinum necessarium est, et divina revelatione necessario manifestandum. Profecto ipsum jus naturale, et humana ratio nequit per se omnes religionis veritates certo determinare: non enim certo docet, quomodo, et quibus sacrificiis sit Deus colendus, et quomodo homo post peccatum queat Deo reconciliari, quæ primaria sunt, et magis necessaria religionis principia (1). Ergo cum nullo alio modo hæc cognosci certo queant, quam divina revelatione, ipsa divina revelatio est necessaria, et necessaria eo modo, ut omnes veritates hominibus in negotio religionis necessarias edoceat. Deus autem in necessariis non deficit; ideoque revelatio in Ecclesia catholica, quæ sola vera Dei Ecclesia est, facta, et publicata perfecta et absoluta esse debet, sicuti vere est. Unde calumniis ludunt, qui Ecclesiæ catholicæ revelationem imperfectam appellant, et indefinito progressui subjectam (2).

Jus divinum positivum in *vetus*, et *novum* dividitur. Vetus illud, quod a Deo populo Hebræorum datum in veteris Testamenti libris continetur: Novum quod a Jesu Christo Salvatore nostro omnibus gentibus datum in novi Testamenti codice, et in traditionibus apostolicis continetur.

Vetus illud triplicis generis præcepta habet, nempe *cæremonialia*, quibus divini cultus tempus, modus, et ritus deter-

minantur; *judicialia*, quæ ad politicum reipublicæ regimen, et ad justitiæ administrationem tam in causis civilibus, quam criminalibus pertinent; et *moralia*, quæ ad mores regendos, et informandos referuntur, quæque, affirmante D. Thoma expresse, vel tacite ad decem Decalogi præcepta revocantur.

Per adventum Christi Salvatoris cæremonialia, et judicialia præcepta sublata fuerunt: nam, translato per Christum Sacerdotio, ut ait D. Paulus (3), necesse erat, ut legis translatio fieret, et Hebræorum ritus antiquarentur, eo quod, adveniente veritate et luce, umbra et figura debebant cessare. Ac revera veteribus exstinctis, novi fuerunt a Salvatore instituti ritus, nova lex, et nova sacramenta. Si quæ tamen huiusmodi præcepta etiam nunc Ecclesia servat, non a lege veteri vim nanciscuntur, sed a nova a qua fuerunt approbata (4).

Moralia vero præcepta, ut olim, ita nunc, et in perpetuum in viridi observantia stabunt. Hæc enim nil aliud sunt, quam principia legis naturæ, quæ immutabiliter eadem perseverat. Scripsit manus Dei hæc principia prius in corde hominis, deinde in tabulis lapideis, ut Hebræi pervicaces oculis forinsecus usurparent, quod intus in corde nolebant legere, quibus scriptum erat: *Redite prævaricatores ad cor.* Demum cum utcumque intus et extra loquentia hæc præcepta inter homines pravis cupiditatibus saginatos jam obscurari, et pessum venire inciperent, Dominus noster in nova lege restauravit, explicavit, et verbo exemploque cumulatissime firmavit.

(1) Ideo merito damnata fuit sequens propositio: *Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit, ac debeat.* Syllab. prop. 4. — (2) Ita enim rationalistæ: *Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanæ rationis progressioni respondeat.* Syllab. prop. 5. Non est imperfecta, quia mysteria contineat, et fidem adstruat; nam cum divina essentia, et attributa revelata sint infinita, aliquid continere debent, quod homo per suam rationem capere nequeat; et ideo fides erit supra rationem, sed non contra rationem, quia fidei et rationis idem est auctor Deus, qui nequit sibi contradicere. Ita Gazzaniga de fund. relig. revel. diss. 2, c. 7, ultimum Concilium provinciale

Vindebonense cap. 2, et S. Cong. Indicis in decisione quæstionis circa *Traditionalismum* die 2 decemb. 1855, prop. 1. Neque divina revelatio subjicitur humanæ rationis progressioni; nam eadem semper perseverat, neque potest in aliquo mutari, ut demonstrat Vincentius Lirinensis in suo Commentario, qui libenter admittit progressum in fide, ita ut amplificetur in suo dogmate, in eodem sensu, et in eadem sententia; negat tamen permutationem, aut aliquid ex alio in aliud transversum, n. 28, 29 et 30. — (3) Ad Hebræ. 7. — (4) Potuit profecto Ecclesia quædam veteris legis judicialia et cæremonialia præcepta suscitare, modo non essent typica, vel præfigurativa venturi Messiæ; nam, adveniente sole veritatis, non potest amplius existere umbra, et figura. Gonzalez de const. cap. 2, n. 14. Nihilominus quosdam ex his ritibus, donec Evangelium foret sufficienter promulgatum, ab initio Ecclesia adhibuit, ut *mortua synagoga*, ut ait D. Thomas, *cum honore sepeliretur*. Devoti Inst. Can. in proleg. c. 3, § 33, in not.

4. Jus humanum a supremis Principibus ex rationis, jurisve naturalis consulto sancitur, et dividitur in *ecclesiasticum*, et *civile*. Jus civile ad temporalem in terris felicitatem obtinendam constituitur; jus vero ecclesiasticum ad æternam in cœlis beatitatem, et temporalem in terris felicitatem assequendam dirigitur. Mixta itaque est jurisprudentia ecclesiastica ex sacra theologia, et jure civili; et differt a theologia, quia hæc de dogmate, illa de disciplina pertractat; differt a jure civili, quia hoc temporalem, illa temporalem et æternam felicitatem respicit: quare aiebat de Luca, *Legistam sine canonibus imperfectum judicem esse, et canonistam sine legibus nihil valere* (1), quia ex sententia Lucii Papæ III: *Sicuti leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum instituta canonum principum constitutionibus adiuvantur* (2). Hoc ante ævum nostrum feliciter usuveniebat, cum jus ecclesiasticum et civile amicas dabant sibi manus ad ecclesiam et societatem fovendam; sed hoc tristissimo tempore leges civiles a damnato rationalismo informatæ ecclesiam et societatem subvertere nituntur, dum rationem humanam religioni divinitus revelatæ substituunt, et morum scientiam ac civilem justitiam a lege divina et ecclesiastica independentem omnino faciunt (3); quod nunquam fecerunt ipsi Pagani.

Hoc ecclesiasticum jus aliis quoque nominibus distinguitur: dicitur revera jus *pontificium* a summis pontificibus, a quibus vim et auctoritatem consequitur, tamquam a Chri-

sti vicariis: dicitur jus *sacrum,* quia circa personas resque sacras versatur: dicitur jus *divinum* improprie, tum quia loca divini juris plurima continet, tum quia instinctu et gratia Spiritus Sancti ejus leges sunt editæ; et ita sane appellatur ab imperatore Justiniano (4), et ab Innocentio IV (5), qui decrevit, ut apud Sedem Apostolicam *vigeat studium divini juris, et humani, canonici videlicet, et civilis:* dicitur demum in communi acceptione, quam nos quoque sequimur, jus *canonicum,* quia regulas christiane et civiliter recte vivendi continet. Canon quidem græca vox est, quæ latine regulam significat, et regulæ, ac leges ab ipso Ecclesiæ exordio constitutæ canonum nomine fuerunt donatæ.

(1) Annot. ad Conc. Trid. Sess. 24. c. 16. — (2) Cap. 1, de nov. op. nunc. — (3) Syllab. in damn. prop. 6, 8 et 57, et in aliis plurib. — (4) L. 23. Cod. de SS. Eccles. — (5) Cap. 2, de privil. in 6.

5. Jus canonicum potest definiri, *jus positivum humanum ex divino derivatum, et ex sacris canonibus conflatum ad justitiam temporalem in terris, æternamque in cœlis christianis tribuendam.* Hujus juris licet plures sint fontes, ut jus naturæ et gentium, S. Scripturæ loca, traditiones, consuetudines, concordata, et ipsum quandoque jus civile; communiter tamen ad tria capita revocantur, nimirum ad constitutiones summorum Pontificum, ad decreta conciliorum, et ad sanctorum Patrum sententias (1).

Dividitur: 1° in *scriptum,* et *non scriptum:* scriptum in legibus est, quæ promulgantur; non scriptum in traditione, et consuetudine, quæ non promulgantur: 2° in *commune,* quod ad omnes obligandos fideles conditum est, et in *particulare,* quod pro una diæcesi, aut provincia est constitutum: 3° in *publicum,* quod ad regimen, sive statum Ecclesiæ universæ refertur, et in *privatum,* quod ad singulos fideles tamquam Ecclesiæ membra respicit, de quo præsertim in his institutionibus agitur (2): 4° in *clausum* in corpore juris, et *vagans* extra ipsum corpus. Nos infra quæ contineantur in hoc corpore juris et quæ extra ipsum vagent breviter referemus.

(1) Ex his facile deduci potest, quanta sit Juris canonici præstantia et utilitas; ad quam respicientes Patres concilii Toletani post sanctarum Scripturarum scientiam sacrorum canonum notitiam Sacerdotibus necessariam esse sanciverunt. Can. 1, dist. 38. Cœlestinus autem Papa decreta sacrorum canonum sanctorum Patrum sententiis ita præponit: *Nulli sacerdotum liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare.* Can. 4. eod. Unde affirmabat S. Antoninus archiepiscopus Florentinus, leges canonicas esse *supra omnes humanas leges.* Tom. 7, tract. de usur. n. 11.; et Baldus jurisconsultus esse leges *altiores,* et tanto altiores, quanto cœli sunt altiores terra. Lib. 1, cons. 464. Similiter Melchior Canus theologo Pontificum canones ignoranti nimis multa deesse ad usus Theologiæ necessaria, ac Pignatellus *indignum theologi nomine, qui jus canonicum ignoret*, non dubitarunt pronunciare. Tom. 1, cons. 14, n. 11. Quare sapientissimi Patres ultimi concilii Provincialis Remensis in Gallia studium juris canonici theologiæ candidatis *opportunum pariter, et æque necessarium* declararunt, quia *illius juris ignorantia non indecora solum perhibetur, sed clerico admodum funesta*; et protinus jusserunt, *canonici juris disciplinam in quolibet seminario majori, quam primum fieri poterit, diligenti opera restitui.* Tit. 1. c. 18. Hoc exemplum vere catholicæ illi nationi maximopere profuit, quod postea fuit illic fere ubique introductum. Utinam omnes episcopi sic seminariis suis consulerent! — (2) Jus publicum in Gratiani decreto *est in sacris, et sacerdotibus et in magistratibus*, can. 11. dist. 1; quia, ut subdit Glossa ad eumdem canonem: *Si aliquis istos, vel alias publicas personas offendit, jus publicum est, et contra publicum facit, cum hæ personæ principaliter ad statum Reipublicæ spectant. Unde qui lædit sacerdotes, vel res sacras ab omnibus tamquam pro publico crimine potest accusari.* Doctores, qui tractant separatim de jure canonico privato et publico, ad hoc referunt potestatem ordinis, et jurisdictionis, jura Summi Pontificis, Cardinalium, Legatorum, Episcoporum, potestatem in clericos, laicos, res sacras, etc. Ad privatum vero referunt statum personarum tam clericorum, quam laicorum, beneficia ecclesiastica, administrationem bonorum, ecclesias, monasteria, matrimonia, judicia, delicta, pœnas, etc.

6. Jus vero civile potest definiri, *jus positivum humanum ex æquitate derivatum, et ex legibus auctoritatum sæcularium, ac moribus hominum conflatum ad rectam Reipublicæ gubernationem.* Dicimus *ex æquitate* ad innuendum jus civile legi naturali, et justitiæ non posse opponi, quia lex civilis legi naturali opposita, et injusta non est lex (1): dicimus *ex legibus auctoritatum sæcularium*, id est principum sæcularium, et eorum, qui in societate constituta jurisdictione præditi sunt (2): alia vero definitionis verba facile intelliguntur. Hinc romanus jurisconsultus

Gaius aiebat, jus civile esse illud, *quod quisque populus sibi constituit vel quæque civitas sibi proprium facit* (3). Propterea tot sunt jura civilia quot sunt nationes, vel civitates, quæ diverso reguntur jure. Sed cum jus Romanum omnem docuerit Europam, omniaque jura civilia informaverit tamquam archetypum juris habitum semper fuit, et *jus commune* appellatum. Ex quo factum est, ut plurimæ ex ejusdem legibus fuerint ab Ecclesia approbatæ, et in censum canonum relatæ, et ut canonistæ in defectu, vel in ambiguitate legis ecclesiasticæ ad leges Romanorum recurrerent ad æquum et justum definiendum, vel servandum, sicut in praxi evenisse constat ex Canonistarum et Moralistarum lectione, qui ante hoc sæculum scripsere (4).

(1) Propterea falsa est, et merito damnata illorum sententia, qui docent leges civiles posse et debere a divina, et ecclesiastica auctoritate declinare. Syllab. prop. 57. — (2) Legum ferendarum potestas non competit nisi auctoritati jurisdictionem habenti cum præeminentia, et auctoritas non est *numeri, et materialium virium summa*, ut moderni socialistæ efferunt; sed imperium, aut vis superiori competens. Syllab. prop. 60. — (3) L. 9, ff. de just. et jur. — (4) Jus Romanum continet 1° *Leges*, 2° *Plebiscita*, scilicet ordinationes, quas plebs romana, suo Tribuno interrogante, sibi constituebat, quæ primitus obligabant tantum plebem; sed deinde etiam Quirites. 3° *Senatusconsulta*, id est jussa Senatus, quæ vim legis habebant tempore Imperatorum; non vero tempore liberæ Reipublicæ. 4° *Placita principum*, id est rescripta, decreta, edicta, et privilegia a principibus data: rescripta fiebant ad supplicationem alterius: decreta dabantur causa judicialiter et solemniter cognita: edicta publice proponebantur, et voluntatem principis ad instar legis continebant: privilegia dabantur privatis, et gratiam continebant, vel pœnam irrogabant. 5° *Edicta Prætorum*, quæ ordinem judiciarium statuebant. 6° *Responsa Prudentum*, vel opiniones jurisconsultorum, quibus permissum erat de jure respondere. Hæc omnia comprehensa fuerunt in opere quod inscribitur *Corpus juris Romani*, cujus partes sunt *Digestum*, *Institutiones*, *Codex*, *Novellæ*, quibus postea accesserunt duo Libri Feudorum. Digestum, sive Pandectæ jussu imp. Justiniani anno 533, publicatæ, et ab eodem legum auctoritate munitæ continent responsa prudentum, sive decisiones jurisconsultorum Romanorum in 50 libros, variosque eorumdem titulos distributas. Ideo hoc opus appellatur *Digestum*, quia responsa in eo in ordinem digesta fuere, et ideo *Pandectæ*, quia omnia præcipua responsa capiunt, a græco vocabulo, quod *omne* et *capio* sonat. In hisce legibus citandis ponitur primo numerus legis, et, si adest, etiam paragraphi, cui ad majorem securitatem præmitti potest verbum initiale tum legis, tum paragraphi;

secundo signum digesti, quod est duplex f, vel simplex D; tertio rubrica tituli ex. gr. l. 30, ff. § 3. De donat. vel. l. *donationes* 30, §, *ejus modi* 3, ff. de donat. et legitur: lege trigesima, paragrapho tertio, Digestis de donationibus: libri non citantur; sed tantum rubricæ titulorum, quarum index ordine alphabetico Digesto præmittitur. Institutiones editæ a Justiniano eodem anno, quo Digestum, et imperiali auctoritate munitæ continent epitomen legum romanarum in quatuor libros variosque eorum titulos distributam ad juris studiosos in legali disciplina instituendos. In hisce legibus citandis ponitur primo numerus paragraphi, cui interdum præmittitur verbum ejus initiale; secundo indicatur opus institutionum: tertio ponitur rubrica tituli, ex. gr. § 4. Inst. de just. et jur. vel § *Servi* 4. Inst. de just. et jur. et legitur: paragrapho quarto Institutionum de justitia et jure. Codex Justinianeus, qui vocatur *repetitæ præelectionis,* publicatus anno 534, continet leges imperiales depromptas ex præexistentibus codicibus, *Gregoriano*, *Hermogeniano* et *Theodosiano*, et alias ab ipso Justiniano conditas ad jurisconsultorum discordias componendas, quæ in Digesto inveniebantur. In citandis ejus legibus observatur præmissa regula, et additur *Cod.* vel simpliciter C. ex. gr. l. 21. Cod. de sacros. Eccl. vel. l. *Sancimus* 21. Cod. de sacros. Eccl. et legitur: lege vigesima prima codice de Sacrosanctis ecclesiis. Legibus tamen Codicis opera privata adjuncta sunt quædam scholia, quæ appellantur *Authenticæ*, quæ innuunt, quomodo per jus posterius sit codici derogatum; sed hæ vim legis non habent; et ita allegantur ex. gr. Auth. *donationem.* Cod. de jur. dot. Novellæ sunt posteriores imp. Justiniani constitutiones, quæ in corpore juris latent sub hac inscriptione: *Authenticæ, seu novellæ constitutiones Justiniani*, et ita allegantur, ex. gr. Nov. 117, c. 1. Libri Feudorum continent consuetudines feudales in Germania ortas, et a Gerardo Nigro, ac Oberto ab Orto consulibus Mediolanensibus in scriptis redactas, quas jurisconsultus Hugolinus Bononiæ in Corpus juris transfudit. Observamus demum, a modernis quibusdam leges romanas alio modo citari, nempe per numerum librorum, titulorum, et capitum, quod non possumus probare, quia ita sapientia Patrum jurisprudentiæ juvari amplius nequiremus, qui omnes modo a *nobis indicato jus commune allegarunt.*

TITULUS II.

DE CORPORE JURIS CANONICI.

SUMMARIUM: 7. Jus ecclesiasticum vetus, medium et novum. — 8. Collectiones Canonum juris veteris. — 9. Quot partes contineat Corpus juris canonici. — 10. Decretum Gratiani. — 11. Decretales Gregorii IX. — 12. Sextus Decretalium. — 13. Clementinæ. — 14. Extravagantes Joannis XXII, et communes. — 15. Jus novum ex quibus constet. — 16. Declarationes sacrarum Congregationum, et Regulæ Cancellariæ. — 17. Concordata.

7. Inter plures leges diversis temporibus ab Ecclesia constitutas sunt quædam, quæ a summo Pontifice ad exemplum imperatoris Justiniani in unum Juris Corpus fuerunt congregatæ; suntque aliæ, quæ in nullo probato Juris volumine comprehensæ extra Corpus Juris vagantur, quarum aliæ præcedunt, et aliæ sequuntur ejusdem corporis compositionem. Quæ præcedunt, Jus ecclesiasticum *vetus;* quæ in ipso continentur, Jus *medium;* et quæ ipsum sequuntur, Jus *novum* efformant.

8. Circa Jus vetus tres præcipue canonum collectiones numerantur: 1ª Collectio *Canonum Apostolicorum,* de quorum auctore, numero, et auctoritate satis non constat (1); 2ª Collectio a *Dionysio Exiguo* sæculo Ecclesiæ sexto adornata, quæ cum ab Adriano I, Carolo magno Francorum Regi tradita esset, *Adrianea* appellata fuit, magnamque celebritatem obtinuit (2); 3ª Collectio ab incerto quodam *Isidoro Mercatore,* sive *Peccatore* sæculo Ecclesiæ nono evulgata, quæ cum plurima falsa veris consarcinata contineret, merito tamquam apocrypha ab omnibus rejecta fuit (3).

(1) Hi canones inserti primum fuere in postremo capite libri octavi operis, cui titulus, *Constitutiones Apostolicæ.* Tum canones, tum constitutiones Clementi Romano Pontifici D. Petro proximo fuerunt tributæ; sed falso: nam penes eruditos certum est, neque istos ante sæculum tertium extitisse, cum priorum sæculorum Patres nullam de his faciant mentionem. Nihilominus ecclesia græca canones Apo-

stolicos 85, et latina tantum 50 recepit. Can. 2 et 3. dist. 16. Documenta hæc antiquissima referunt quidem priscæ ecclesiasticæ disciplinæ lineamenta; non vero in omnibus accuratam et integram ecclesiæ doctrinam: quare a Gelasio Papa in Concilio Romano apocrypha fuerunt declarata. Can. 3. dist. 13. et can. 1. dist. 16. — (2) Dionysius hic *exiguus* dicitur, non quod corpore pusillus esset, sed quia modestia se exiguum nominare optavit. Erat enim monachus romanus natus in Scytia doctrina et sanctitate celebris; qui primo animum adjecit ad correctos conciliorum canones exhibendos ex codice Græcorum, et ex aliis latinis collectionibus anterioribus desumptos, quibus præposuit 50 Canones Apostolorum; deinde studuit summorum Pontificum a Syricio ad Anastasium II, epistolas decretales in unum corpus colligere. Devoti Inst. can. in proleg. c. 5, § 60. — (3) Devoti d. loc. § 64.

9. Jus medium in corpore juris canonici continetur, quod, ut est impressum, sex constat partibus, nimirum: Decreto Gratiani, Decretalibus Gregorii IX, Sexto Decretalium Bonifacii VIII, Clementinis Clementis V, Extravagantibus Joannis XXII, et Extravagantibus communibus.

10. Decretum privato studio a Gratiano monacho benedictino Bononiensi anno 1151 compositum, *concordia discordantium canonum* inscribitur, inque tres dividitur partes: quarum prima continet distinctiones centum et unam in canones distributas; secunda continet causas triginta sex in quæstiones, et canones divisas; et tertia continet quinque distinctiones in canones partitas, quæ, ut distinguatur a prima parte, inscribitur *De consecratione*. Sed circa secundam partem hoc est adnotandum, quod in causa trigesima tertia post quæstionem tertiam adest tractatus specialis *De Pœnitentia*, qui septem distinctiones habet (1). Præterea huic codici opera typotethæ aut glossographi, accesserunt *canones Pœnitentiales, et canones sanctorum Apostolorum*.

Decretum Gratiani efformatum fuit: 1° ex constitutionibus Summorum Pontificum: 2° ex decretis conciliorum tum generalium, tum particularium: 3° ex sententiis SS. Patrum: 4° ex legibus civilibus Romanorum: 5° ex resolutionibus ipsius Gratiani: et 6° ex canonibus quibusdam, qui inscribuntur *Palea*, quique additiones sunt ex veriori sententia ipsi operi ab alio auctore consarcinatæ (2).

In documentis colligendis ab aliis præexistentibus ca-

nonum collectionibus, ac præsertim a collectione prædicti Isidori, Gratianus deceptus fuit, multaque falsa pro veris traduxit. At Romani Pontifices hos emendare errores sedulo curarunt, et tandem Decretum ipsum emendatum typis mandari præcepit Gregorius XIII, ita ut nihil ei addi, aut mutari amplius quis posset, ut legitur in ejus Bulla in fronte operis apposita, quæ incipit: *Cum pro munere.* Nihilominus Apostolica auctoritate numquam fuit confirmatum; et ideo omnes canones, qui in eodem continentur, legis auctoritatem non habent, nisi eam a proprio auctore consequantur (3).

(1) Gratiani opus in scholis, et in foro allegari solet quoad primam partem ita ex. gr. can. *his igitur* 3. dist. 23. Quoad secundam partem ita ex. gr. can. *in scripturis* 9. caus. 8. quæst. 1; nisi agatur *de pœnitentia*, de qua ita fit allegatio ex. gr. can. *nihil prodest* 21. dist. 3. de pœnit. Quoad tertiam partem ita ex. gr. can. *necessarium* 1. dist. 4. de consecrat. Et legitur in primo casu: canone *his igitur* tertio distinctione vigesima tertia: in secundo casu legitur: canone *in scripturis* nono causa octava quæstione prima; et in tertio casu legitur: canone *necessarium* primo distinctione quarta de consecratione. At quandoque omittitur vocabulum initiale, aut numerus canonis ex. gr. can. 3. dist. 23. aut can. *his igitur* dist. 23.

(2) Comprehenduntur quoque in Decreto alia capita deprompta ex capitularibus Regum Francorum, ex rescriptis Imperatorum, ex scriptoribus sacris, et ex historia ecclesiastica. Quoad canones notatos *Palea* animadvertimus, hoc vocabulum videri illis inscriptum: vel a nomine auctoris, qui eos in decretum immisit; vel ex eo quod in his levia ac nullius momenti, ut paleæ, contineantur; vel ex eo potius, quod sint additiones, factæ canonibus decreti non a Gratiano, sed ab alio cum inscriptione *post alia,* vel *P. alia,* ex quo librariorum errore exortum sit vocabulum *Palea.* Devoti in proleg. cap. 6. § 77. et in not. — (3) Hæc sententia nostra non est, sed Benedicti XIV qui ita scripsit: « Gratiani Decretum, quantumvis pluries » Romanorum Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim » et pondus legis non habet, quin immo inter omnes receptum est, » quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum » ex se habuisset, si numquam in Gratiani collectione insertum fo- » ret. » De Synod. l. 7. c. 15. n. 6. Sunt tamen qui Gratiani decreto legis auctoritatem tribuunt: tum quia supponunt approbatum ab Eugenio III et a citato Gregorio XIII; tum quia universaliter ita receptum fuit, ut publice in scholis legeretur, et haberetur in foro tamquam pars juris communis canonici: unde citatur a Doctoribus, et allegatur in judiciis veluti jus constitutum; et concludunt, hoc Decretum, quod habet originem privatam, ex usu, et consuetudine per

plura sæcula nunquam interrupta, vim obtinuisse codicis legum publica auctoritate muniti. At sic respondemus: 1° Non constat de approbatione Eugenii III, quæ, si vera fuisset, ipsi Decreto certo certius fuisset inserta, dum in nulla ejus editione comparuit. 2° Gregorius in citata bulla Decretum exhibet correctum, et vetat, *ne cuiquam liceat eidem operi quidquam addere, vel immutare, aut intervertere, nullave interpretamenta adjungere;* sed expresse ipsum opus non approbat, nec authenticum declarat. 3° Usus scholarum, et fori operis præstantiam commendat propter summam verorum documentorum, quæ continet, et propter utilitatem, quæ ex documentis etiam falsis, pro talibus tamen non agnitis, oriri potest. 4° Usu, et consuetudine fieri quidem potest, ut aliquod caput Decreti etiam mendosum legis acquirat firmitatem; sed hæc inductio ad alia capita extendi nequit, quia consuetudo cadit in factis legitimis conditionibus vallatis, non vero in erroribus in locum veritatis sufficiendis.

11. Decretales Gregorii IX, ipso mandante, opera S. Raymundi de Pennafort, ex suis, aliorumque post Gratianum summorum Pontificum Decretalibus epistolis, et ex aliis S. Canonibus adornatæ, et anno 1234 evulgatæ, vim et auctoritatem legis universalis habent: nam ipse Gregorius alios canones, et Decretales in hac sua compilatione contentas suas fecit, et suis exæquavit, ita ut iisdem universi tam in judiciis, quam in scholis æque uti, et obtemperare deberent (1). Unde hic primus est legum Pontificiarum codex authenticus, et Apostolica auctoritate munitus, cui titulus: *Decretalium D. Gregorii Papæ IX compilatio.* Hic codex quinque constat libris, et libri distribuuntur in titulos, et tituli in capita (2).

(1) Bul. *Rex pacificus* editioni Decretalium præfixa. Sicut Justinianus imperator ex præcedentibus codicibus Gregoriano, Hermogeniano, et Theodosiano suum effecit legum corpus; sic Gregorius IX suas adornavit Decretales ex quinque præcedentibus canonum collectionibus, quarum prima et notabilior post Gratianum facta fuit a Bernardo Papiensi anno 1190 et inscripta *Breviarium extravagantium*, quia Decretales ibi collectæ vagabantur extra Decretum Gratiani, a qua ipse Gregorius, sive Raymundus formam et divisionem operis desumpsit. Phillips de font. jur. eccl. § 17, et seq. — (2) Materia, quæ in his libris ordine successive tractatur, exhibetur ab hoc versiculo: *Judex, Judicium, Clerus, Connubia, Crimen.* Canones hujus operis, ubi necesse sit, dividuntur in paragraphos, et ita allegantur, ex. gr. Cap. *Quæ in ecclesiarum* 7. de constit.; et legitur: capite *Quæ in ecclesiarum* septimo, de constitutionibus. Brevitatis causa potest omitti verbum initiale, vel, eo citato, omitti numerus. Veteres ta-

men solebant apponere vocabulum *Extra,* ad significandum, Decretales in hoc opere contentas vagari extra Decretum Gratiani. Quidam vero recentiores solent apponere signum X. Sed communius neutrum observatur, quia per primam supra indicatam citationem res sufficienter significatur.

12. Sextus Decretalium, sive liber sextus Decretalium a tribus eruditissimis viris de mandato Bonifacii VIII anno 1300 compositus legis universalis auctoritatem ab eodem Pontifice obtinuit (1). Hic secundus legum Pontificiarum codex præter acta duorum conciliorum generalium Lugdunensium, auctoris, et præcedentium a Gregorio IX Pontificum decretales epistolas comprehendit, et inscribitur: *Liber Sextus Decretalium Domini Bonifacii Papæ octavi.* Dicitur autem *Sextus Decretalium,* quia quinque libris a Gregorio IX publicatis hic sextus accessit, qui iterum distribuitur in alios subalternos quinque libros, eodem ac in codice Gregoriano materiarum, ac titulorum ordine servato (2).

(1) Bul. *Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ* operis editioni præposita, in qua canonum collectionem declarat commissam Gulielmo archiepiscopo Ebredunen. Berengario episcopo Biterren. et Ricardo de Senis Romanæ ecclesiæ vice-cancellario, et mandat observari, ut *perfectam in rebus agendis formam tribuat, et in moribus disciplinam, in* judiciis, et in scholis. — (2) Ita allegatur, ex. gr. cap. *ut animarum* 2, de constit. in 6.; et legitur: capite *ut animarum* secundo de constitutionibus in sexto.

13. Clementinæ auctorem habent Clementem V ejusque constitutiones, simulque acta concilii generalis Viennensis ab eodem Pontifice celebrati in libros, et titulos ad instar Decretalium disposita complectuntur. Ipse tamen Clemens morte præventus codicem suum promulgare nequivit, qui propterea fuit a Joanne XXII ejus successore anno 1317 promulgatus, ut vim legis universalis haberet (1).

(1) Bul. *Quoniam nulla* in fronte codicis apposita. Hujus canones ita citantur ex. gr. *Quoniam* de vit. et honest. cleric. vel cap. *Quoniam* de vit. et honest. cleric. ex Clement. Sed hic citandi modus est obsoletus: potius quandoque citatur Clementinæ numerus.

14. Extravagantes Joannis XXII complectuntur Bullas 20 ejusdem Pontificis in quatuordecim titulos secundum

ordinem Decretalium distributas; Extravagantes vero Communes Bullas aliorum Pontificum in dictis compilationibus non comprehensas, et in quinque libros more Decretalium distributas continent; sed quartus liber vacat. Duæ hujusmodi collectiones per summos Pontifices non reperiuntur expresse approbatæ: at nihilominus vi et auctoritate legis universalis pollent, quia Bullæ sunt Pontificum omnes obligantes, quæ ideo Extravagantes dicuntur, quia primum extra corpus juris, in quo, nunc sunt comprehensæ, vagabantur (1).

(1) Extravagantes Joannis XXII hoc modo allegantur, ex. gr. extrav. *execrabilis* Joann. XXII, de præb. et dignit.; et hoc modo allegantur Extravagantes communes, ex. gr. extrav. *Ambitiosæ* de reb. eccl. non alien. int. com. Si vero extravagans allegata sub sua rubrica unica sit, citari potest vocabulo *unic.* subjungendo tituli rubricam; quod quandoque observatur etiam in Clementinis. Pro iis tamen, qui praxim nondum obtinuerunt evolvendi libros juris canonici, observamus, eos posse facillime quemlibet canonem, aut caput citatum invenire, si consulant indicem rubricarum cuique operi in principio impressum.

Corpus juris præter canones et capita continet *Rubricas, Summaria*, et *Glossas*. Rubricæ dictæ sunt a *rubro*, quia rubro atramento scribebantur, et sunt inscriptiones titulorum. In codicibus authenticis authenticæ habentur, quia expresse a Pontificibus approbatæ: consequenter habent vim legis, et ut leges citantur, si contineant orationem perfectam, uti est rubrica: *Ne clerici, vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant;* sin secus adhuc prosunt ad explicandos textus; unde ortum est adagium: *valet argumentum a rubro ad nigrum.* Si tamen rubricæ textibus opponantur, textus, ut naturale est, prævalent, quia rubricæ priores et generales sunt, textus vero posteriores, et speciales, et juris regula est, generi, per species derogari, cap. 34 de reg. jur. in 6. Quod hic de rubricis exponimus non extenditur ad Decretum Gratiani, quia hic codex non est authenticus, ut supra innuimus: extenditur tamen ad Extravagantes eo quod hoc opus usu recipitur tamquam authenticum. Summaria, sic dicta a summa, qua paucis verbis materia legis exponitur, sunt inscriptiones canonum, vel capitum, et quandoque paragraphorum opera privatorum Jurisconsultorum ipsis canonibus, vel capitibus, aut paragraphis adjetæ, quæ propterea non sunt de textu, et per se vim legis non habent, nisi quatenus concordent cum textu. Glossæ demum sunt interpretationes, sive commentaria canonibus, sive capitibus opera privatorum canonistarum in margine textus adjuncta, quibus textus verba et sententiæ explicantur. Vim proinde legis non habent; sed habent magnum pondus a propriis auctoribus, a loco, quem occupant, sed maxime ex consensu, quo fuerunt editæ, et conservatæ in corpore

Juris. Quare prævalent opinioni cujuscumque privati Doctoris: immo si fulciantur justitia, ratione, et aliorum Doctorum suffragio, faciunt nedum opinionem probabilem, sed etiam communem. Quando vero plures et diversas opiniones referunt, præsumuntur approbare ultimam, nisi aliud ex verbis appareat.

15. Præter hæc canonicarum legum capita in corpore juris clausa, alia multa sunt, quæ tum a Decretalibus posteriorum Pontificum, tum a canonibus generalium Conciliorum proficiscuntur, quæ jus *novissimum* constituunt. Post Joannem XXII, qui Pontificatum tenuit ab anno 1316, ad annum 1334, plures Decretalium, sive Bullarum collectiones factæ fuere; sed nulla fuit Apostolica auctoritate donata. Inter has eminet septimus Decretalium de mandato Pontificum inceptus, et typis excussus, egregium sane opus, quod tamen ob speciales causas suppressum fuit (1). Eminet similiter Bullarium Magnum Romanum a Carolo Coquelines compositum, et ab Hieronymo Mainardo editum, quod continet summorum Pontificum bullas a S. Leone magno usque ad Clementem XII, quod fuit adauctum a Bullario Benedicti XIV, Clementis successoris, et quod demum continuatum fuit ab Advocato Andrea Barberi, qui bullas, et constitutiones successorum Pontificum congessit usque ad Pium VIII. Bullæ in hoc opere comprehensæ vim legis absolute non habent, nisi cum earum archetypis demonstrentur convenire; nihilominus in scholis præsumuntur archetypis convenire (2). Bullarium vero Benedicti XIV est authenticum, ut patet ex constitutione ejusdem pontificis.

Post Joannem XXII, plura similiter concilia generalia habita fuerunt, ut est *Florentinum* celebratum sub Eugenio IV, anno 1438, pro reductione Græcorum ad fidei unitatem; *Lateranense* V, sub Leone X, anno 1517, contra Pseudo-Concilium Pisanum indictum; et *Tridentinum* inchoatum sub Paulo III, anno 1545, et absolutum sub Pio IV, anno 1564, a quo maxima juris novi pars efficitur (3). Constat autem Concilium Tridentinum sessionibus 25, in quibus primum de fidei dogmate, et postea in decreto *de reformatione*, de disciplina ecclesiastica agitur (4).

(1) Præcipua causa suppressionis in eo est, quod Pius Papa IV, in bulla confirmationis S. Concilii Tridentini, quæ incipit *Benedictus Deus,* inhibuerat sub pœna interdicti ingressus in ecclesiam pro Prælatis, et excommunicationis latæ sententiæ in alios, ne quis posset edere *commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumque omnino interpretationis genus super ipsius Concilii decretis,* omnem sibi in ea materia declarationem, et decisionem reservando: quod fecerat ad vim sacrorum canonum tutandam maxime contra perversas futuras schismaticorum interpretationes. Jam vero in septimo Decretalium inserti fuerant concilii Tridentini canones, et si hoc opus Pontificia auctoritate donatum in codice legum publicatum fuisset ad instar Decretalium, et sexti Decretalium, licuisset omnibus ei interpretationes et glossas apponere contra præcitatæ bullæ Pianæ dispositionem. Nec visum fuit opportunum id prohiberi; sed consultius septimum Decretalium in oblivionem dimittere. Prosp. Fagnanus in cap. *cum venisset* 12, n. 61 de judic. Alius quidem septimus Decretalium editus fuit a Petro Matthæo Jurisconsulto Lugdunensi; qui tamen publica auctoritate caret. — (2) Bullarii canones allegantur, proposito vocabulo initiali cujusque bullæ, et adjecto nomine Pontificis, qui ipsam edidit, ex. gr. Bul. *Vineam Domini* Clem. XI; cui apponi solet dies, et annus editionis. — (3) Collectiones conciliorum plures factæ sunt; omnibus præstat collectio, quæ inscribitur: *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio, quam Joannes Dominicus Mansi evulgavit.* Florentiæ, expensis Antonii Zatta, Veneti (1759). — (4) Ut facilior promptiorque fiat intelligentia et usus hujus præcipuæ partis juris novissimi, observamus 12. Tridentini sessiones parum ad scientiam habere ponderis, cum ad Concilii ordinationem referantur, et alias 13 maximum habere momentum, uti 3ª 4ª 5ª 6ª 7ª 13ª 14ª 18ª 21ª 22ª 23ª 24ª et 25ª. Sessio 3ª habet symbolum fidei; 4ª decretum de canonicis Scripturis, cui adjungi potest 18ª de librorum delectu; 5ª agit primo de peccato originali: aliæ nempe 6ª de justificatione, 7ª de Sacramentis, Baptismo, et Confirmatione, 13ª de Eucharistia, 14ª de Pœnitentia, et Extrema Unctione, 21ª de pluribus ad S. Communionem spectantibus, 22ª de sacrificio Missæ, 23ª de Ordine, 24ª de Matrimonio et etiam de disciplinæ ecclesiasticæ moderatione, 25ª denique de Purgatorio, de veneratione Sanctorum, de Regularibus, etc. Illud præterea notandum, quod in sessione vigesima secunda adest decretum de observandis, et evitandis in celebratione Missæ, et in sessione vigesima quinta aliud decretum de Indulgentiis. Notandum pariter, quod in sessione decima octava delecti fuerunt Patres, qui de libris disquisitionem instituerent, et in sessione vigesima quinta decretum fuit, ut eorum acta Romano Pontifici exhiberentur, ut suo judicio et auctoritate index librorum prohibitorum evulgaretur, quod a Pio IV, anno 1564, factum fuit. Postea indicem librorum prohibitorum ediderunt alii summi Pontifices cum suis regulis, observationibus, et instructionibus, ut videre est in romana editione indicis anni 1841, sub Gregorio XVI absoluta, et publicata. De hac materia librorum improbatæ lectionis agit late et erudite Joannes Devoti in suis Inst. can. lib. 4 tit. 7.

16. Demum ad ecclesiasticas leges referuntur Declarationes Sacrarum Congregationum, Regulæ Cancellariæ Apostolicæ, et Concordata. Declarationes Sacrarum Congregationum, et illæ maxime S. Congregationis Concilii Tridentini, vel emittuntur ad legem anteriorem interpretandam, vel ad legem extendendam, vel ad privata negotia definienda. Licet de his graves sint inter Doctores quæstiones, veræ resolutiones nobis videntur sequentes: In primo casu declarationes habent vim legis, cum fiant, consulto Pontifice, qui suam illis dando auctoritatem, suas facit; neque solita legum publicatione indigent, quia in lege eas continente jam publicatæ censentur. In secundo casu vim legis non habent, nisi legitime publicentur, quia in lege publicata non continentur, et reipsa novæ sunt leges. In tertio casu potius sunt decreta, et sententiæ, quam leges, quæ jus faciunt tantum inter partes, nisi consuetudine et usu rerum similiter judicatarum sustineantur. Regulæ Cancellariæ sunt septuaginta duæ constitutiones viventis Pontificis ad Apostolicam Cancellariam regendam initio Pontificatus editæ, quæ, eo vivo, vim legis habent, et, eo mortuo, vim legis amittunt; neque, electo novo Pontifice, reviviscunt, nisi ab eo probentur, et confirmentur. His tamen in multis per Concordata derogatum fuit (1).

(1) Joan. Bapt. Riganti in proem. ad com. in reg. cancel.

17. Concordatorum nomine veniunt Indulta, sive compositiones factæ inter Summum Pontificem et Principes sæculares super jurium differentiis inter utramque potestatem exortis (1). Interdum concordata habent rationem privilegii a S. Sede Principibus concessi, quod tunc verum est, quando Pontifices Principibus aliquid contra jus commune concedunt, quin ex sua parte Principes aliquid Pontificibus retribuant. Ut plurimum vero habent rationem fœderis et pacti, sive contracti, quando scilicet utrinque a contrahentibus aliquid vicissim conceditur, aut promittitur. Hæc fœdera gravissimis scatent quæstionibus, de quibus videndi probati Doctores. Compositiones

hujusmodi interdum Ecclesiæ profuerunt tamquam extremis malis extrema remedia; sed in se infausta sunt signa, veluti cum Pater nequit habere pacem cum filiis suis, nisi cum eis de familiaribus rebus paciscendo: unde dici solet: *historia concordatorum historia dolorum* (2).

(1) Concordata inita fuerunt a S. Sede cum Duce Sabaudiæ, et Rege Sardiniæ, cujusmodi est: 1° Indultum Nicolai V, Ludovico Sabaudiæ Duci per bullam *Etsi ex paternæ,* an. 1451, concessum, quod ecclesiastica afficit beneficia præsertim majora; 2° Instructio Benedicti XIV, circa immunitatem localem, et exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ, an. 1742, et a brevi Leonis XII *Obsequio erga Deum* an. 1826, ad Liguriam extensa in ea tantum parte, quæ immunitatem localem respicit; 3° Conventio anni 1841, quæ ad personalem immunitatem refertur. Inita quoque fuere cum Galliæ Rege, inter quæ celebre est illud an. 1801, inter primum Reipublicæ Consulem Napoleonem Bonaparte, et summum Pontificem Pium VII, promulgatum in ejus Bulla *Ecclesia Christi,* qua Gallicana Ecclesia reædificata videtur. Similiter inita fuerunt cum Austriæ Imperatore, et inter hæc memoria sempiterna dignum est concordatum, an. 1855, inter summum Pium IX, et imperatorem Franciscum Josephum I, quo in Austria ecclesiastica disciplina ad veram et catholicam formam feciliter restituta fuit. Hujusmodi compositiones nunc factæ sunt fere cum omnibus Principibus. — (2) Concordata indubitanter vim legis habent, cum ferantur utriusque supremæ potestatis ecclesiasticæ, et sæcularis auctoritate, et nequeunt revocari nisi de utriusque potestatis consensu, cum rationem contractus habeant: nam juris principium est, *unumquodque dissolvi eo modo, quo initum fuit.* Nihilominus infelicibus his temporibus quædam supremæ laicæ potestates veritæ non sunt pro suo libitu, inscio et repugnante summo Pontifice, inita concordata violare, et spernere, et modo ac si inita non essent, per quod temerarium et injustum factum probrose inciderunt in sequentem damnatam propositionem: *Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi, ac faciendi irritas solemnes conventiones* (vulgo concordata) *super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum sede apostolica initas, sine hujus consensu, immo et ea reclamante.* Syllab. prop. 43.

TITULUS III.

DE ECCLESIA CATHOLICA.

SUMMARIUM: 18. Religio quid operetur. — 19. Ecclesia vetus, et nova. — 20. Christiana et Catholica. — 21. Ejus dotes. — 22. Est regnum, schola, et templum. — 23. Ut regnum habet summum imperium, suum regem, ditionem, leges, et magistratus. — 24. Hoc regnum est monarchicum. — 25. Duo præmissorum corrolaria. — 26. Ut schola habet cathedram infallibilem veritatis. — 27. Quomodo hoc magisterium exerceat. — 28. Ut templum perfectum habet sacerdotium ad populum sanctificandum.

18. Jus divinum, ut jam vidimus, est voluntas Dei hominibus manifestata. Ita Deus legislator æternus hominibus imperat; homines vero divinis legibus obsequentes religiosi fiunt, et per religionem ipsi Deo conjunguntur. Religio juxta S. Augustinum nos docet, *quid credendum, quid sperandum, quid amandum* sit. Unde per jus divinum conversio Dei ad homines, et per religionem hominum conversio ad Deum, quæ in vera ecclesia recte operatur. Unus autem est Deus, unum jus divinum, una religio, et una ecclesia esse potest, quæ veritatis, et divinitatis signa ferat, qualis est catholica, extra quam salus obtineri non potest (1).

(1) Propterea merito damnatæ *fuerunt in Syllabo* prop. 15, 16, 17, et 18.

19. Per originale peccatum jus divinum in mente hominum obscuratum fuit; et consequenter religio debilis et incerta mansit. Quare Deus lumen novum de cœlo, et magistrum veritatis, et columnam firmitatis dedit hominibus, id est Ecclesiam suam, ut jus divinum explicaret, et religionem perficeret. Post lapsum primi parentis illico facta fuit promissio futuri Redemptoris, a quo proprie incipit Ecclesia. Vetus Ecclesia habuit justos plurimos et sanctos; habuit sacerdotes, ut Melchisedech, qui erat sacerdos Dei altissimi (1); habuit populum electum, qui in ecclesiis, et synagogis ad legem Moysis addiscen-

dam, et ad orandum congregabatur (2); sed illa Ecclesia, ut lex Moysis habet rationem imperfecti, quia omnia in figura contingebant ei (3). Nova Ecclesia perfecta in plenitudine temporis a Jesu Christo Redemptore nostro fundata fuit (4), et a Spiritu Sancto edocta (5), et in omnem terram divulgata, quæ *Christiana* a nomine Auctoris sui, et *Catholica* ab universali sua extensione fuit appellata.

(1) Genes. 14. — (2) Act. Apost. 15. Judith 6. — (3) Ad Corinth. 10. — (4) Ad demonstrandam ecclesiæ stabilitatem eam fundavit Christus supra Petram: dixit enim Petro: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum,* etc. Matth. 16. Petra autem erat ipse Christus, ad Corinth. 10; sed Petra etiam ipse Simon Petrus, uti liquet ex citato Evangelii textu, cui ideo Christus mutavit nomen Simonis in Petrum, ut significaret, se illum constituere Vicarium suum in terra. — (5) Trid. Sess. 21, cap. 1. Sess. 22, de Sacrif. Miss., et Sess. 25, de Purgat.

20. Vocabulum græcum *Ecclesia* latine sonat *convocationem, aggregationem,* vel *cœtum* personarum, et apud nos cœtum omnium Fidelium, qui adhuc in terris vivunt; ac ita potest cum Cardinali Bellarmino definiri: *Ecclesia est cœtus hominum ejusdem christianæ fidei professione, et eorumdem sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue unius in terris Christi Vicarii Romani Pontificis* (1). Hinc ad Ecclesiam pertinent omnes, qui christianam tenent fidem, et a Pontifice Romano primo pastore saltem mediate per alios habentes cum eo communionem Pastores reguntur (2).

(1) Ea est optima definitio, ut Logici dicunt, quæ rei genus, quod habet commune cum aliis, et differentiam ab aliis omnibus continet, ita ut cum nulla alia se confundi possit. In data Ecclesiæ definitione id omne invenitur: nam dicimus Ecclesiam *cœtum hominum;* en genus, quod habet commune cum aliis hominum societatibus; et alia, quæ adjungimus, differentiam demonstrant ab omni alia societate, quæ ad Ecclesiam non pertineat. Societates vero omnes, quæ sunt in Ecclesia, sub data definitione comprehenduntur; aliter societates ecclesiasticæ esse non possent. Unde non sunt recipiendæ ut accuratæ, illæ definitiones, in quibus omittitur nota subjectionis Romano Pontifici. Hæc est nota charateristica, quia juxta S. Ambrosium: *Ubi*

est Petrus, ibi ecclesia. Hinc Societates clerico-liberales, et aliæ hujus generis pluries a summo Pontifice reprobatæ et damnatæ ab ecclesiasticis societatibus toto cœlo differunt. Syllab. § 4. — (2) Ecclesia est corpus vivum, in quo est anima et corpus: et quidem anima sunt interna dona Spiritus Sancti, fides, spes, charitas, etc. Corpus sunt externa professio fidei, et communicatio Sacramentorum, ex quo fit, ut quidam sint de anima et corpore Ecclesiæ, ac proinde uniti Christo Capiti interius, et exterius; quidam de anima, et non de corpore, ut cathecumeni, et excommunicati, si fidem habeant et charitatem; quidam denique de corpore, et non de anima, ut qui nullam habent internam virtutem, et tamen spe, aut timore aliquo temporali profitentur fidem, et in Sacramentis communicant sub regimine Pastorum.

21. Ecclesia catholica est una, Sancta, et Apostolica. Una propter eamdem fidem, sacramentorum communionem, et subjectionem Romano Pontifici, ita ut efficiat unum corpus, seu ovile, et habeat unum primum Pastorem, quemadmodum definivit divinus ejus fundator (1). Cum tamen extensa sit per universum orbem, nil officit ejus unitati, si a locis sæpissime appelletur, in quibus exstat, ut cum D. Paulus in duabus suis epistolis ad Corinthios scribens dicit, *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi,* et in duabus ad Thessalonicenses, *ecclesiæ Thessalonicensium;* nam quælibet ecclesia est in una a Christo instituta, et si in ea non est, Ecclesia Christi dici non potest (2). Ecclesia est Sancta tum in se, cum sit opus divinum in sua institutione et conservatione, in fine institutionis, in mediis ad fidem ordinatis, tum religione qua sanctificat homines, cum Christus passione sua eam ditaverit, ut sanctificaret per suum sanguinem populum. Demum Apostolica est, quia ea ipsa est, quam gubernarunt sub Petro Capite, et prædicarunt Apostoli a Spiritu Sancto edocti, et in mundum universum missi ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, quorum successores ab ipso Deo electi, et missi per suum in terris Vicarium adhuc eam gubernant (3).

(1) Joan. 10, ubi Salvator ait: *Ego sum ostium ovium.... Ego sum Pastor bonus.... et animam meam pono pro ovibus meis, et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* — (2) Ita Ecclesia catholica occidentalis et orientalis una est per dogma et su-

bjectionem Romano Pontifici, et differt tantum quoad ritus et disciplinam sub ejusdem Pontificis directione, quam distinctionem non arbitria, Romanorum Pontificum, ut impii affirmant, sed necessitas induxit. Syllab. prop. 38. Ecclesiæ vero nationales divisæ a catholica, et subductæ ab auctoritate Romani Pontificis sunt schismaticæ, et conventicula impiorum. Syllab. prop. 37. — (3) Cum Ecclesia Christi sit Apostolica; necessario est Romana: nam ecclesia Romana est Ecclesia D. Petri Principis Apostolorum, quem Dominus constituit Caput et centrum Ecclesiæ universalis; Ecclesia autem D. Petri est Apostolica: ergo Apostolica ecclesia est Romana. V. Inst. Jur. Can. edit. Parisiis an. 1853. tom. I. pag. 87. Insuper Ecclesia Romana est etiam una, sancta, catholica perpetuo duratura, ad salutem necessaria, et infallibilis. V. Phillips de jur. eccl. § 28.

22. Ecclesia catholica ex divina institutione est *regnum* in terris de regno cœlesti participans, et ad regnum cœleste disponens; est *schola*, in qua adest cathedra infallibilis veritatis; et est *templum*, in quo verum sacerdotium, et vera religio completur (1). Est sane regnum: Rex enim regum, et Dominus dominantium, qui ipsam Ecclesiam fundavit, manifestam regni formam ei tribuit. Nam in statu legis naturæ populum habebat, quem Patriarchæ gubernabant: Abraham constituit patrem multarum gentium, ex quo reges egressuros prædixit (2): Moysem misit, ut populum suum filios Israel de Ægypto educeret (3). In statu legis scriptæ divinam positivam promulgavit legem, dedit populo suo Palestinæ regionem, et constituit ei regem, sicut habebant omnes per circuitum nationes (4). In statu demum gratiæ juxta fidem ab Archangelo Gabriele Mariæ datam Jesus habere debebat sedem regis David, et in ecclesia regnare; dixit enim: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum* (5), quod fuerat prænunciatum per prophetam Danielem, cum de Filio hominis veniente de cœlo sic assuerit: *Dedit ei (Deus) potestatem, et honorem, et regnum.... et regnum ejus quod non corrumpetur* (6). Hæc quæ decretoria sunt de regno Christi, et de regno, quod in Ecclesia sua Christus instituit, aperte confirmantur ab Apostolo Joanne, qui postquam testificatus est, Jesum Christum esse principem regum terræ, subdit: *Qui fecit nos regnum, et sacerdotes Deo, et Patri suo* (7).

(1) Phillips. d. l. § 8 et seqq. — (2) Genes. 17. — (3) Exod. 13. — (4) Deuter. 17. — (5) S. Lucas 1. — (6) Daniel 7. — (7) Apocal. 1.

23. Nihil Ecclesiæ catholicæ deest, ut verum sit regnum. Habet summum imperium sibi proprium, et ab alio omnino independens; nam Christo data fuit *omnis potestas in cælo et in terra* (1); *et omne judicium* (2). Ipse vero Christus hanc potestatem, et judicium tribuit Ecclesiæ suæ, cum dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (3), et cum dixit Petro: *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis* (4), etc. Habet regem invisibilem in ipso Christo, et visibilem in successore B. Petri, cui data fuit potestas et jurisdictio pascendi, et gubernandi illis verbis: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (5), quibus constitutus fuit pastor, et gubernator Fidelium et Pastorum, scilicet subditorum et Principum. Habet assignatum pro ditione sua universum mundum ex illo oraculo: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ* (6): *Docete omnes gentes* (7). Habet societatem hominum inæqualem, in qua sunt, qui regunt, et qui reguntur. Habet suas leges, magistratus collegiales in conciliis, judices in episcopis, aliaque omnia ad regnum constituendum necessaria (8).

His adeo claris S. Scripturarum eloquiis impii opponunt: 1° Christum declarasse regnum suum non esse de hoc mundo: 2° regnum Ecclesiæ esse impossibile, quia cum unaquæque gens suum habeat civilem principatum, per illud fieret, ut esset status in statu, quod ratione damnatur. Ad primum respondemus, Christum sapientissime fecisse, cum dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo* (9); nam in hoc eloquio duæ propositiones sunt, id est, regnum quod est meum, non est de hoc mundo. In prima affirmavit regnum suum, in secunda declaravit, regnum suum non esse de hoc mundo, scilicet non esse regnum temporale ab hominibus constitutum; et ideo cum Judæi vellent eum regem facere, fugit (10), quia regnum, quod ipse fundabat in mundo, erat cœleste et divinum a Deo Patre constitutum. Hinc est, ut recte explicat S. Augustinus, quod Christus non ait: *Regnum meum non*

est in hoc mundo, sed non est de hoc mundo. Non ait: *Nunc regnum meum non est hic, sed: regnum meum non est hinc* (11). Ad secundum respondemus, duplici modo objectionem factam intelligi posse, quatenus nimirum status est in Ecclesia, vel quatenus Ecclesia est in statu. Primo modo intellecta contra assumptum nostrum, et contra rationem nihil continet; nam verum est quemcumque statum, vel regnum in Ecclesia esse debere, tum quia ad mundum universum extenditur Ecclesia, tum quia omnis homo et principatus catholicus esse debet, si finem creationis, vel institutionis suæ velit obtinere. Altero modo intellecta falsa manifeste apparet: nam Ecclesiæ membra, et ministri sunt quidem in statu, quia homines et cives sunt; ipsa vero Ecclesia non est de statu, neque in statu, quia de cœlo est, et in eam principatus sæculares nullam habent potestatem. Sed dato etiam, et non concesso, Ecclesiam esse in statu, continget ideo aliquod absurdum? Minime: nam longe differt status Ecclesiæ a statu civilis principatus: porro ille supernaturalis est pro rebus sacris et divinis; iste naturalis pro rebus temporalibus et terrenis: ille utitur mediis spiritualibus; iste mediis corporalibus: ille intendit æternam felicitatem in cœlis; iste tranquillitatem et prosperitatem in terris. Duo ergo status Ecclesiæ et principatus sæcularis sunt diversi generis, et uterque habet propriam actionis provinciam, quam excedere non debet (12). Nil consequenter est rationi contrarium in eo, quod Ecclesia sit in statu, vel regno temporali, modo hoc illi tamquam nobiliori, salvis suis juribus, subordinetur.

(1) Matth. 28. — (2) Joan. 5. — (3) Joan. 20. — (4) Matth. 16. — (5) Joan. 21. — (6) Marc. 16. — (7) Matth. 28. — (8) Hinc manifesti erroris infecta palam fit sequens impiorum propositio nuperrime damnata: *Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero, et agenti in universa ecclesia, doctrina est, quæ medio ævo prævaluit.* Syllab. prop. 34. — (9) Joan. 18. — (10) Joan. 6. — (11) S. Augustinus in tract. 115, in Joan. — (12) Duæ supremæ mundi potestates debent concorditer procedere ad societatem rite pro spirituali, et temporali bono regendam: Neque Ecclesia a statu, aut status ab Ecclesia separari potest, salva Societatis incolumitate, quia religio est veluti anima, et status veluti corpus Societatis. Conjunctionem animæ

cum corpore necessariam fecit ipsa manus Creatoris; coniunctionem vero religionis cum statu reliquit Deus, ut facerent homines. Quare notata fuit sequens propositio *Ecclesia a statu, statusque ab Ecclesia sejungendus est.* Syllab. prop. 55.

24. Regnum insuper Ecclesiæ est monarchicum: nam D. Petro a Domino Jesu Christo datus fuit in universa Ecclesia, et super omnes fideles et Pastores principatus dignitatis, et jurisdictionis, ut infra demonstrabimus (1). Hoc sane imperii genus conformius est ipsi regno Dei in cœlis, ubi unus est Rex Deus; est simul præstantius et perfectius, quia ordinem, et unitatem Ecclesiæ melius inducit, et servat (2). Sciunt autem omnes, quo studio, et quanto affectu unitatem Ecclesiæ commendaverit Christus in sua oratione ad Patrem cum dixit: *Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.... ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi unum sint* (3). At vero hæc unitas nullo modo melius obtineri potest, quam per unius imperium in omnes. Indubitanter itaque Christus Ecclesiam suam ad monarchici regiminis formam instituisse videtur.

Apostoli quidem, ut Petrus, ab ipso Christo fuerunt electi, ab eodem acceperunt potestatem ligandi, atque solvendi. *Quecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo* (4), etc. Acceperunt Spiritum Sanctum, et potestatem dimittendi peccata: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittentur eis*, etc. (5). Missi sunt in mundum universum ad docendum, et baptizandum: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc. (6). Hinc Apostoli ex divina institutione partem in Ecclesiæ gubernatione magnam habuerunt, cujus participes sunt Episcopi Apostolorum successores (7). Sed eis administratio data fuit sub reservatione confirmationis Petri, cui propterea dixit: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (8). Ex quo manifeste agnoscitur, Ecclesiæ regimen non posse esse aristocraticum, ut contendunt Protestantes, neque monarchicum aristocratia temperatum, ut affirmant alii parum recte de Ec-

clesia sentientes. Nam promissio indefectibilitatis fidei facta fuit tantum Petro, cui uni datæ sunt claves regni cœlorum, quibus significatur suprema potestas (9). Neque concilium generale, ex quo adversarii fundamentum oppositionis desumunt, quidquam ecclesiasticæ monarchiæ derogat, cum contra summum Pontificem nihil possit, cumque absque ejus convocatione, et confirmatione generale Ecclesiæ concilium appellari non possit, ut infra videbimus (10). Si autem Ecclesiæ regimen non potest esse aristocraticum, tanto minus democraticum. Illud profecto verissimum est, quod inter omnia Ecclesiæ membra perfecta viget æqualitas quoad generationem spiritualem per Baptismum, quoad vitam gratiæ in hoc regno militante, et quoad vitam gloriæ in triumphante. Sed est alia generatio spiritualis hierarchica per Ordinem sacrum, qua supra singulos fideles extolluntur Dei ministri, qui tantum sacra facere possunt. Est sane hierarchia divina ordinatione instituta, per quam Episcopi Presbyteris efficiuntur superiores; est et Primatus Pontificis Summi, cui omnes cujuscumque conditionis et ordinis subjiciuntur, ut suis locis demonstrabimus. Insuper Christus potestatem pascendi et gubernandi non dedit populo, sed Apostolis, et nominatim Petro eorum Capiti, qui leges in Ecclesia ad populi exclusionem semper tulerunt, et executioni mandarunt: quæ omnia manifesta sunt argumenta, regimen Ecclesiæ nunquam fuisse, nec esse posse democraticum (11).

(1) N. 123. — (2) Pius Papa VI, monarchici regiminis formam appellat præstantiorem; et Bossuet demonstrat, eam esse communiorem, quæ naturæ magis congruit, et melior in se, omnibus utilior est. V. Theiner docum. ined. tom. 1, pag. 178, edit. Paris, an. 1857. — (3) Joan. 17. — (4) Matth. 18. — (5) Joan. 20. — (6) Joan. 20 et Matth. 28. — (7) Episcopi cum Romano Pontifice gubernant ecclesiam, cum eo infallibiliter docent, cumque eo ligant, et solvunt; sed absque eo, quin colligant, dispergunt, extra episcopatum catholicum vivunt, et ut schismatici in manu proprii consilii privati remanent. V. Phillips de jur. eccl. § 23. — (8) Hæc confirmatio tacita est, vel expressa. Tacita fuit in Apostolis, qui dona a Christo, et potestatem extraordinariam obtinuerunt, et in Episcopis ab Apostolis constitutis. Expressa est, quæ datur Episcopis a Christi Vicario ad ecclesiam particularem missis, qui extra territorium sibi assignatum

nequeunt jurisdictionem explicare, et ab omni jurisdictione cadunt, si missio revocetur. Hujus rei exemplum recens, et omnium gravissimum habemus in Bulla *Ecclesia Christi* Pii VII, in qua nova fit circumscriptio Episcopatuum Galliæ, novi sunt missi Episcopi, et priscis interdictum quodvis jurisdictionis ecclesiasticæ exercitium. — (9) Card. Soglia Inst. jur. pub. part 2, tom. 1. c. 1. — (10) Devoti Inst. jur. Can. in proleg. c. 2, § 20 et 21. — (11) Devoti eod. loc., § 18.

25. Ex præmissis deducitur: 1° Ecclesiam esse hominum societatem perfectam, in qua sunt, qui jure divino imperant, et qui obedire tenentur; immo omnibus aliis societatibus perfectiorem, tum quia ab ipsa divina sapientia instituta, tum quia ratione mediorum et finis omnibus præcellit. Societates enim aliæ ab hominibus institutæ sæpe mutantur, et quandoque pereunt; sed hæc semper eadem usque ad mundi finem perseverare debet, nec portæ inferi contra eam prævalere unquam poterunt. Hinc clare cognoscitur, quanto in errore versentur Protestantes, qui Ecclesiam obtrudunt ad formam collegii institutam, principibus sæcularibus subjectam, in qua omnes omnino sint æquales. Cum enim Ecclesia sit universalis, quia catholica, et apostolica, non subjicitur alicui Imperatori, sive Regi. Neque laicus Princeps aliquam in eam potest habere potestatem directam, aut indirectam; neque se immiscere in iis, quæ ad Ecclesiæ jurisdictionem pertinent, aut impedire, quominus ministri, et fideles catholici propria jura et officia exerceant (1).

Deducitur 2° Ecclesiam esse societatem visibilem, et divino-humanam. Unigenitus enim æterni Patris factus homo eam instituit, divinis et sensibilibus signis, et sacramentis munivit, Petrum suum vicarium, et Apostolos deputavit, homines scilicet divina virtute roboratos, ut fideles fidei præceptis imbutos legibus, præceptis, et pœnis in officio continerent. Adeo divino-humana, et visibilis est Ecclesia, ut in Scripturis sanctis significetur per montem sublimem, per regnum cœlorum in terras evectum, per civitatem sanctam, quæ abscondi non potest, per lumen admirabilis fulgoris, quo universus illuminatur orbis: quæ omnia signa visibilem Ecclesiam liquido demonstrant. Unde graviter errant Protestantes, qui Ecclesiam

habent societatem invisibilem, vel societatem tantum animorum, quasi Ecclesia animis tantum imperare deberet, et princeps sæcularis, tantum corporibus. In hac hypothesi dividitur, et destruitur homo; et ideo hæc talia sunt mentis deliria, quæ ab iis tantum excogitari possunt, qui cognitæ veritati per puram malitiam contradicere student (2).

(1) Errores contrarii, qui nunc catholicarum etiam nationum civilem praxim inficiunt, damnati fuerunt a summo Pontifice nostro Pio IX, in Syllabo, quo maxima nostrorum temporum errorum pars retunditur, ut incolume jus ecclesiasticum servetur, et principes, si velint, sibi, religioni, et societati consulant. Civili potestati non competit potestas indirecta etiam negativa in Sacra. Prop. 41. Eadem non potest se immiscere rebus, quæ ad religionem, mores, et regimen spirituale pertinent, neque de instructionibus judicare, quas ecclesiæ Pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, neque decernere de Sacramentorum administratione, et de dispositionibus ad ea recipienda necessariis, prop. 44. Neque impedire communicationem Pastorum et fidelium Romano Pontifice, prop. 49. Neque potest alia similia facere, quæ passim in citato Syllabo damnantur. — (2) Ecclesia in externo ministerio visibilis est, licet cœlestis gratia, et animarum fides videri non possit; sed illud sufficit, ut visibilis vere dicatur, et sit.

26. Ecclesia nedum est regnum, ut probavimus; sed est et schola, in qua adest cathedra infallibilis veritatis. Profecto Ecclesia habet Verbum divinum revelatum: Adam primus a Deo revelationem accepit, cujus semina quædam a toto genere humano accepta, et conservata fuere; deinde populus Hebræus per Moysem et prophetas; denique Ecclesia Catholica per Jesum Christum. Hæc ultima perfectissima fuit, et talis, ut numquam deficere, aut corrumpi posset, quia ab ipso Deo omnipotenti conservatur. Propterea Ecclesiæ magisterium debet esse infallibile, quale revera est, ut constat ex manifestis Sacrarum Scripturarum oraculis: nam Ecclesiæ divinitus commissum fuit officium docendi omnes gentes sub assessione perpetua Spiritus divini: *Euntes docete omnes gentes, etc.; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (1). Petri fides deficere nequit, pro qua oravit Christus: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (2). Contra Ecclesiam supra Petrum fundatam

non possunt prævalere portæ inferi (3), cum sit *Ecclesia Dei vivi columna, et firmamentum veritatis* (4). Deus est infallibilis, nec potest in promissionibus suis deficere: ergo infallibilis est Ecclesia sua in fidei dogmatibus definiendis, morumque doctrina tradenda (5).

Hoc fidei catholicæ dogma fundamentale est, et omnibus aliis anterius, quia prima est certitudo revelationis factæ, et usque ad nos in sua integritate conservatæ, quam certitudinem Ecclesia dare non potuisset, nisi esset infallibilis. Nec quis dicat, Ecclesiam nunquam expresse definivisse, se esse infallibilem: nam definitio hæc non profuisset, nisi præsupposita ejus infallibilitate. Si enim per absurdam hypothesim fallibilis supponatur, ejus definitio de infallibilitate sua esset fallibilis. Sed semper infallibilem se habuit ex virtute Spiritus Sancti in definiendis rebus fidei, et morum. Hinc in primo concilio Hierosolymæ ab Apostolis celebrato, D. Petrus nomine Ecclesiæ definitionem protulit tamquam infallibile Spiritus Sancti oraculum: *Visum est Spiritui Sancto et nobis* (6). Hanc firmam persuasionem habuerunt omnia concilia œcumenica, et postremo Tridentinum, quod *in Spiritu Sancto* legitime congregatum se declarat. Hanc persuasionem habuerunt Summi Pontifices, et postremo Pius IX, qui damnat protervos assertores, Ecclesiam, sive Pontifices, et concilia, *in rebus fidei, et morum definiendis* errasse (8). Cum demum Spiritus Sanctus Ecclesiam doceat, in quo fundata est, et subsistit, infallibilis procul dubio esse debet; et potest, ac debet infallibiliter dogmatice definire, sicut in necessitate millies definivit, Religionem catholicam esse unicam veram Religionem, extra quam nemo valet Deo placere, æternamque cum Deo felicitatem consequi (9).

(1) Matth. 28. — (2) Luc. 22. — (3) Matth. 16. — (4) I. ad Tit. 3. — (5) Unde S. Irenæus aiebat: *Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime contulerint omnia, quæ sunt veritatis, ut omnis quicumque* velit, *sumat ex ea potum vitæ, non erroris.* L. 3 c. 4; et S. Augustinus subjungebat: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas.* Ideo veritas religionis non est quærenda a philosophia, ut asseverant Rationalistæ, et ratio quomodocumque exculta nequit ad veram scientiam reconditiorum dogma-

tum pervenire. Sed necesse est, ut ratio humana rationi divinæ, sive Revelationi se submittat; et Ecclesia errores philosophiæ non potest tolerare, relinquendo ut ipsa se corrigat, sicut aperte eruitur ex propositionibus damnatis. Syllab. prop. 9, 10 et 11. — (6) Act. Apost. 11. — (7) Sess. 2, 3, 4, et plurib. in loc. — (8) Syllabus prop. 23. Inter antiquiores vero Pontifices S. Lucius Papa memoriæ tradidit, ecclesiam Apostolicam omnium ecclesiarum matrem nunquam errasse, *sed ut in exordio normam fidei christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus manet.* Can. 9, c. 24, q. 1. Similiter S. Sixtus II, adjunxit: *Memor sum me sub illius nomine ecclesiæ præsidere.... cujus fides nullam hæresim umquam fovit, sed omnes quidem hæreses dextruxit.* Can. 10 eod. Item S. Eusebius Papa: *In sede Apostolica extra maculam semper est catholica servata Religio.* Can. 11 eod. Similia repetit S. Julius, et Agatho Papa, qui hæc habet: *Sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tamquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint.* Can. 2, dist. 19. — (9) Ob hanc causam Pius Papa IX sequentem damnavit propositionem: *Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, Religionem catholicæ Ecclesiæ esse unice veram religionem.* Syllab. prop. 21.

27. Doctrinæ magisterium Ecclesia exercet per Episcopos, quibus tamquam Apostolorum successoribus dictum est: *Euntes docete omnes gentes: euntes prædicate Evangelium omni creaturæ* (1). Episcopi tamen singillatim sumpti ea tantum docere, et prædicare possunt, quæ ex verbo divino tradito, vel scripto manifesta et indubia acceperunt, vel definita ab Ecclesia certo apparent. Si vero Episcopi sumantur simul uniti in concilio generali cum eorum capite Romano Pontifice, qui acta concilii probet, ecclesiam docentem efformant, et in definiendo dogmate, moribusque componendis infallibilitate gaudent. Sic enim congregati universam repræsentant Ecclesiam tam in capite, quam in membris, cui prærogativa infallibilitatis a Christo data est. Ideo concilia œcumenica *Sancta* vocantur, tamquam *Evangelica, et paradisi flumina* habentur, quæ *fidei doctrinam plenissime prædicant* (2).

Supremum tamen doctrinæ magisterium soli Petro, ejusque successoribus competit. Veritas hujus asserti dimanat ex primatu, quem summi Pontifices ex jure divino supra omnes tenent in universa Ecclesia (3). Primatus enim continet potestatem judicandi absque appellatione in Principe, et in subditis officium obediendi absque repugnantia: nam primatus foret inefficax, si subditi doctrinis,

et definitionibus principis possent reluctari, et aliter agere vel sentire. Jam vero, si magisterium doctrinæ in conciliis œcumenicis est infallibile, potiori jure tale esse debet in Pontifice Petri successore, cum concilia robur et firmitatem a solo Pontifice obtinere queant: nam si in conciliis Papa non sit, et acta postea non confirmet, concilia nullum habent robur, neque Ecclesiam repræsentant, neque infallibilitate donantur (4). Quare dici non debet Papa infallibilis propter concilium, sed concilium propter Papam; quia Christus non fundavit Petrum supra Ecclesiam, sed Ecclesiam supra Petrum, et Petrum supra se ipsum, qui est *lapis vivus, summus, angularis, electus, prætiosus, qui factus est in caput anguli* (5).

Hæc præterea prærogativa infallibilitatis D. Petri, ejusque successorum per illam dogmaticam definitionem designatur, qua, interrogante Domino, quem ipsum Apostoli esse dicerent, solus Petrus a Deo Patre inspiratus respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi* (6); declaratur ab eodem Petro in concilio Hierosolymitano, cum de se sic testatur: *Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere* (7); probatur ex praxi Ecclesiæ, quæ semper obtemperavit summo Pontifici, ut si vere esset infallibilis (8); demonstratur demum ratione, quia Pontifici ad recte regendum Ecclesiam infallibilitas est necessaria, et Deus in necessariis non deficit. Porro Ecclesia eget oraculo vivo permanente, a quo semper queat vocem veritatis exquirere, cui aptari possit divina assistentia ipsi divinitus promissa *singulis diebus* (9), quia omnibus diebus possunt occurrere veritates confirmandæ, et errores damnandi. At solus Papa potest esse oraculum vivum, et permanens, cui divina assistentia ad hoc quotidie sit concessa. Neque hoc privilegium pro universali Ecclesia possunt sibi vindicare Episcopi singuli, neque concilia generalia, quæ non nisi raro et difficiliter celebrantur. Dicendumne erit, Ecclesiam universalem non habuisse divinam assistentiam per plura sæcula; quæ inter unum aliudque generale concilium præterfluxerunt? Et si habebat assistentiam, de quo dubitari non potest, quænam erat persona, quæ ea uti, et frui posset, nisi Papa (10)? Papa

ergo est infallibilis in definiendis fidei dogmatibus, morumque præceptis stabiliendis (11). Sed hoc verum est, quando Papa universalis magistri suscepta persona, ex sua voluntate, et plena potestate, tamquam Christi Vicarius, in nomine Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, aut in nomine et auctoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ, aliquid circa fidem, aut mores definit, vel decernit pro certa omnium fidelium norma, sive id in concilio, sive extra concilium id faciat (12), et nulla alia requiritur conditio (13) (**A**).

(1) Matth. 28 Marc. 16. — (2) Can. 1, dist. 15. — (3) Inf. n. 123. — (4) V. Phillips de jur. eccl. § 88. — (5) I. Petr. 2. — (6) Matth. 16. — (7) Act. Apost. 15. — (8) Tota in suffragium hujus sententiæ posset afferri antiquitas, et moderna Ecclesiæ praxis; sed sufficit nobis afferre ex antiquis exemplum S. Innocentii I, qui in Pelagianos damnationis decretum emisit, quo audito, S. Augustinus exclamavit: *Causa finita est, utinam aliquando finiatur error!* Serm. 131 de verb. Apost. c. 10. Idem Innocentius suum factum doctrina confirmat, cum ad Episcopos Milevitani concilii scribens ait: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et Episcopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis et honoris auctorem referre debere (veluti nunc retulit vestra dilectio) quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Can. 12, c. 24, q. 1. Novissimis vero diebus gloriosus Pius Papa IX, Supremo suo judicio Immaculatam Sanctissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ Conceptionem definivit, et tamquam fidei dogma omnibus credendum proposuit. Bul. *Ineffabilis Deus* an. 1854, quod, universo plaudente catholico mundo, ubicumque prædicarunt Episcopi, in quo enituerunt Galliæ Antistites, qui pro infausto eorum nationali systemate hanc veritatem prius tantopere oppugnarunt. Quare sicut olim Patres concilii Calcedonensis exclamarunt: *Petrus per Leonem loquutus est;* sic nunc universi catholici læti exclamant: *Petrus per Pium nonum loquutus est.* Unde causa finita est. — (9) Matth. 28. — (10) Idcirco decreta dogmatica summi Pontificis accipienda omnino sunt ut definitiva, non ut provisoria, quod quidam Doctores falso persuadere conantur, quos sapienter confutat Georgius Phillips in suo opere de Jur. Eccl. § 88. — (11) Pius IX, in superius citata constitutione *Ineffabilis Deus* circa definitionem a se editam Conceptionis Immaculatæ Deiparæ Virginis Mariæ declarat, aliter sentientes, quam a se definitum fuit, *naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiæ defecisse.* — (12) Hinc sequitur, Papam hac prærogativa non frui, quando ut homo hanc vel illam opinionem etiam circa fidem, et mores tenet, et quando de facto agitur, quod ipse ut homo cognovit, et ut homo testatur: nam licet sit evectus ad summi Pontificatus fastigium hominis viatoris conditionem retinet. Phillips de jure eccl. § 89. — (13) Id. ib. § 90.

(**A**) Nunc vero, Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, esse

infallibilem, dogma est *de Fide catholica;* quia toti Ecclesiæ universali credendum proponitur per Sacros. Oecumenicum Concilium Vaticanum. In ejus enim sess. IV Const. *Pastor æternus* habetur. « Itaque Nos traditioni a Fidei Christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicæ exaltationem, et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica Auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pollere qua D. Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse. — Si quis autem huic Nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit; anathema sit. » *(Nota Ed.)*

28. Ecclesia demum est templum, in quo vivit, et viget Sacerdotium a Christo Domino institutum. Hoc Sacerdotium non est illud Melchisedech, licet factum secundum ejus ordinem, non est illud Aaronis; sed est Sacerdotium Sanctum, regale Sacerdotium (1), sempiternum Sacerdotium secundum virtutem vitæ insolubilis (2). In templo per Pontifices et Sacerdotes exercetur ad populum Dei sanctificandum in nomine et virtute Jesu Christi, qui primus et perpetuus est Pontifex et Sacerdos, et simul Sacrificium (3), cujus cæteri Pontifices et Sacerdotes sunt ministri. Hi potestate divina muniti sacramentis, benedictionibus, et precibus populi sanctificationem operantur, quæ directe et principaliter animas hominum afficit, indirecte autem et secundario etiam corpora, et res materiales, quæ in usum divini cultus sunt assumendæ, ut sunt res sacræ et religiosæ: nam divinum Sacerdotium postulat, ut quæ in ipso continentur, vel ipsum contingunt, sanctificentur, de quibus infra suis in locis pro instituto nostro agemus.

Officium Pontificum et Sacerdotum a Liturgia dirigitur, quæ *publicum ministerium* sonat, et potest definiri: *forma cultus externi a Deo data, vel ab Ecclesia probata.* Dicimus *a Deo data,* quia ritus sacramentorum de eorum materia et forma, non possunt provenire nisi a Deo. Di-

cimus *ab Ecclesia probata,* quia in reliquis non essentialibus, sed accidentalibus ritus externi cultus sunt ab Ecclesia instituti (4). Solus Papa in universa Ecclesia Liturgiam, moderatur per se, vel per S. Congregationem Rituum, quæ in hac re in toto orbe habet ordinariam et Apostolicam potestatem. Unde Episcopi independenter a Papa, vel ab eadem S. Congregatione Liturgiam mutare, aut novam instituere non possunt, ut in Concilio Tridentino definitum reperimus (5). Præcipui libri liturgici sunt: Missale (6), Breviarium (7), Martyrologium (8), Pontificale (9), Cæremoniale Episcoporum (10), et Rituale (11).

(1) I. Petr. 2. — (2) Ad Hebr. 7. — (3) Cap. 1. de Trin. et fid. cath. — (4) Liturgia catholicæ religionis eam mirifice adjuvat, cujusque etiam dogmata exprimit, atque demonstrat, quo demonstrationis medio sancti Patres, et Doctores usi sunt: unde Cœlestinus Papa sic aiebat: *Legem credendi lex statuit supplicandi,* epist. ad Gal. episc. c. 11. V. Bouix de jur. liturg. p. 1. c. 7 § 2 prop. 4. — (5) Can. 13 sess. 7. Antiquitus episcopi ex tacita, vel expressa summorum Pontificum concessione in liturgia dirigenda in suis respective diœcesibus magnam habuerunt partem; sed cum hoc egerint ex delegatione, et non jure sibi proprio, nihil ex eo colligi potest contra supremam in liturgia summorum Pontificum auctoritatem. Propterea a vero longe aberrant, qui potestatem in liturgiam nedum episcopis, sed etiam principibus sæcularibus tribuunt, ut eam queant dirigere et mutare, sicut Protestantes, et Gallicanismi sectatores faciunt. — (6) Circa Missale observamus, fuisse a S. Pio V sancitum, ut in omnibus ecclesiis Romani ritus Missa celebretur juxta Missale a se editum, aliis omnibus suppressis, ita ut huic Piano Missali nihil umquam addi, detrahi, aut immutari posset, et ut aliæ cæremoniæ, aut preces, quam quæ in hoc Missali continentur, quacumque consuetudine, privilegio, et juramento roboratæ in Missa addi, vel recitari non possent sub Apostolicæ indignationis pœna. Exceptio tamen ab eodem Pontifice facta fuit in casu, quo ab ipsa prima sua institutione Missale fuerit a sede Apostolica probatum, vel jam assiduam observantiam habuerit ultra ducentos annos. Hoc notandum, quod in ecclesiis Romani ritus, quales erant omnes fere ecclesiæ Occidentis, ante S. Pium V, observata quidem fuit eadem liturgia in substantialibus; sed in accidentalibus quædam in quibusdam provinciis introductæ fuerunt variationes. Jam vero has variationes ante bis centum annos introductas, et assidue retentas S. Pius V, incolumes servavit, ut videre est in ejus Bul. *Quo primum tempore* Missali præmissa. Deinde Clemens VIII, et Urbanus VIII, similiter mandarunt, ut hoc Missale extra statum ecclesiasticum edi non posset, nisi de licentia Inquisitorum, vel Ordinariorum in scriptis obtenta initio, vel in fine Missalis imprimenda, in qua ipsi manu propria attestarentur,

impressum Missale cum Piano collatum fuisse, et omnino concordare, gravissimis impositis pœnis tum typographis, tum Inquisitoribus, et Ordinariis contra facientibus, tum etiam Missale non probato utentibus. Bul. *Cum sanctissimum* Clem. VIII, et Bul. *Si quid est* Urb. VIII Missali apposita. Hæc diximus de Missalibus Romani ritus, quia non extenduntur ad alia, veluti ad Ambrosianum, ad Mozarabicum, ac præsertim ad Græcum. Græci enim habent Euchologium, quod simul Missale, Rituale, Pontificale, et Cæremoniale est: qua de re plures edidit bullas Benedictus XIV, ut est Bul. *Demandatam*, Bul. *Etsi pastoralis*, Bul. *Ex pastorali*, et Bul. *Ex quo primum*. — (7) Circa Breviarium observamus, eumdem S. Pium V an. 1568 in ecclesiis ritui Romano addictis omnia Breviaria abolevisse, quæ ab eorum prima institutione non fuissent a sede Apostolica approbata, vel assiduæ observantiæ ducentos annos non haberent, et suum novum edidisse Breviarium quod præcepit ab omnibus accipi, et recitari, ita ut ei nihil addi detrahi aut mutari posset et ita ut omnes obligaret in conscientia sub gravi peccato et sub pœna non satisfaciendi præcepto recitationis horarum canonicarum; Bull. *Quod a nobis* Breviario præmitti solita. Postea Clemens VIII et Urbanus VIII præscripserunt necessitatem licentiæ Inquisitorum, vel Ordinariorum, pro nova ipsius Breviarii impressione, modo, et sub pœnis, ut supra de Missali dictum est. Bul. *Cum in Ecclesia* Clem. VIII, et Bul. *Divinam Psalmodiam* Urb. VIII. Neque valet contra prædicta ulla præscriptio, quæ non habeat ducentos annos observantiæ ante S. Pium V, ut pluries declaravit S. Congregatio Rituum, ut in una *Novarien.* 7 april. 1832; et 26 ejusd. 1834, in alia *Brixien.* 27 febr. 1847, penes Gardellinum. Propterea episcopi nequeunt eorum Calendario nova addere Sanctorum officia, quæ in Breviario Piano non inveniantur, vel non sint eis a S. Rituum congregatione concessa, neque ea extendere possunt de loco ad locum, aut eorum mutare ritum. — (8) Martyrologium Romanum a Gregorio XIII editum, et a Benedicto XIV correctum obligatorium est pro omnibus ecclesiis latinis, et etiam pro illis, quæ proprium Missale, et Breviarium non habent: nam idem Gregorius sancivit, ut, omni alio Martyrologio amoto, in omnibus ecclesiis sæcularibus, et regularibus absque ulla exceptione servandum esset, et ut, si particulares ecclesiæ alios haberent Sanctos celebrari solitos, eos nequirent in hoc Martyrologio inserere, sed deberent separatim suo loco, et ordine descriptos tenere. Bul. *Emendato*. Nunc vero in choro adhibenda sunt exemplaria Martyrologii a præfato Benedicto correcti, quibus nihil addi, mutari, vel adimi ab Episcopis potest, sicut continetur in cit. Bulla, et S. Rituum Congregatio definivit in una *Cremonen.* 10. Janu. 1852. Inseri tamen in eodem possunt Sancti ab ultima editione canonizati, non vero Beati solummodo declarati. Decret. S. Cong. Rit. 30 Aug. 1680. — (9) Pontificale Romanum editum a Clemente VIII per Bullam *Ex quo*, et ab Urbano VIII correctum per Bullam *Quamvis alias*, similiter obligatorium est pro omnibus Prælatis, et ecclesiis latinis. Nec ejusdem libri Pontificalis nova editio fieri potest, nisi de licentia Inquisitorum, vel Ordinariorum modo, et sub pœnis pro nova Bre-

viarii impressione statutis. — (10) Cæremoniale episcoporum a Clemente VIII in Bul. *Cum novissime*, ab Innocentio XI in Bul. *Etsi alias*, et a Benedicto XIII in Bul. *Licet alias* publicatum, est pariter in ecclesia latina obligatorium pro omnibus, ad quos spectat. Nec valet contra ipsum consuetudo, nisi sit immemorabilis, et laudabilis: sacra enim Congregatio definivit, cæremoniale prædictum ab omnibus esse observandum *ad unguem*, et non prodesse affirmationem; illud non fuisse receptum. In *Salernitana* 16. Jul. 1605. — (11) Demum Rituale Romanum editum a Paulo V per Bul. *Apostolicæ sedi*, et a Benedicto XIV, auctum et castigatum per Bullam *Quam ardenti* ipsi Rituali præmissam, pariter obligatorium est. Olim quidem dubium esse poterat, an Rituale haberet vim legis, ut habent Missale, Breviarium, Martyrologium, Pontificale, et Cæremoniale, ea præcipue de causa, quia præfatus Paulus Pontifex in Bulla editionis usus est verbo *hortamur* pro *mandamus*, quasi hortatus sit, omnes ad illum observandum, non autem observari præceperit. Sed ita non est: nam idem Pontifex antequam hortaretur professus est, suum Rituale continere ritus, *qui in sacramentorum administratione, et aliis ecclesiasticis functionibus servari debent;* et declaravit, se novum Rituale dare *Apostolicæ sedis auctoritate.* Deinde non dixit simpliciter *hortamur*, sed *hortamur in Domino*, per quod præcepto adjungitur hortatio in nomine Domini, ut accuratius exequatur. Revera post dictum verbum, *hortamur*, subjunxit, ut omnes *imposterum tamquam Ecclesiæ Romanæ filii, ejusdem Ecclesiæ omnium matris, ac magistræ auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus uterentur, et in re tanti momenti, quæ catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.* Ex quibus patet, verbum *hortamur* æquivalere verbo *mandamus.* Nunc vero rem absolvit resolutio S. Congregationis Rituum, quæ definivit, leges Ritualis totam afficere Ecclesiam, ideoque integre servandas, in una *Trecensi* 7, Sept. 1860. Vide Barrufaldum in Com. ad rit. tit. 1 n. 10.

TITULUS IV.

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS.

SUMMARIUM: 29. Quid sit lex ecclesiastica? — 30. Debet esse legi naturali conformis, au saltem non opposita. — 31. Qui possint legem facere? — 32. Quid sit concilium, e quotuplex, a quibus, et quomodo celebrandum? — 33. Canones Concilii generalis omnes christianos obligant. — 34. Canones Concilii provincialis, et diœcesani obligan tantum subditos. — 35. Lex Ecclesiæ obligat hæreticos, non paganos. — 36. Requirit promulgationem, non acceptationem. — 37. Quot modis cesset? — 38. Quotuplex ejus interpretatio? — 39. Quæ ejus obligatio?

29. Lex ecclesiastica, sive Constitutio, quod idem est, sic a *ligando,* vel *legendo* dicta, quod subditos ligat, vel a subditis scripta legitur, est *recta agendorum ratio a Superiore Christi fidelibus sibi subditis denunciata cum voluntate eos perpetuo obligandi ad aliquod agendum, vel omittendum.* Ex hac definitione haurimus quidquid in titulo sumus dicturi.

30. Lex est *recta agendorum ratio:* hinc debet esse legi naturali conformis, aut eidem non opposita, a qua legum lege informatio petitur, ut agnoscatur quid recte, aut inique in singulis legibus statuatur; quando tamen est legitime lata lex præsumitur legi naturali conformis, quia juxta monitum S. Augustini: nostrum est non de legibus, sed secundum leges judicare: debet esse juxta quod explicat S. Isidorus Hispalensis *honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, sed pro communi civium utilitate conscripta* (1).

(1) Can. 2, dist. 4. Hoc nedum de legibus ecclesiasticis, sed etiam de civilibus dicendum est, quæ legi naturali nequeunt esse contrariæ. Ideo damnata fuit propositio, quæ simpliciter a statu reipublicæ omne deducit jus nullis circumscriptum limitibus. Syllab. prop. 39.

31. Lex *a Superiore* provenit, quo nomine in themate legis universalis tantum Summus Pontifex, et Concilium

generale legitimum intelligitur (1); in themate vero legis particularis pro aliquo loco, certisque negotiis, intelliguntur Legati Pontificis, Episcopi, Concilia particularia, inferiores Prælati, et Capitula Cathedralium (2).

Summus Pontifex tamquam Christi Vicarius et Pastor universalis omnium ovium, et pastorum ex jure divino plenissimam habet leges ferendi, et judicandi pro toto orbe catholico potestatem, quam exercere solet in gravioribus negotiis per *Bullas,* et in levioribus per *Brevia* (3), vel per Decreta SS. Congregationum.

(1) Animadvertimus tamen, concilium generale non habere vim condendarum legum in se, sed a summo Pontifice: nam si Pontificia auctoritas concilio desit, leges nequit condere, quæ universos obligent fideles. Bouix tract. de princ. jur. can. part. 2, sect. 1, c. 5. — (2) Capitula ecclesiarum cathedralium habere potestatem condendi leges tempore episcopalis sedis vacantis indubitatum est: nam capitula hoc casu omnem consequuntur ordinariam episcopi jurisdictionem, ut infra videbimus n. 195; sed etiam tempore sedis plenæ habent potestatem edendi ordinationes et statuta, quæ respiciant ipsum capituli corpus, et suam ecclesiam, et clericos. Hac de re egimus in alio opere, quod inscribitur: *Theorica et Praxis regiminis Diœcesani præsertim Sede Vacante.* Parisiis, 1876, a n. 29 ad 44. — (3) Brevia a brevibus verbis, quibus solent concipi, vel a brevi materia, aut negotio, quod tractatur, appellantur, quibus sigillum ceræ rubræ adjungitur, et *annulus piscatoris* dicitur, quia D. Petri piscationem exercentis imaginem refert. Bullæ vero appellantur a sigillo plumbeo, vel aureo repræsentante hinc SS. Petri et Pauli imagines, inde nomen regnantis Pontificis, quod ex Apostolico legis chirographo per funiculum sericum, vel cannabem pendet. Devoti Inst. can. in proleg. cap. 7, § 95 et seqq.

32. Legitimum quoque Concilium eadem facultate pollet. Quod Latini Concilium, Græci Synodum vocant; et est *cætus Prælatorum ad ecclesiastica negotia definienda legitime convocatorum.* Concilia dividuntur in *Generalia,* seu *Œcumenica,* et *Particularia,* sive *Topica.* Ad Generale Concilium cujus est catholicum dogma definire, et morum, disciplinæque regulas statuere, quatuor requiruntur: ut a Summo Pontifice indicetur; ut ipse eidem per se, vel per suos Legatos præsit; ut omnes convocentur Episcopi (1), et ut ab eodem Pontifice confirmetur (2). Præter Episcopos tamen ad ipsum vocantur S. Rom. Ecclesiæ Cardinales,

qui eidem post Pontificem subscribunt, et Abbates etiam benedicti, Ordinumque Regularium Superiores Generales. Interesse quoque solent principes catholici per se vel per Legatos suos, et alii Doctores; et illi quidem ut custodes, ac vindices; hi vero ut Doctores, et Magistri (3).

Concilium vero particulare est, quod in aliqua Provincia, vel Diœcesi celebratur; unde aliud Provinciale, et aliud Diœcesanum dicitur. Provinciale ab eo cogitur, qui toti Provinciæ præest, et ex Provinciæ Episcopis, et Prælatis jurisdictionem quasi episcopalem habentibus componitur, qui omnes jus habent decisivi suffragii, quo jure etiam Capitulum Ecclesiæ Cathedralis tempore sedis vacantis fruitur. Agitur in eo de omnibus Provinciæ negotiis, justitia redditur non solum per viam appellationis, sed et per modum simplicis querelæ, et leges opportunæ conduntur ad mores reformandos, et ad disciplinam ecclesiasticam collapsam restituendam; at contra sacros canones ab Ecclesia probatos, aut de fide, aut de gravioribus Episcoporum causis nil potest decerni. Propterea tale Concilium antequam publicetur per Sacram Congregationem Concilii est revidendum (4).

Demum concilium Diœcesanum, singulis annis de jure habendum, indicitur ab episcopo, qui solus, cum in eo sedeat tamquam Judex, jus habet pleni suffragii. Ad hoc Concilium, in quo de rebus ad mores, et ad disciplinam pertinentibus agitur, omnes vocantur Archipresbyteri, Parochi, et Beneficiati, omnes dignitatem, vel personatum, vel officium habentes, et quotquot de jure vel consuetudine interesse possunt. Hoc Concilium nulla indiget S. Congregationis revisione, aut approbatione (5).

(1) Non est tamen necesse ad validitatem concilii, ut omnes episcopi sint præsentes; sed sufficit, si omnes sint convocati, et aliquot ex diversis Provinciis conveniant, ita quidem ut, eorum conventus, inspectis locorum, personarum, et temporum circumstantiis, concilium generale dici possit. — (2) Si non habeat has conditiones concilium dicitur *conventiculum*, vel *conciliabulum*; et si Papa ab inchoato concilio recedat, manet acephalum. — (3) Post concilia ab apostolis habita, de quibus videri potest Gonzales in apparatu ad comm. in Decretales n. 31, plurima alia concilia fuerunt in ecclesia celebrata. Vera tamen concilia œcumenica tantum decem et octo recte nume-

rantur, videlicet: *Nicenum* I an. 325, sub S. Silvestro contra Arium; *Constantinopolitanum* I an. 381, contra Macedonium, *Ephesinum* an. 431, contra Nestorium; *Calcedonense* an. 451, contra Euthychetem; *Constantinopolitanum* II, an. 553, contra varios errores; *Constantinopolitanum* III, an. 681, contra Monothelitas; *Nicenum* II, an. 787, contra Iconomachos; *Constantinopolitanum* IV, an. 869, contra Photium; *Lateranense* I, II, III et IV pro ecclesiastica disciplina, et contra varios errores; *Lugdunense* I et II pro ecclesiæ necessitatibus; *Viennense* an. 1311, contra malas associationes; *Florentinum* an. 1434, pro reductione Græcorum ad fidei unitatem; *Lateranense* V, an. 1512, contra conciliabulum Pisanum, et Pragmaticam Galliæ sanctionem; et *Tridentinum* an. 1545, contra Protestantes. Pro memoria juvanda Doctores exhibent hæc concilia sub initialibus eorum litteris in modum cujusdam versus compositis, ut sequitur: Ni-Co-E-Cal-Co-Co-Ni-Co-La-La-La-La-Lu-Lu-Vi-Flo-La-Tri (**A**). — (4) Card. Soglia Inst. jur. pub. § 37. — (5) Benedictus XIV, de synod. diœc. l. 13, c. 3, n. 6. Nihilominus quandoque etiam concilium Diœcesanum revisioni, et approbationi S. Sedis exibetur, et ab eadem approbatur. In quæstione autem an post approbationem concilium Provinciale, vel Diœcesanum induat naturam legis Pontificis, cui Ordinarii nequeant amplius derogare, videndum est, an approbatio facta sit in forma communi, vel in forma specifica cum clausula, *motu proprio, et ex certa scientia:* nam hoc secundo casu derogatio non admittitur, quia robur adest legis Pontificis; in illo autem primo casu approbatio nullum novum tribuit robur; et ideo derogatio admittitur. Id. ib. c. 5, n. 11.

(**A**) Vaticanum insuper inceptum sexto idus Decembris, id est, in Festo Imm. Conceptionis B. M. V. anni 1869, præsidente ipso Summo Pontifice immortali Pio IX, præsentibus plus septingentis Catholici Orbis Episcopis ex maxime dissitis etiam regionibus, ad profligandos grassantes nostræ ætatis errores, qui tum religiosam, tum civilem societatem labefactare conantur. (*Nota Ed.*)

33. At vero concilii Generalis canones Sancti Spiritus instinctu dictati omnes per Orbem universum Christi fideles, pariter ut Apostolicæ constitutiones constringunt. Licet enim in concilio sint conditi, adhuc tamen a Pontifice procedunt, qui ipsum concilium regit, atque confirmat, ut Supremus Princeps, et caput cum plenissimo honoris, et jurisdictionis primatu universalis Ecclesiæ tam distributive, quam collective sumptæ. Unde S. Gregorius Papa quatuor prima generalia concilia, nempe Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, et Calcedonense, sicut quatuor Evangeliorum libros se tota devotione suscipere, et amplecti, et integerrima approbatione se custodire, et venerari fatetur (1).

(1) Can. *Sicut Sancti* 2 dist. 15; et hoc Pontifex affirmat, quia in his veluti in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, et cujuslibet vitæ, et actionis norma consistit. Idem confirmat Innocentius III, in cap. II de Renunt., et imperator Justinianus in Novel. 131 c. 1.

34. Decreta inde, et leges in concilio Provinciali sancita subditos tantum obligant intra limites provinciæ existentes: nec refert, quod hujusmodi concilia per S. Congregationem recognoscantur; quia revisio eo tantum fine datur, ut intra provinciam, non vero extra, executionem obtineant (1). Quod si loca quædam similium conciliorum in codicibus, Decretalium, ut leges generales recensita reperiuntur, non a concilio, sed a Pontifice vim consequuntur, qui omnia sua facit, quibus suam impertitur auctoritatem. Leges similiter in concilio Diœcesano editæ solos diœcesanos obligant, pro quibus sunt latæ, ut leges a quacumque auctoritate constitutæ solos obligant subditos in proprio territorio existentes, cum ex regula juris extra territorium jus dicenti non pareatur impune (2). Idcirco leges Ecclesiæ generales obligant omnes fideles; leges vero particulares locorum eos tantum regulariter obligant, qui de territorio, et in territorio legislatoris sunt (3).

(1) Hac de re a vero vehementer aberrant, qui leges concilii Nationalis tanquam leges universales habent, easque ab approbatione Summi Pontificis eximunt. Propterea merito reprobata, et damnata fuit sequens propositio: *Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.* Syllab. prop. 36. — (2) Cap. 2 de constit. in 6. — (3) Hinc communiter Doctores tradunt, peregrinos non obligari legibus locorum, per quæ pertranseunt, quia non sunt subditi, nisi illis expresse aut tacite se subjiciant, veluti si vellent ibidem contractum inire; nam tunc leges loci deberent actum regere. Similiter Doctores tradunt, eos, qui a sua patria abscedunt, non teneri a particularibus eorum patriæ legibus, quia istæ leges extra territorium legislatoris non extenduntur.

35. Lex a superiore proponitur *Christi fidelibus subditis*, ipsosque afficit schismaticos, et hæreticos, non vero Judæos, Saracenos, Mahometanos, aliosque paganos, quia hi per januam Baptismi in Ecclesiam numquam ingressi sunt: *Quid mihi*, aiebat D. Paulus, *de iis, qui foris sunt, judicare?.... Nam eos, qui foris sunt, judicabit Deus* (1). Hæ-

retici vero cum per Baptismum Ecclesiæ membra sint effecti, ob sceleris turpitudinem Ecclesiæ legibus se subducere nequeunt, quia nemo ex suo delicto meliorem conditionem suam facere potest. Neque juvat asserere, hæreticos esse membra a corpore Ecclesiæ abscissa: nam ita appellantur quoad communionem, non vero quoad characterem; qui, si convertantur, queunt altius, quam alii, in cœlum conscendere (2).

(1) I ad Corint. 5. — (2) Reiffenstuel de constit. n. 274. Lex ecclesiastica ipsis supremis Magistratibus et Principibus proponitur. Unde Joannes Papa aiebat: *Si Imperator catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ. Quod ad religionem competit, discere ei competit, non docere.... Deus enim voluit, sæculi potestates, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ sacerdotibus esse subjectas.* Can. 11, dist. 96.

36. Lex debet esse subditis *denunciata*, vel promulgata: nam vere lex intimatur, cum promulgatur, et culpari non possunt, qui ignorantes eam violant. Intimatio non requiritur ad aures, sed sufficit, ut quis sciat, legem solemniter editam, aut publice promulgatam; et in lege ecclesiastica generali interdum promulgatio in unaquaque provincia, et diœcesi fit (1); ex stylo vero Curiæ tantum Romæ per affixionem ad valvas Basilicæ SS. Apostolorum, et in acie campi Floræ, quo casu ex communiori Doctorum sententia adhuc omnes fideles obligat (2).

Lex ecclesiastica promulgata ex se vim habet obligandi, nullaque est opus populi, aut fidelium, aut potestatis civilis, aut Episcoporum acceptatione, aut licentia, sive recognitione (3). Ecclesiæ siquidem Superiores legitimam auctoritatem a Christo Jesu leges imponendi consequuntur (4). Quare violatores legis sunt, qui legem promulgatam non accipiunt, quique prætextu non-acceptationis eamdem non observant, ubi de Superioris dispensatione vel consensu non possit justa capi præsumptio. Idcirco si lex justa de causa bono communi non congruat, facile est remedium recurrendi ad Superiorem pro suspensione, aut revocatione legis, quo subditi, inviolato auctoritatis jure, uti possunt juxta memorabile exemplum Alexandri III Ravennatensi Archiepiscopo ita rescribentis: « Si quando

» aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum
» exasperare videantur, turbari non debes... Qualitatem
» negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans,
» aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per
» litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem
» causam prætendas. Quia patienter sustinebimus, si non
» feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione sugge-
» stum (5) »; et similia habet Benedictus XIV (6).

(1) Hoc contingit quando lex ipsa id fieri præscribit, uti est casus in can. 13, de pœnit. et remis. et in cap. I, Sess. 24, concilii Tridentini de ref. matr. — (2) Hæc sententia vera est: nam si agitur de rebus fidei et morum, omnes Doctores fatentur, ex tunc Pontificias constitntiones obligare, cum primum ad hominum notitiam quocumque modo pervenerint. Id aperte declarat Tournely Præl. theol. de leg. cap. 5, sect. 4, et Cabasutius Jur. can. theor. et prax. l. 1, c. 2, n. 6, duo distincti contrariæ sententiæ propugnatores. Si vero agitur de legibus disciplinaribus, observamus, solemnem legis promulgationem in omnibus provinciis non esse de essentia legis; aliter dicendum foret esse etiam de essentia legis solemnem ipsius promulgationem ad singulos homines. Porro jus naturale ab adversariis non recte invocatum stat potius pro hac secunda parte, quam pro prima, quæ est merum positivum inventum, vel voluntas imperatoris Justiniani, qui in Novella 66, decrevit, novas leges publicandas esse in singulis provinciis. Est enim tantum de essentia legis ut populo proponatur eo modo, quo mediate, vel immediate, simul, vel successive in omnium notitiam devenire possit. Posita voluntate legislatoris uno, vel alio modo legem promulgandi, et facta promulgatione, nam mandatum promulgandi non sufficit, semper illi tantum ligantur, qui legem agnoscunt, non illi, qui legem esse ignorant, ut declaravit Innocentius I, in can. 2, dist. 82; et ut definivit Innocentius II, qui eum tantum ad legem observandam compellit, *qui noverit, eam solemniter editam, aut publice promulgatam.* Cap. 1, de post. præl. Quare praxis a summis Pontificibus approbata, et a sex saltem sæculis observata Romæ tantum ecclesiasticas leges publicandi, nil dissonum a ratione continet, et leges sic promulgatæ ob expressam Pontificum voluntatem vim habent omnes obligandi, qui eas Romæ promulgatas certo moraliter noverint, etiamsi in eorum provinciis promulgatæ non sint. S. De Ligorio de leg. n. 95 et 96. Hæc sententia omnino tenenda est; secus indirecte summo Pontifici universalium legum ferendarum potestas adimeretur, cum queat hæc promulgatio in provinciis impediri, et de facto ab omnibus illis impediatur, qui sequentem damnatam propositionem tenent: *Episcopis sine Gubernii venia fas non est vel ipsas Apostolicas litteras promulgare.* Syllab. prop. 28. — (3) Cit. damn. prop. — (4) Matth. 16. — (5) Cap. 5 de rescript. — (6) De Synod. diœc. l. 9, c. 8.

37. Lex a Superiore fertur, ut futuris *perpetuo* det formam negotiis, et ut ad præterita regulariter non extendatur; at hæc perpetuitas pluribus modis cessat: 1° *Dispensatione*, seu ipsius relaxatione in casu particulari a legislatore, vel ejus successore, aut superiore ex justa causa facta; alii inferiores dispensare nequeunt, nisi ex delegatione, privilegio, vel consuetudine dispensandi facultatem habeant, quia dispensatio est vulnus juris. 2° *Abrogatione*, quæ fit cum lex totaliter aufertur. 3° *Derogatione*, quæ contingit, cum pars legis, veluti unus, vel alter articulus mutatur; ait enim jurisconsultus Modestinus: *Derogatur legi cum pars detrahitur; abrogatur, cum prorsus tollitur* (1). Hæc abrogandi, vel derogandi facultas ipsi tantum legislatori, vel ejus successori, aut superiori, competit. 4° *Irritatione*, quæ habet locum, cum superior, ut Summus Pontifex, legem inferioris, ut Episcopi, irritam, et nullius effectus declarat (2). 5° *Consuetudine* contraria, de qua infra in titulo speciali agimus. 6° *Interpretatione*.

(1) L. 102 ff. de verb. signif. — (2) Summus Pontifex hac facultate utitur, quoties necesse est, contra ecclesiastica, et etiam civilia ordinamenta, quæ ecclesiæ doctrinam evertere conantur. Sic inter alia multa exempla Alexander VIII post Innocentium XI declaravit nulla, et irrita acta conventus Gallicani Bul. *Inter multiplices* 4, aug. 1690. Pius VI, damnavit, et rescidit acta, et decreta concilii Pistoriensis an. 1786. Bul. *Auctorem fidei*; et Pius IX, sanctissimus et mitissimus in pluribus allocutionibus coram Cardinalibus habitis, et in constitutionibus a se editis, plures actus Gubernii Subalpini nullos et irritos declaravit. V. alloc. et litt. Apost. cit. in syllabo.

38. Interpretatio est legis explicatio, quæ dividitur in *authenticam* et *usualem*, et *doctrinalem*. Authentica ab ipso legislatore fit, cum legem obscuram, vel minus æquam ita explicat, ut ejus enigmata solvat, duritiemve humanitati incongruam emendet. Hoc ultimo casu jus novum introducitur iterum promulgandum; illo vero priore jus educitur, quod legi jam inerat, quodque proinde nulla nova promulgatione indiget. Usualis fit a judice, vel sua speciali sententia, quæ instar legis est inter partes; vel consuetudine rerum perpetuo similiter judicatarum, quæ vim legis obtinet. Demum doctrinalis interpretatio fit a

Doctoribus, quam in *declaratoriam*, *extensivam*, *et restrictivam* ipsi dispertiunt (1); ita ut etiam Epicheiæ quandoque fiat locus (2).

Si plures sint leges, quæ sibi rite non consonent, ad unitatem præcepti per rectam interpretationem sunt reducendæ. Hinc si pugna in legibus habeatur, regula est, per posteriorem derogari priori, etiamsi in posteriori nulla prioris fiat mentio; nam lex a legislatoris voluntate vim consequitur, et, hac mutata, lex quoque mutetur necesse est. Ideo juxta posterioris legis dispositionem prior vel in toto, vel tantum aufertur in parte: quo ultimo casu, dum lex aufertur in parte, confirmatur in reliquis, juxta illud: *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis* (3).

Si vero in legibus pugna perfecta non sit, ad habendam præcepti unitatem, jura juribus sunt concordanda, quo caveatur, quantum fieri potest, jurium correctio, quæ nedum ut odiosa, sed ab jure communi exorbitans, bonoque religionis, et societatis contraria. Hinc leges priores sunt per posteriores explicandæ, et posteriores per priores, quæ mutuo adjuvantur, et corpore, et anima, scilicet littera, et ratione: littera quidem, abrogata lege, perit; sed ratio, etiam sublata lege, ut anima, perempto corpore, subsistit, a qua concordantiæ, et explicationis argumentum sumitur. Nihilominus salva semper sit oportet verborum proprietas, quia non debet admitti voluntatis quæstio, ubi in verbis nulla sit ambiguitas (4).

Si demum lex sit obscura, et per aliam nequeat explicari, cum generaliter loquitur, generaliter accipitur juxta locutionis naturam, et finem: etenim juxta vulgatum juris effatum: *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus:* cum vero de uno casu disponit, trahitur ad alium expresse similem, et identicum, quia ubi eadem est ratio, ibi eadem esse debet juris dispositio; et cum denique aliud videtur in ratione exhibere, aliud in verbo, potius verbum intentionì subjicitur, quam intentio verbo: ita ut potior sit semper justitiæ, et æquitatis, quam stricti juris ratio (5).

(1) Interpretatio *declaratoria* fit, cum sensus et verba legis æqualiter procedunt, seu cum legislator precise expressit quantum voluit. Hoc casu interpretatio tantum vertitur in declarando, sive explicando

sensu, et verbo legis, et nulla fit voluntatis quæstio: nam ubi legislator voluntatem suam recte declaravit, ei adhærendum est, licet dura forte videatur, quia, ut ait S. Augustinus, permissum nobis est *non de legibus, sed secundum leges judicare. Extensiva* fit, cum sensus legis latior est, quam verbum, seu cum legislator minus scripsit, quam voluit, ut si in verbo comprehendatur tantum unus casus, et in sensu comprehendantur alii similes: sic in legibus XII Tabularum jussum erat, ut curator daretur furioso, quod protractum fuit ad prodigos, qui furiosum faciunt rerum suarum exitum: sic in cap. 5, de spons. et matr. data fuit sponsæ facultas resiliendi a sponsalibus, si sponsus ad aliena commigret, quod per interpretationem extensivam et sponso conceditur, quia cum utrobique eadem sit ratio, eadem esse debet juris dispositio. *Restrictiva* interpretatio versa vice fit cum verbum latius patet, quam sensus legis, seu cum legislator plus scripsit, quam voluit: exemplum habemus in lege Romilia, qua capite plectebatur, qui mœnia civitatis conscendisset; nam reus in legem non habebatur, qui id fecisset hostes arcendi gratia: et aliud exemplum habemus in interdicto dato contra populum, in quo clerus non comprehenditur. Hæc, et præcedens regula admittit quæstionem voluntatis, et innititur illi principio: *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* — (2) Epicheia est exceptio casus a legis obligatione ob quasdam circumstantias, ex quibus certo, vel saltem probabiliter judicetur, legislatorem noluisse illum casum sub lege comprehendere, et habet locum, quoties lex redderetur nociva, aut valde onerosa, et observatu difficilis. S. De Ligorio Hom. Apost. tract. 2, n. 77. — (3) Hac de causa concilium Tridentinum derogat legibus contrariis in corpore juris comprehensis; Extravagantes derogant Clementinis et hæ utrique Decretalium codici. — (4) L. 25, ff. de legat. 3. — (5) Propterea, ut ait Celsus, *scire leges non est hoc, verba eorum tenere, sed vim et potestatem.* L. 17, ff. de leg. Quando autem lex vere est dubia, interpretatio sumitur, ut non obliget: ita ad rem S. De Ligorio, « Si lex est dubie condita, vel dubie promulgata, non obli-
» gat; quia possessio non stat pro ipsa, sed pro libertate. Idem dicen-
» dum, si dubitetur, an in lege promulgata comprehendatur, vel non,
» aliquod onus: tunc enim non tenemur illud implere, quia pro illa
» parte, de qua lex est dubia, lex non possidet. Contra vero si lex
» est certe condita, et certe promulgata, et inde oritur dubium, an
» sit abrogata, vel revocata, aut dispensata, est observanda, quia tunc
» ipsa possidet. Sic etiam in dubio, an lex per se justa fuerit ac-
» ceptata, etiam observari debet, quia præsumendum est, eam fuisse
» receptam ex illo alio principio: *In dubio præsumitur factum, quod*
» *de jure faciendum erat.* » Theol. mor. l. 1 c. 2, n. 27, et corol. prim. seq. Putamus hic S. Doctorem loqui de acceptatione, sive de executione, quæ per decennium facta non fuit.

39. Lex obligationem inducit, seu vinculum, quo judices, et subditi ad obtemperandum obstringuntur, non solum propter iram, ut loquitur D. Paulus (1), sed etiam

propter conscientiam, scilicet non solum metu pœnarum, sed etiam ne in conscientia peccent. Hoc ipsum ad leges civiles extenditur, quia, teste eodem D. Paulo, omnis anima potestatibus superioribus subdita esse debet, et quia, ut ait S. Augustinus (2), ipsa jura humana per Imperatores, et Reges Deus distribuit humano generi. Nihilominus potest evenire, ut lex mere pœnalis (3), et lex in facti præsumptione fundata, ubi factum non subsistit, ad culpam in conscientia non obliget (4).

(1) Ad Rom. 13. — (2) Can. 1, dist. 8. — (3) Dicitur lex mere pœnalis, quando obligat tantum ad pœnam, et non ad culpam, ut esse solent leges prohibentes arbores cædi, piscationem, aut venationem exerceri, vel annonam abstrahi sub temporali pœna, ex gr. tot scutorum. Si vero contineat præceptum illam observandi, et simul irroget pœnam transgressoribus, maxime si pœna sit spiritualis, dicitur pœnalis mixta, et obligat ad pœnam simul, et culpam. — (4) Lex dicitur in facti præsumptione fundata, cum habet præsumptionem facti pro ratione. Sic lex præsumit, hæredem, qui bona invasit defuncti sine inventario, sibi bona attribuisse hæreditatis absque eo quod eadem repræsentet ad satisfaciendum creditoribus hæreditariis, quod per humanam malitiam omnino probabile est. Et ob hanc præsumptionem lex præscribit, ut hæres, qui bonorum inventarium non confecit, ex bonis propriis teneatur omnibus creditoribus satisfacere, cum vires hæreditariæ non sufficiunt. At ponamus, hæredem nihil ex hæreditate subtraxisse, in conscientia ultra vires hæreditatis non tenebitur; quia lex fundatur in præsumptione subtractionis, quæ falsa est: præsumptio enim debet cedere veritati. Nihilominus si in foro externo per judices condamnetur, qui debent judicare secundum leges, nec non secundum acta et probata, ipse hæres ad vitandum scandalum solvere tenebitur, quia exemptionem, quam habet in foro interno, in externo probare non potest.

TITULUS V.

DE RESCRIPTIS.

SUMMARIUM: 40. Quid sit Rescriptum? — 41. Privilegium quid, et quotuplex? — 42. Quot partibus rescriptum constet? — 43. Quomodo dividatur? — 44. Quis possit rescripta concedere, et obtinere? — 45. Quæ observanda in rescriptis justitiæ? — 46. Quomodo rescripta interpretanda? — 47. Quando executore indigeant? — 48. Quomodo, et quando præsentanda? — 49. Quomodo exequenda? — 50. Quæ præsertim clausulæ Rescriptis apponi soleant. — 51. Quando obreptio, vel subreptio vitiet Rescripta? — 52. Obreptitia vel subreptitia nulla sunt, si gratiæ; et rescindenda, si justitiæ sint. — 53. Quot modis vim amittant?

40. Leges ad bonum commune feruntur; Rescripta vero ex invecto more in favorem dumtaxat privatorum. Leges propterea debita promulgatione denunciantur; in Rescriptis autem instar promulgationis est actus, quo judici præsentantur, ut executioni demandentur. Rescriptum est *responsum Pontificis scriptum ad alterius petitionem, vel consultationem datum, quo vel jus novum introducitur, vel vetus abrogatur, aut explicatur;* unde a quibusdam dividitur in rescriptum *præter legem, contra legem, et secundum legem* (1). Rescriptum vero hoc nomine appellatur, quod sit responsum scriptum. Propterea excludit vivæ vocis oraculum, quod sæpe Pontifex vel ad alterius instantiam, vel ex motu proprio emittit, quodque gratia informis quandoque appellatur, qua in foro poli juvamur, non vero in foro fori, ubi probari non possit. Sed ex opposito comprehendit privilegium, et dispensationem, quod utrumque Pontificiis litteris perficitur.

(1) Rescriptum præter legem est, quod datur in materia, quæ sub lege non cadit, ut olim erat mandatum *de providendo* alicui concessum ad beneficium obtinendum: contra legem, quod in casu particulari legi derogat, ut sunt dispensationes ab impedimentis matrimonii: et secundum legem, quod legis executionem promovet, ut sunt delegationes causarum.

41. Privilegium est privata lex, qua Pontifex extra juris ordinem, vel ob meritum gratiam indulget, vel ob

delictum pœnam irrogat, ita tamen ut ad exemplum non trahatur. Ex quo sequitur, quod privilegia alicui personarum generi, ut viduis, minoribus, clericis, aut regularibus concessa, et in corpore juris comprehensa, potius *Jura singularia*, quam privilegia videntur esse nuncupanda (1).

Privilegium communiter dividitur in *favorabile*, et *odiosum*, in *personale*, et *reale*. Favorabile dicitur, quod gratiam, vel favorem continet, ut liberatio a solvendis decimis; odiosum vero quod pœnam ea graviorem continet, quæ generaliter a lege est constituta. Privilegium appellatur personale, quod personæ; reale quod rei, vel causæ datur.

Inter personalia, et realia privilegia magnum est discrimen: profecto personalia ad hæredes non transeunt, nec cessione in aliam personam possunt transferri, quia personam non egrediuntur, cujus morte expirant. Realia e converso ad hæredes transeunt et recte possunt aliis cedi; non enim hæc personam, sed rem sequuntur, cui fuerunt tributa, et per consequens non morte personæ, sed rei interitu extinguuntur.

Quod si ex indulto, et ex circumstantiis dignosci nequeat, an privilegium sit personale, vel reale, quidam putant esse judicandum personale, si ex causa gratuita, et reale, si ex causa onerosa oriatur: quidam vero docent, privilegium odiosum, et in præjudicium reipublicæ, aut juris tertio quæsiti datum, judicandum personale, quia odia sunt restringenda; et privilegium favorabile, publicamque utilitatem absque alterius præjudicio adjuvans judicandum reale, quia favores sunt ampliandi. Utraque hæc regula in privilegii interpretatione est consideranda (2).

(1) Hoc interest præterea inter privilegia, et jura singularia, quod: 1° illa potest judex ignorare, non hæc: 2° illa præsentanda sunt, ut effectum suum sortiantur; hæc vero, ut leges, etiam sine præsentatione ex se obligationem inducunt: 3° illis potest quis regulariter renunciare; non istis, quia bonum publicum respiciunt. — (2) De iis omnibus v. Reiffenstuel ad lib. 5 Decret. tit. 33, per tot.

42. At redeuntes ad Rescriptum observamus, tribus constare partibus, nempe narratione, supplicatione, et con-

clusione; quorum prima, et secunda per impetrantem, et ultima per rescribentem ponitur. Item observamus, Rescriptum vim legis obtinere tantum inter partes, pro quibus fuit conceptum, non vero inter alios, nisi sit comprehensum in corpore juris, aut sit datum tamquam authentica legis interpretatio, quo quidem casu legis locum obtinet.

43. Rescriptorum celebrior est divisio, qua alia *gratiæ*, et alia *justitiæ* dicuntur esse. Rescripta gratiæ respiciunt favores a Pontifice concessos tum relate ad beneficia, tum etiam relate ad honores et exemptiones. Rescripta vero justitiæ respiciunt lites inter subditos dirimendas, et judicis constitutionem, restitutionem in integrum, aliaque similia comprehendunt (1).

(1) Sunt quoque rescripta mixta, quæ simul participant de gratia, et justitia. Talia ex gr. sunt rescripta, quæ obtinentur a Religiosis ad eorum professionem rescindendam: nam in eorum principio continent gratiam; sed deinde causa formalis aggredienda est, et definitiva sententia ferenda, quod pertinet ad justitiam.

44. Rescripta ecclesiastica a solo Pontifice, qui in terris superiorem non habet, possunt concedi, quod ex verbis jam traditæ definitionis sua sponte fluit (1); et possunt vicissim obtineri a quocumque, qui non sit in jure expresse prohibitus, quia in hac re illud observatur Doctorum effatum: Concessum intelligitur, quod non reperitur expresse prohibitum (2). Prohibentur tamen hæretici, qui indigni sane sunt Ecclesiæ auxilio, et defensione, cum in ipsam arma vertant: prohibentur similiter excommunicati excommunicatione majore, tam in casu, quo excommunicatio sit publica, quam in casu, quo sit occulta; quia de facto jam sunt ab Ecclesiæ corpore avulsi. Quare ne propter excommunicationem Rescriptum vitietur, ex stylo Curiæ oratores ab excommunicatione prius absolvuntur ad effectum dumtaxat gratiam consequendi, ut moris est præsertim in rescriptis dispensationis circa matrimonii impedimenta (3). Rescriptum enim ab hæretico, vel excommunicato obtentum absque dicta absolutione est ipso jure nullum, nec quidquam vel in ipso conscientiæ foro prodesse potest. Exceptio tamen fit in illis rescriptis, quæ ab excommunicatis obtinentur in causa eo-

rum excommunicationis, ut si per viam appellationis, vel simplicis querelæ ad Pontificem recurrant ad sententiam in ipsos prolatam reparandam. Valere profecto hoc in casu rescriptum jus naturale demonstrat, quod nulli patitur media defensionis auferri, ut declarat Pontifex, qui excommunicatos ad rescripta obtinenda inhabiles reddit, præter quam *in excommunicationis, aut appellationis articulo* (4).

Rescriptum gratiæ potest quis obtinere pro se, aut pro alio, tam nomine proprio, quam nomine procuratorio, etiamsi mandatum desit: Rescriptum autem justitiæ stricto jure pro alio sine mandato obtineri non potest, nisi de conjunctis personis agatur, in quibus viget mandatum præsumptum: quod sancitum fuit, ne iniqui mercenarii lites suscitent sopitas, aut quæstiones novas excitent, obtinendo a S. Sede justitiæ rescripta, quæ deinde aut actori, aut reo exponant venalia (5). At hodie juxta stylum et consuetudinem Romanæ Curiæ extranei, et pro aliis etiam absque mandato justitiæ rescripta obtinent (6).

(1) Quando rescriptum absolute nominatur intelligitur Pontificium; sed hoc non officit, quominus episcopi, et principes in suæ jurisdictionis causis queant rescripta concedere. — (2) Qui obtinet rescriptum debet esse subditus rescribentis, illique subjectus in materia rescripti: unde sicut rescriptum obtentum a principe sæculari non prodest ad beneficium ecclesiasticum consequendum; sic nec rescriptum pontificis ad hæreditatem obtinendam extra territorium romanum. Idcirco legitimatio data a principe sæculari non prodest ad officia, et beneficia ecclesiastica assequenda. Quare ubi agitur de effectibus spiritualibus et temporalibus, vel ecclesiasticis et civilibus, utriusque supremi principis rescriptum necessarium est, nec omnino *in conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet*, ut sonat propositio damnata. Syllab. prop. 42. — (3) Sed hæc absolutio non prodest *non parentibus rei judicatæ, incendiariis, violatoribus ecclesiarum.... violatoribus ecclesiasticæ libertatis, insordescentibus per annum in censuris,* et aliis graviorum criminum reis. Vid. in Bul. rom. nov. Reg. Cancel. Clem. XIV, tom. 4, p. 14. — (4) Cap. de rescript. in 6. — (5) Cap. 28, de rescript. — (6) Rescripta gratiæ et justitiæ a S. Sede concessa juxta modernum quarumdam ditionum usum subjiciuntur *Regio placito,* quod aliquando dicitur *exequatur,* vel *Pareatur.* Potestates enim sæculares nimium avidæ dominandi etiam in ecclesiasticis, et spiritualibus, prætendunt revidere, et probare, vel reprobare S. Sedis rescripta, eo sub colorato prætextu, ne quid novi, inscio principe, in ditione fiat, quod privatorum, aut reipublicæ juribus adversetur; sed vero eo fine, ut divinam ecclesiæ potestatem

limitent, ut tandem aliquando eam funditus evertant. Hoc facto sæculi potestates supra Christum, ejusque in terris vicarium se extollunt, et discessum a Religione catholica parant, ut exempla demonstrant. Purum autem mendacium est, quod obtrudit Febronius, et Van-Espenius, aliique, scilicet, Regium placitum ab omni memoria in usu fuisse: nam non antecedit Pontificatum Urbani VI, qui electus fuit Pontifex anno 1378. Hoc primum tempore ab eodem Pontifice data fuit episcopis facultas revidendi Bullas pontificias, et judicandi, an authenticæ forent, ac perfectæ. Hinc episcopi poterant, et debebant suspectas Decretales absque promulgatione retinere, quia eo tempore vigebat schisma occidentis, quod duravit usque ad concilium Constantiense, et aderant antipapæ, qui proprias edebant bullas. Ne itaque deciperentur fideles ab antipapæ litteris, prædictum adhibuit remedium, quod quidem solis episcopis concessum fuerat; sed catholici principes quoque pro majori forte securitate eo uti cœperunt, ut sibi commissos populos a schismate melius tueri possent. At vero, extincto schismate, Martinus V, in concilio Constantiensi per suam constitutionem secundam episcopis dictam facultatem abstulit, et perpetuo revocavit. Unde episcopi ad jus antiquum obsequenter redierunt, non vero principes, qui obfirmate restiterunt, et magis in dies jura ecclesiæ usurpare contenderunt, ita ut fuerit summis pontificibus necesse hac de re inire concordata. Quam hoc impium systema jura ecclesiæ lædat, demonstrarunt sexaginta novem episcopi Neapolitani in reclamatione contra decretum Gubernii die 4 maii 1863, et alii Italiæ episcopi in eorum ad idem opus reclamationibus. Sed nunc a principe catholico retinere amplius nequit, cum damnata sit propositio, quæ asserit, *civili potestati competere jus, quod vocant exequatur*. Syllab. prop. 41. Hoc jampridem intellexerat Austriæ Imperator, qui in suo concordato cum regnante Pontifice nostro Pio IX, anni 1855, in art. 2. Placitum Regium in suo imperio omnino abolevit, et ecclesiam prorsus liberam effecit.

45. In rescriptis, quæ causæ cognitionem, aut in foro externo jurisdictionem tribuunt, hoc ex jure attenditur, quod delegatus sit in dignitate, vel in personatu ecclesiastico constitutus; aliter Pontificis rescriptum vitiatur (1). At si sermo sit de Judicibus synodalibus rite in Synodo diœcesana, aut provinciali constitutis, huic dispositioni videtur per Tridentinum fuisse derogatum: nam in his judicibus requirit quidem qualitates in capite *statutum* determinatas; sed eodem tempore declarat posse personas *alioquin ad id aptas designari* (2).

Præterea in rescriptis justitiæ, et delegationis causæ a S. Sede factæ, locus novi judicis dati est inspiciendus: nam jure Decretalium reus non potest trahi ad litigan-

dum ultra duas dietas a sua diæcesi (3); jure vero Sexti Decretalium non potest trahi ultra unam dietam (4); quod inductum est, ne reus fatigatus laboribus et expensis, vadimonium deserere, vel importunitatem actoris redimere compelleretur (5). Quod si in remotioribus partibus judex sit delegatus, ejus jurisdictionem potest reus declinare ab initio, exceptionem proponendo nullitatis rescripti; secus in delegationem censeri posset consensisse; quamquam non desint, qui integrum processum volunt nullum defectu jurisdictionis, etiam non producta exceptione (6).

(1) Cap. *Statutum* 11, de rescript. in 6. — (2) Sess. 23, c. 10, de ref. — (3) Cap. 28, de rescript. — (4) Cit. cap. 11, eod. — (5) Dieta accipitur pro itinere unius diei hominis peditis, vel pro 20 milliariis italicis, et computatur in actione personali a diœcesi confinibus, in qua habitat reus; in actione vero reali a confinibus diœcesis, in qua res sita est. — (6) Pirhing de rescript. n. 24. Hic notamus Genuenses habere privilegium ne possint trahi ad litigandum extra hanc urbem, quod concessum fuit a Sixto V, in Bul. *Præstantissima pietas* 4 decemb. 1585.

46. Rescripta ita interpretantur, ut si verba rescripti clara et aperta sint, quamquam incommoda, et gravia esse videantur, adamussim sint servanda, quia Doctorum adagium est, a forma verborum sine certa scientia non esse recedendum; si vero in verbis quid deest, tunc ex sensu est supplendum, cum ex juris principio non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire (1).

Deinde rescripta justitiæ stricte sunt interpretanda, et quantum fieri potest ad formam juris communis, a quo descendunt, quia gravamen parti collitiganti afferunt, et idcirco sunt odiosa. Quare ad personas in supplici libello non expressas, ad lites post rescriptum subortas, vel ad alias lites etiam prius existentes, et non indicatas non extenduntur.

Quoad vero spectat ad rescripta gratiæ, distinguendum est inter gratiam in genere, et gratiam in specie ad aliquod obtinendum beneficium: nam prima, si sit præter jus non contra, et si nullius præjudicium involvat, plenissime, sive largissime, ut sacri canones loquuntur, con-

tra concedentem est interpretanda, qui nihil excipiendo, omne concessisse præsumitur; secunda vero stricte est interpretanda, eo quod rescriptum ad beneficium consequendum ambitionis ad minimum speciem videtur continere: et ideo si concessum sit ad beneficium, non prodest ad pensionem pro beneficio obtinendam (2).

(1) Cap. 15 de verb. signif. — (2) Cap. 4, de præb. et dignit. in 6. Lata vero, vel stricta interpretatio hoc sibi vult, quod cum vocabulum plura significat, vel generice et late, vel specifice et stricte accipiatur. Sic vocabulum *populus* generice comprehendit clericos et laicos, sed specifice tantum laicos: quare posita regula, qua in dubio, si de mente concedentis non constet, rescriptum odiosum stricte, et favorabile late sit interpretandum, rescriptum populo datum clericos continebit, vel non, prout favorabile, vel odiosum sit.

47. Rescripta modo præ se ferunt gratiam ab ipso Pontifice factam, modo per executorem, cui diriguntur, faciendam (1). Executor autem vel est merus, vel mixtus; in priori casu procedit de plano absque ulla formalitate, et absque causæ cognitione; in secundo vero aliqualis causæ cognitio est præmittenda, ut rite procedat, quod tunc est observandum, cum in rescripto aliqua reperitur clausula, quæ hoc suadeat, ut si habeatur: *Veris existentibus narratis,* aut, *auditis interesse habentibus,* aut alia similis. Equidem his in casibus non potest ad actum rescripti devenire, nisi agnita narratorum veritate, aut, auditis illis, qui habent in causa interesse.

(1) Primo casu rescripta vim consequuntur a die datæ; altero vero a die, quo executio obtinetur. Reiffenstuel de rescript. n. 69.

48. Rescriptum executori in forma authentica est exhibendum, aliter eidem non habetur fides; integrum, non mutilatum, non abrasum in parte substantiali, et perfectum, ita ut erroribus careat; nam solus error in nomine diœcesis reddit rescriptum Pontificis nullum, et error manifestus latinitatis reddit de falsitate suspectum (1). Præsentatio in rescriptis justitiæ fieri debet intra annum, si hoc tempore copia judicis habeatur; aliter post annum regulariter valet secundum rescriptum ab alia parte obtentum de primo nullam faciens mentionem (2). Rescri-

pta vero gratiæ sunt perpetua, et quocumque tempore possunt præsentari; nam in his, si de gratia facta agatur, inspicitur tempus *datæ*, in illis autem tempus præsentationis, a quo incipiunt effectum habere.

Communis quidem est regula, qua statuitur, secundum rescriptum in eadem causa, et inter easdem personas non derogare primo, cuius nullam facit mentionem, licet in legibus generalibus aliter obtineat. Ratio est, quia secundum rescriptum censetur surreptitium ob præsumptam in obtinendo concedentis circumventionem; unde hic valet principium: *Qui prior est tempore, potior est in jure* (3). Sed exceptio fieri debet, si primum foret generale, et secundum speciale; quo casu per secundum derogatur primo, quia, ut scribit Papinianus: *In toto jure generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est* (4).

(1) Cap. 11, de rescript. et ib. Gloss. — (2) Cap. 23, eod. — (3) Cap. 54, de reg. jur. in 6. — L. 80, ff. de reg. jur.

49. Rescripti executio juxta ejusdem formam substantialem est perficienda; alias ob defectum jurisdictionis acta forent attentata, nullamque obtinerent firmitatem. Hinc ordo verborum, seu scripturæ observandus, ita ut prius expediatur, quod primum fuit concessum. Similiter modus procedendi præscriptus, quamquam a jure communi differat, retinendus, et clausulæ adamussim adimplendæ, quæ fuerunt appositæ.

50. Inter clausulas apponi solitas, et quæ, licet appositæ non sint, adhuc necessario subintelliguntur volitæ, sunt præsertim duæ sequentes, nempe clausula, *salvo jure alterius*, et alia, *si ita est*. Ex prima sequitur, Pontificem nolle jus tertio quæsitum auferre, quod declaravit in regula 18. Cancellariæ, quæ inscribitur: *De non tollendo jus quæsitum*. Quare rescriptum contra jus tertii impetratum nulla data circa præjudicium dispositione, ut invalidum executioni mandari nequit. Magis tamen interest alia clausula, *si ita est*, quæ sic quandoque redditur, *si vera sunt exposita, si preces veritate nitantur*, qua Pontifex in sua conclusione ad supplicantis narrationem se refert. Si e-

nim res ita non sit, ut fuit exposita, vitio obreptionis, vel subreptionis rescriptum inficitur (1).

(1) Obreptio a quibusdam appellatur, cum in narratione exponitur falsitas, subreptio, cum reticetur veritas de jure exprimenda. Sed communiter indiscriminatim, vel simul hæc duo vocabula adsumuntur ad unum, vel aliud vitium indicandum.

51. Antiquam quæstionem, an obreptio, vel subreptio vitiet rescriptum, Innocentius III, diremit instituendo distinctionem, an narrata falsitas, vel occultata veritas sit per malitiam et dolum, aut per ignorantiam et simplicitatem (1). Primo casu rescriptum vitiatur in toto, quia et jure Romanorum mendax precator carere debet impetratis (2), et ex jure canonico fraus, et dolus alicui patrocinari non debet (3), quod doctores extendunt ad casum, quo rescriptum pluribus et separatis capitibus constet, ac obreptio, vel subreptio in uno tantum habeatur, quia *qui falsitatem exprimunt*, vel *supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequuntur* (4). Altero vero casu, quo falsitas narrata, vel veritas occultata fuit per ignorantiam et simplicitatem, subdistinguitur: vel falsitas narrata, et veritas occultata talis est, ut Pontifex, ea cognita, rescriptum non dedisset; aut talis, ut ea etiam cognita, rescriptum adhuc dedisset: si non dedisset, obreptione vel subreptione rescriptum vitiatur, utpote quod est contra concedentis voluntatem; si vero rescriptum dedisset, incolume manet, quia voluntati congruit concedentis, a quo vim efficaciamque rescriptum sortitur. Quandonam autem in his circumstantiis sit Pontifex rescriptum daturus, vel non, a ratione, a praxi, ac præsertim a stylo curiæ est petendum. Ac generaliter, si vitium sit in causa motiva et principali, rescriptum corruit; si in causa impulsiva et secundaria, rescriptum sustinetur.

(1) Cap. 20, de rescript. et ib. Gloss. — (2) L. 5, Cod. si cont. jus, etc. — (3) Cap. 15 de rescript. — (4) Cit. cap. 20, eod.

52. Denique rescripta obreptitia, vel subreptitia, si gratiosa et beneficialia sint, ipso jure nulla habentur; si vero

judicialia, non sunt nulla ipso jure, sed per exceptionem partis elidenda; quam exceptionem si pars non proponat, censetur in judicem datum consentire, et prorsus valent. Ratio est: primo, quia in rescriptis gratiæ negotium statim terminatur, et jus acquiritur impetranti, cum in rescriptis justitiæ negotium per judicem datum post causæ cognitionem sit terminandum: secundo, quia cum in rescriptis gratiæ nullus sit contradictor, contradicit jus ex se afferendo nullitatem; in rescriptis vero justitiæ contradictor semper adest, qui potest ope exceptionis jus suum tueri.

Si tamen rescriptum plura habeat capita, et obreptio vel subreptio ex ignorantia et simplicitate in uno tantum cadat, totum rescriptum corruit, ubi adsit vitium in capite principali, quia alia accessoria sine principali stare non possunt, justa illud: *Accessorium sequitur suum principale.* Si vero cadat in capite secundario, rescriptum pro parte non vitiata sustinetur, juxta illud: *Utile per inutile non vitiatur*, modo hoc minus principale caput possit a principali separari, et hoc per se subsistere.

53. Præter modos jam enunciatos, quibus rescripta robore destituuntur, tres alii veluti principales a doctoribus numerantur, uti est mors concedentis, aut impetrantis, renunciatio, et revocatio. Et primo morte concedentis expirant rescripta Justitiæ, si res sit adhuc integra, quia jurisdictio in concedente eo usque manet, donec rescriptum ab executore acceptetur, et executioni mandetur. Ideo si priusquam hæc fiant, concedens moriatur, moritur cum ipso jurisdictio et rescriptum. Si vero ante mortem concedentis rescriptum acceptetur, et saltem citatio fiat, cum res non sit amplius integra, rescriptum fit perpetuum, et jurisdictio communicata non revocatur (1).

Quoad rescripta gratiæ, quæ gratiam faciendam continent, eadem est regula observanda; aliter vero sentiendum est de rescriptis, quæ gratiam factam involvunt. Hæc quidem, etiam re integra, per mortem concedentis non expirant, sed sunt perpetua: etenim in hac specie habetur jus jam parti quæsitum; in illa autem tantum quærendum (2).

Morte vero impetrantis expirant rescripta ad beneficia, et privilegia personalia, et non expirant rescripta justitiæ, et privilegiarealia, quæ transeunt ad hæredes.

Deinde rescripta expirant renunciatione illius, in cujus favorem concessa fuerunt, et revocatione a concedente, vel ab ejus successore facta. Ratio primi asserti est, quia in legibus unicuique permissum est beneficio in sui tantum favorem introducto renunciare; et ratio secundi, quia quod prius expedire visum fuit, postea detectum est bono publico, vel privato obviare.

(1) Cap. 30, de offic. deleg. — (2) Circa gratias concessas *ad beneplacitum* observamus, gratiam concessam *ad beneplacitum sedis* durare post mortem concedentis; gratiam vero concessam *ad beneplacitum nostrum* per mortem concedentis extingui. Gratiæ enim hujusmodi conferuntur in arbitrium, vel sedis, quæ numquam moritur, sed semper in successoribus vivit; vel concedentis, qui per mortem amittit arbitrium.

TITULUS VI.

DE TRADITIONE ET CONSUETUDINE.

SUMMARIUM: 54. Traditio quid, et quotuplex? — 55. Quid, et quotuplex consuetudo? — 56. Quas conditiones requirat? — 57. Probanda est, nisi sit notoria. — 58. Qui sint ejus effectus? — 59. Quomodo auferatur?

54. Egimus usque nunc de jure scripto; modo de jure non scripto, quod traditione, et consuetudine constat (1) Traditio est *jus non scriptum, quod ab Apostolis, eorumque successoribus viva voce traditum, et Ecclesiæ observatum consensu, quasi de manu ad manum transmissum, usque ad nos pervenit.* Causa, ob quam hoc jus introductum, et conservatum jugiter fuit, ea est, quia non omnia, scripta fuere, quæ fecit, et docuit Jesus Christus, neque omnia, quæ Ecclesia præcepit, ac constantissime observavit, præsertim primis sæculis, et difficillimis persecutorum temporibus, litteris consignata sunt.

Traditio duplex est *divina*, nimirum et *humana* (2): illa Deun habet auctorem, et pars est divinæ revelationis; immo divinam ipsam scriptam Revelationem antecedit: nam dogmata religionis a Jesu Christo oretenus tradita, ab Apostolis oretenus prædicata, et ab Ecclesia illibate prius servata fuerunt, quam scriptis mandarentur. Unde Tertulianus ita ait: *Prior fuit anima, quam littera, sermo prior, quam liber, et prior sensus, quam stylus* (3). Hujus traditionis consequenter tanta est auctoritas, quanta Sacrarum Scripturarum, et qui eam non admittit, vel contemmnit, a concilio Tridentino anathemate percutitur (4). Hæc vero, nempe humana, ab Ecclesiæ Præsulibus descendit, nempe ab Apostolis, vel ab eorum successoribus, qui morum regulas primum prædicatione, deinde scripturis tradidere, et tantam habet vim, quantam habent leges ab iisdem auctoribus constitutæ (5).

(1) Hoc jus dicitur non scriptum non eo sensu, quo in scripturam nunquam redactum fuerit; sed eo sensu, quod a principio non fuerit in scripturam redactum, et ab auctore suo. Plures enim sunt traditiones, et consuetudines, quæ in sacris canonibus scriptæ exhibentur; et tamen ad jus non scriptum pertinere non cessant, quia ut leges promulgatæ non fuerunt, sed sensim obtinuerunt. — (2) A quibusdam traditæ divisioni tertium adjungitur membrum, nempe traditio *divino-apostolica,* quasi sit medium inter traditionem divinam, et humanam. Hujus distinctionis argumentum desumitur a Tridentino in sessione IV, in decreto de canonicis Scripturis, ubi traditiones affirmantur, *ab ipsius Christi ore ab Apostolicis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, traditæ.* In hac locutione duæ sunt partes: altera de traditionibus ab ore Christi acceptis, altera de traditionibus Apostolis a Spiritu Sancto dictatis. Verum cum in utroque casu traditio procedat a Deo, divina est. Sunt et alii, qui traditiones humanas dividunt in *apostolicas,* et *ecclesiasticas,* prout originem habuerunt ab Apostolis, vel a Pastoribus eorum in Ecclesia successoribus. Apostolica tamen humana traditio intelligitur tantum de iis, quæ Apostoli tamquam homines constituerunt. Sed cum utraque ab hominibus originem ducat, humana recte dici prope videtur, et non differre nisi per modum magis, vel minus perfecti. — (3) De anim. cap. 1. — (4) Sess. 4, de can. Script. (5) Hinc magnum interest inter utramque traditionem discrimen: nam divina respicit dogma, universalis et immutabilis est, nullique humanæ potestati obnoxia, licet ad ecclesiæ magisterium pertineat eam interpretari, et definire an divina sit, nec ne; humana vero respicit disciplinam, esse potest particularis, et ita mutabilis est, ut justis de causis queat abrogari. Card. Soglia ad traditiones divinas ab huma-

nis distinguendas sequentes assignat regulas: 1ª Traditio divina est, si ejus materia ad fidem pertineat, quia fides solum Deum auctorem habet. 2ª Pariter traditio divina est, si sit earum rerum quæ humanam potestatem superant, qualis ex. gr. est materia et forma sacramentorum, quia sacramenta a solo Deo institui potuerunt. 3ª Sic etiam traditio divina est, si quod præcipit, aut statuit, id consentientes inter se Patres tamquam oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatum, Apostolos tradidisse testentur, aut id generatim affirment ad præceptum divinum, sive ad divinam institutionem pertinere: quandoquidem sancti Patres sunt legitimi testes divinarum traditionum. 4ª Quidque denique Ecclesia tamquam divinitus traditum observat, aut docet, nec in sacris litteris extat, minime dubitandum est, quin sit divinæ traditioni tribuendum: neque enim Ecclesia catholica his in rebus errare potest. Inst. Jur. pub. § 20.

55. Consuetudo *est jus non scriptum, et moribus institutum, quod pro lege suscipitur:* Consuetudo post legem naturalem initium sumit, ex quo homines in unum convenientes inceperunt simul habitare. Differt a lege scripta, quia hæc promulgatur, illa vero paulatim obtinetur ex tacita Principis, et expressa populi consensione. Differt a traditione, quia hæc statim obligat, et jus antiquum supponit; illa vero non obligat, nisi sit legitime præscripta, et jus novum introducit. Differt demum a præscriptione pluribus modis, ac præsertim, quia hæc ab aliquibus hominibus formata jus reddit particulare; illa vero a populo introducta jus generale constituit (1).

Consuetudo in *generalem* et *particularem* dividi potest. Prima instar legis est universalis, a qua differt tamquam tacitum ab expresso; secunda vim habet statuti localis, sive legis municipalis. Insuper dividi potest in consuetudinem *secundum legem*, a qua determinatur interpretatio ipsi legi tribuenda (2); *præter legem*, quæ in his casibus procedit, qui a jure scripto decisi non sunt (3); et *contra legem*, qua lex scripta, vel usu non recipitur, vel recepta denuo abrogatur, et tollitur.

(1) Reiffenstuel de consuet. n. 73. — (2) Dicitur etiam consuetudo secundum legem illa, quæ ipsam legem ad usum deducit, et per observantiam legem confirmat. — (3) Sic ex. gr. Regulares, qui tenentur observare dies festos in aliquo loco præscriptos v. g. festa patronorum principalium (ex dispositione Tridentini in Ses. 25, cap. 12 de reg.) non tenentur forte ex jure observare jejunia ab episcopo indicta. Sed si in Ordine Regulari hæc consuetudo sit, ut hæc jeju-

nia ab episcopo præscripta observentur, erunt inposterum religiose observanda etiam a Regularibus non in vim jurisdictionis episcopalis, quæ exemptos non afficit, sed in vim consuetudinis præter legem. Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. 4, n. 7.

56. Ad consuetudinem legitime præscribendam plures requiruntur conditiones, nempe, ut sit: *rationabilis, admissa, observata,* et *approbata.* Debet esse rationabilis (1); sed rationabilis non est consuetudo, quæ juri divino, aut naturali adversatur, cum jus humanitus confectum leges nequeat lædere divinitus constitutas (2): item consuetudo, si quid contra fidem catholicam usurpare dignoscitur, quæ non tam consuetudo, quam vetustas erroris est nuncupanda (3): item consuetudo, si Ecclesiæ bono adversetur, si in periculum æternæ salutis, vel ad peccandum inducit, quia diuturnitas temporis non diminuit, sed auget peccata (4): item demum consuetudo jure canonico reprobata, quæ abusus et corruptela, potiusquam consuetudo, appellatur (5).

Debet esse admissa a populo: admittitur autem per actus frequentes, voluntarios, uniformes, et publice ab hominibus emissos, qui communitatem componunt, cum voluntate se obligandi. Quoad numerum actuum ad constituendam eorum frequentiam nihil est in jure definitum; quare numerus necessarius a judice, pensatis rei, et personarum circumstantiis, est determinandus, et duo actus possunt sufficere, quia ex regula juris, *pluralis locutio duorum numero est contenta* (6). Actus voluntarii requiruntur, quia si desit voluntas, deest consensus novum per consuetudinem jus introducendi (7): requiruntur uniformes, aliter se mutuo destruerent: requiruntur publice emissi ab hominibus, qui communitatem componunt, vel saltem a majore eorumdem parte, tum ut notorietatem habeant, quæ vice promulgationis fungitur, tum ut omnem communitatem obligent, in qua decisio saltem majoris partis trahit ad se minorem: demum hi actus fieri debent cum voluntate se obligandi, quia ex actibus meræ facultatis absque ea voluntate elicitis, non exoritur obligatoria consuetudo.

Debet esse observata per diuturnum tempus, quia non

illico, sed paulatim introducitur, et denique perficitur. Hac de causa consuetudo appellatur *usus inveteratus, usus longævus, usus ab antiquis probatus, atque servatus.* At quodnam tempus ad hanc diuturnitatem conficiendam requiratur, jura non definiunt. Canonistæ tamen passim docent, in consuetudine contra jus annos 40 (8); in consuetudine præter jus 10 annos sufficere (9); dum nullo temporis lapsu indiget consuetudo secundum jus, quæ nil a legis interpretatione differt. Sed Doctores quidam id non probant, quia hoc modo argumentum desumitur a præscriptione ad consuetudinem. Hæc quidem illatio legitime fieri non posse videtur, cum præscriptione nullum jus acquiratur nisi præscribenti, et in eos dumtaxat contra quos præscriptum est, et in tantum in quantum præscribens possedit, vel quasi; consuetudine vero jus acquiritur in universum omnibus, et contra omnes in suo casu. Hinc putamus, huius temporis definitionem a judicis pendere arbitrio juxta naturam negotii, quod brevius, vel longius tempus expostulat, modo tamen nunquam eo brevius sit, quod in præscriptione requiritur: nam si breviori tempore non potest per usum constitui lex privata præscriptionis, a fortiori non poterit lex publica consuetudinis.

Debet esse approbata a superiore per ejus consensum, quia cum consuetudo vim legis habeat, nisi per legislatoris voluntatem introduci nequit. Consensus hic ex Doctorum sententia potest esse *expressus*, qui a superiore datur, cum consuetudinem probat; et *tacitus*, qui datur, cum superior scit, et sine contradictione patitur (10).

(1) Aliqui pro conditione rationabilitatis ponunt conditionem bonitatis, quatenus nimirum consuetudo debeat esse bona, et non mala. Sed a tradita definitione non credimus recedendum, quia Gregorius IX approbat consuetudinem, quæ sit *rationabilis* et legitime præscripta. Cap. 11 de consuet. Etenim consuetudo bona est rationabilis, et mala irrationabilis; et præterea consuetudo rationi, et veritati innititur. Can. 7, dist. 8. — (2) Hanc consuetudinem damnavit Christus, cum Scribis et Pharisæis exprobravit dicens: *Quare et vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram?* Matth. 15; et revera *nemo sanæ mentis intelligit naturali juri.... quacumque consuetudine.... posse aliquatenus derogari,* ut ait Gregorius IX, cit. cap. 11, de consuet. — (3) Propterea Gratianus in consuetudine requirit, *quod*

Religioni conveniat, quod disciplinæ congruat, quod saluti proficiat. Can. 5, dist. 1. — (4) Cap. 8 et 9 de Simon. — (5) Cap. 1, de consuet. in 6. A jure canonico reprobatur consuetudo: 1° Retinendi plura beneficia incompatibilia absque Pontificis dispensatione. Cap. 1 de Consuet. in 6. 2° Auferendi etiam in parte immunitatem ecclesiasticam. Cap. 14 de elect. et cap. 49, de sent. excom. Hinc non tenent consuetudines, quibus Principes laici potestatem in res sacras, et personas ecclesiasticas sibi arrogant, neque tenet consuetudo Regii placiti, ut facile eruitur ex pluribus propositionibus damnatis in Syllabo, ac specialiter ex propositionibus 41, 43 et seqq. 3° Percipiendi distributiones quotidianas in absentia a choro. Cap. unic. de cleric. non resid. in 6. 4° Exercendi actus episcopalis ordinis in clerico non episcopo. Cap. 4 de consuet. 5° Appellandi ad episcopum a sententia vicarii generalis. Cap. 2, eod in 6. 6° Impediendi episcopo morum correctionem, aut diœcesis visitationem cap. 13 de off. ord. et cap. 16 de rescript. 7° Non recipiendi sedis Apostolicæ legatos, aut Nuncios. Extrav. *Super gentes* de consuet. inter. com. et Brev. Pii VI *Super nunciaturis;* insuper qui sic agunt excommunicationem incurrunt, eorumque terræ ecclesiastico subjiciuntur interdicto. Hæ et aliæ similes consuetudines reprobantur. V. Giraldum in Append. ad tit. de consuet. Sed specialiter reprobantur consuetudines, quæ decretis concilii Tridentini adversantur. Bul. *Benedictus Deus* Pii IV, ejusdem concilii confirmatoria. — (6) Cap. 40 de reg. jur. in 6. — (7) Hinc si per metum gravem, aut per vim communitas adigeretur ad actus frequentandos, aut per errorem, vel ignorantiam eosdem emitteret, nulla propterea conderetur legitima consuetudo. — (8) Hoc Doctores deducunt ex cap. 4 et 15 de præscript., in quibus præscriptio tantum quadragenaria admittitur. Sed ibi agitur de præscriptione jurisdictionis, et bonorum, non precise de præscriptione contra legem. — (9) Hoc desumunt ex can. 7 dist. 12 ubi sancitur revocandum esse quidquid contra longam consuetudinem fit. Ergo quod fit secundum hanc consuetudinem non est revocandum, ac proinde licitum est et validum. Longa autem consuetudo est decem annorum, ut omnes doctores tradunt, et decem annorum consuetudo dicitur longæva a Glossa in cap. ultimo de consuet. in 6 verb. *consuetudo.* — (10) Quando Pontifex scit vigere in aliqua regione, vel in tota ecclesia aliquam consuetudinem præter vel contra jus, quæ tamen rationabilis sit, et silentium super eam servat, cum facile posset suo verbo eam revocare, præsumitur eam probare: nam legislativam facultatem æque exercet, cum voluntatem suam subditis per verbum imponit, et cum subditorum mores etiam tacite probat. Hoc enim tacitum æquivalet expresso, et de tacito dubitari non potest, cum Pontifex agnoscit, et non contradicit moribus subditorum, si facile contradicere queat, juxta illud: Qui tacet consentit, cum facile repugnare posset, et deberet. Sic per consuetudinem totius orbis catholici derogatum est legi audiendi diebus festivis missam parochialem. Cap. 2, de paroch. etc., et Benedictus XIV, de synod. l. 11, c. 14, n. 10. Hoc verum est, cum Pontifex silentium servat, et posset facile reclamare. Aliter autem res se ha-

beret, si reclamare non posset, quia physice, aut moraliter impeditus, ut puta si arcta detineretur custodia, ut in miseranda Pii VII captivitate, ab anno 1809, ad annum 1814, primum Savonæ, et deinde fontis Bellaquei in Gallia; aut si timenda sint ex reclamatione majora mala ob personarum perversitates, aut temporum calamitates, ut cum populus, aut natio a Pontifice descissit. In his casibus præsumi non potest tacitus ejus consensus, ac proinde ex hoc capite nequit consuetudo introduci: Pontifex enim silentium servat veluti ex necessitate. Unde aliqui tradunt, silentium Pontificis esse duplex, nempe *annuens,* et *œconomicum:* illo utitur, cum consuetudinem tacite probat; hoc vero, cum ex prudentia silet, ne majora sequantur mala. Esse autem hoc silentium licitum liquet ex naturali ratione, et ex allocutione consistoriali Pii VI, diei 29 martii 1790, qui in illa maxima revolutionis gallicanæ calamitate, sic loquebatur: *Videmus profecto quam grave nobis impositum sit loquendi munus; sed novimus etiam non solum inanem futuram vocem nostram ad efferatam populi in omnem licentiam effusi multitudinem, quæ proruit ad incendia, ac rapinas.... verum etiam verendum esse, ne magis magisque ad alia perpetranda facinora invitetur, et accendatur.* Citat deinde S. Gregorium sic docentem: *Discrete quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat, aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigra restringat.... Unde et nobis caute discendum est, quatenus os discretum, et congruo tempore vox aperiat, et rursum congruo taciturnitas claudat.* Insuper citat peritissimum Pineda affirmantem illud esse *tempus tacendi, cum auditores non amplius obtemperantes dictis, sed repugnantes et contradicentes, atque ad singula verba elatrantes experimur.* Theiner doc. ined. tom. 1, n. 1. Quare recte concluditur, summos Pontifices hoc œconomico silentio uti posse, quando communitas consuetudinem inducens legi adversam non videtur ad superiori parendum disposita; sed potius ad schisma exorbitare parata; et quando Principes, vel parlamenta consuetudinis revocationem ita ægre ferrent, ut majora ab eis timenda forent mala; quod procedere putat etiamsi consuetudo esset irrationabilis, et vera corruptela. — An possit per consensum legalem, sive juridicum consuetudo introduci, duplex est sententia. Communior et præstantior ea est S. Rotæ Romanæ, quam sequuntur Fagnanus, cardinalis de Luca aliique canonistarum principes, nempe constitutionem pontificiam per non usum non tolli absque scientia pontificis. (Vide *Analecta juris pontificii*, fasc. 67). Oppositam sententiam vide apud Zallinger institut. jur. eccles. ad tit. de consuet. § 230.

57. Cum consuetudo in facto consistat, numquam præsumitur; sed illi onus probandi incumbit, qui eam allegat. Cum tamen quædam sint consuetudines ita notoriæ, ut de illis dubitari non possit, hinc in hoc casu sola notorietas probat, et sufficit consuetudinem notoriam alle-

gare, ut allegatur jus scriptum. In aliis vero, quæ adeo in confesso non sunt, probatio est omnino necessaria, quæ fieri potest per publicas scripturas, per exempla rerum judicatarum, et per testes (1).

(1) Zallinger loc. cit. § 232.

58. Consuetudinis effectus sunt: 1° ut legitime præscripta omnes in contractibus, judiciis, cæterisque actibus civilibus, et ecclesiasticis obliget, quia jus novum inducit (1): 2° ut legem prius latam interpretetur; etenim utriusque juris definitione, *Optima est legum interpres consuetudo* (2); 3° ut legem prius latam abroget, ex quo sequitur, quod ille judex causam suam facit (3), qui contra consuetudinem probatam sententiam profert.

(1) Arg. cap. 9, de consuet. — (2) Cap. 8 de consuet. — (3) Causam, vel litem suam facere jure Romanorum idem sonat ac male judicare: unde judex, qui causam suam facit, tenetur damna reparare.

59. Consuetudo abrogatur per aliam consuetudinem contrariam, vel per legem; cum in themate legum, cujus exemplum refert consuetudo, illud observetur, quod lex posterior derogat priori. At notandum id intelligi de consuetudine, et lege universali, quæ se mutuo destruunt; nam lex universalis non tollit consuetudinem particularem alicujus loci, de qua nullam facit mentionem (1).

His expositis de jure constituente, ad jus constitutum progredimur, cujus objectum triplex est, nempe: personæ, res, et judicia. Personæ quidem, quibus jus redditur; res, de quibus redditur; et judicia, quomodo redditur. Hinc a personis exordimur.

(1) Cap. 1, de constit. in 6. Ad tollendam consuetudinem specialem locorum requiritur expressa declaratio a Pontifice facta, maxime si sit immemorialis, quæ assimilari potest privilegio. Si vero immemorialis non sit, sufficiunt clausulæ, quæ sæpe in legibus ecclesiasticis inveniuntur, ut est: *nulla obstante consuetudine in contrarium;* vel simpliciter: *nulla obstante consuetudine.* Reiffenstuel de consuet. n. 183.

TITULUS VII.

DE PERSONIS.

SUMMARIUM: 60. Quid veniat nomine personæ? — 62. Obligatio laicorum ad sacros canones observandos. — 63. Laici nequeunt spiritualia munia tractare. — 64. Divisio clericorum. — 65. Qui referuntur ad clericos improprie dictos?

60. Jure civili Romanorum, Persona est homo cum suo libertatis statu consideratus, sive est liber homo a servo sic distinctus, qui nec libertatem, nec personam habet. Jure canonico antiquo, Personarum nomine quandoque intelligebantur tantum majores inter clericos (1); ex quo ortus est *Personatus*, qui in solo personæ ecclesiasticæ honore, sive præeminentia absque officio, et jurisdictione consistit. At inde usu factum est, ut Personæ nomine quilibet intelligatur homo sine distinctione inter liberum et servum, inter majorem et minorem: et quidem recte, *quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.... et personarum acceptio non est apud Deum* (2).

(1) Can. 4, c. 1, q. 3. — (2) D. Paulus ad Ephes. c. 6.

61. Juxta Sacros canones personæ dividi possunt: 1° in *fideles*, et *infideles*. Fideles vocantur, qui per lavacrum Baptismatis fuerunt ad novam Christi vitam regenerati; infideles vero, qui sine Baptismate extra Ecclesiam juxta leges gentium vivunt, quique propterea ad ipsam nullatenus pertinent, ut sunt Hebræi, et Pagani; 2° in *clericos*, et *laicos*, et hæc præcipua divisio est. Clerici, sic appellati a græco vocabulo, quod sortem et hæreditatem significat, sunt illi, qui ab episcopo ordinati, et divino mancipati officio, aliquod in Ecclesia exercent ministerium, quique propterea in sortem, et hæreditatem Domini electi dicuntur; Laici vero, sic dicti ab alia voce græca, quæ populum significat, sunt illi, qui nullo peculiari ecclesiastico muneri addicti, Ecclesiæ populum

constituunt, et qui *salvari poterunt, si vitia benefaciendo evitaverint* (1); 3° in *orthodoxos*, et *heterodoxos*. Orthodoxi sunt, qui veram et integram catholicam Christi fidem sub uno visibili ecclesiæ Capite Romano Pontifice profitentur, qui etiam Catholici dicuntur, et Christiani. Heterodoxi vero, qui ab Ecclesiæ unione recesserunt, et errores, ac schismata sequuntur ab Ecclesiæ damnata, quorum alii hæretici, et alii schismatici vocantur (2).

Inter laicos sunt *Neophyti*, et *cathecumeni*. Neophyti appellantur, qui ab infidelitate egressi recens baptizati fuerunt; Cathecumeni vero, qui S. Baptismum petierunt, sed nondum receperunt, qui tamen ad ipsum Baptismum recipiendum in fidei doctrina exercentur. Quoad Neophytos observamus, non esse in jure definitum, quamdiu recens baptizati in neophytorum gradu persistant; at cum hic gradus ad fidei probationem, morumque experimentum sit ab Ecclesia institutus, definitio videtur esse relinquenda judicio Episcopi, qui morum integritatem, fideique constantiam expendit. Quoad Cathecumenos similiter observamus, eos non esse veros Christi fideles, cum in Ecclesiam per baptismi januam nondum sint ingressi; sed nihilominus ob emissam voluntatem amplectandi fidem, et receptum Crucis signum, fideique symbolum, Ecclesiæ veluti candidati fiunt, et ad ipsam hac ratione jam dicuntur pertinere. Hac de causa Romani Pontifices nedum Neophytorum, sed et Cathecumenorum collegia. et hospitalia præsertim pro Hebræis, Mauris, et Turcis instituerunt, ut ex eis prodirent evangelici operarii, qui proprias gentes possent fidei veritatem illarum lingua docere, et ut reliqui artem addiscerent, qua vitam sustinerent (3).

(1) Can. 7, c. 12, q. 1. — (2) Ex his definitionibus liquet, non esse orthodoxos Græcos orientales ab Ecclesia catholica divisos, et Russiæ religiones cultores, licet orthodoxos magno fastu se appellent; item non esse catholicos, et veros christianos Protestantes, quamvis se tales esse jactent. — (3) Bul. *Vices ejus* Gregorii XIII; et bul. *Dudum* Pauli IV.

62. Laici orthodoxi Ecclesiæ membra sunt, et filii, cives Sanctorum, et domestici Dei (1). Hinc in spiritua-

libus tenentur omnino canonum statutis obtemperare; nam nequeunt legis sperare fructum, nisi legis statuta servent (2). Sapientissimus enim Deus omnis potestatis auctor duplex instituit imperium, Spirituale et temporale, et utriusque discrevit propria, ut Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum in eorum ditionibus eorum justis legibus uterentur (3). Concordat Imperatoris Justiniani sententia: *Maxima quidem*, inquit, *in omnibus sunt dona Dei a superna collata clementia, Sacerdotium, et Imperium. Illud quidem divinis ministrans; hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens; ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam* (4). Propterea omnes Christi fideles in divinis et spiritualibus subjecti sunt Summo Ecclesiæ Hierarchæ, et Vicario Christi; dum in mere temporalibus et profanis subditi sunt proprio respective Principi. Utrique ergo debent fidem, et obedientiam servare juxta Christi præceptum: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (5). Pro cujus quidem præcepti executione ipse Deus gladium temporalem concessit Principi, quo bonum temporale societatis defendens posset corporaliter graviorum criminum reos occidere; et spiritualem concessit Pontifici, quo æternum animæ bonum defendens, posset spiritualiter graviorum criminum reos necare, hoc est per anathema a S. Ecclesiæ unione divellere.

(1) D. Paulus ad Ephes. c. 2. — (2) Quod dicendum est etiam de iis, qui in altissimo dignitatis gradu collocati sunt, de supremis magistratibus et regibus. Unde Gelasius Papa ad Anastasium imperatorem scribebat: *Tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus in divino sunt reddituri examine rationem.* Et alibi rationaliter ita declaratur: *Si Imperator catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ. Quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere.... Deus enim voluit, sæculi potestates, si fideles sunt, ecclesiæ suæ sacerdotibus esse subjectas.* Can. 11, diss. 96. Card. Soglia Inst. jur. pub. l. 3, c. 1, § 37. Quare merito damnata fuit sequens propositio: *Reges, et principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiæ.* Syllab. prop. 54. — (3) Can. 8, dist. 10. — (4) Novel. 7, in princ. — (5) Matth. c. 22.

63. Attamen cum laici nulli peculiari muneri sint addicti, nullam queunt ecclesiasticam jurisdictionem habere, aut exercere. Nequeunt idcirco spiritualia, et mere ecclesiastica negotia tractare (1), de fidei mysteriis publice, vel privatim disputare cum hæreticis (2), prædicationis officium exercere, et præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docendi officium obire (3). Nequeunt ob eamdem causam oblationes ad altare offerre, in minorum etiam ordinum officio deservire, vasa sacra attingere (4). Nequeunt præterea alia plura facere, de quibus suis in locis agemus (5).

(1) Cap. 2, de judic. Ea est hujus asserti ratio, quia causarum spiritualium et mere ecclesiasticarum cognitio a spirituali et supernaturali potestate dependet, quam Christus Dominus instituit, et Petro, ejusque successoribus concessit apud Matthæum cap. 16; et Joannem c. ult. ut ab eo in reliquos prælatos diffunderetur. Can. 2, dist. 21. Sed hanc potestatem non concessit laicis, qui propterea ad eam assequendam sunt incapaces, ut tradunt communiter Doctores. Negotia autem spiritualia, et mere ecclesiastica sunt, quæ de sacramentis, fide, ritibus, cæremoniis, censuris, beneficiis, decimis, ecclesiis, et ecclesiasticis personis agunt. V. Gonzales ad cit. cap. 2. Quare laicus in dictis causis nequit esse judex ordinarius, aut arbiter, neque potest ad eas causas definiendas ab episcopo delegari; sed solus Papa hoc facere valet, ubi jus divinum non resistit. Nihilominus in iisdem causis laicus a partibus, vel ab episcopo potest constitui procurator. Cap. 1, de procur. in 6, et Fagnanus ad cit. cap. 2, potest constitui assessor judicis ecclesiastici, quia talis assessor judicandi potestate non pollet, nec aliquam consequitur jurisdictionem. Sed hoc evenire non solet absque gravi incommodo: unde nunc omnes Galliæ episcopi, qui tribunalia restituerunt, solos ecclesiasticos viros in judices, promotores, et assessores curiarum suarum sapienter elegerunt, ut testatur André in suo cursu alphabetico Jur. can. verb. *laici*. Item laicus in causis iisdem potest esse notarius, tum quia notarius exercet officium testis, tum quia clericus generaliter tabellionem agere nequit. Cap. 8, ne cler. vel mon.; et potest esse cancellarius episcopi, Monacellus part. 1, tit. 1, for. 5, n. 7. Ubi vero cancellarius episcopi sit laicus, eo uti nequit episcopus in efformando processu pro canonizatione Sanctorum, et in visitatione monialium: nam cancellarius laicus monasteria ingredi nequit. Bul. *Dubiis* Gregorii XIII, etiamsi esset officialis ipsorum monasteriorum, ut referunt decisum a S. Congregatione epic. et Reg. in *Genuen.* 16. Jan. 1607. — (2) Hoc erat laicis interdictum ab ipsis imperatoribus Christianis pluribus legibus, quas affert Beraldi in suis Commentariis ad lib. 5 Decret. p. 1, dis. 2, c. 1. Sed hanc interdictionem firmavit Alexander IV, in cap. 2 de hæret. in 6, quam alii posteriores Pon-

tifices ratam habuerunt ad pericula disputantium, et pusillorum scandala amovenda. Prohibitio tamen hæc cadit in disputatione vera et formali, non in materiali, vel ficta, aut morali, quæ fit exercitii causa ad veritatem magis cognoscendam, ac errores refutandos, quæ licita quidem est, et ad meritum multum confert. Gonzales ad cap. *Cum ex injuncto*, de hæret. Illa insuper fieret licita in casu necessitatis, vel utilitatis, veluti si in aliquo loco esset hæreticus, qui fideles perverteret, nec ibi adessent ecclesiastici docti, qui fidei partes susciperent. Barbosa ad cit. cap. 2. Extremis insuper hisce temporibus, quibus hæretici, et athei undique scatent, eam putamus inesse rationem utilitatis, et necessitatis, per quam facile possint episcopi hanc licentiam concedere, debitis observatis cautelis, immo et eruditi fideles zelo religionis incensi eam sibi retinere præsumptive concessam, ut rati sunt plurimi, qui S. Theologiam, et jus sacrum pro fitentes contra Ecclesiæ inimicos strenue decertarunt, et libris in orbe, oratione in circulis, ac recitationibus in scholis rem Christianam magnopere juvarunt. — (3) Cap. 13, de hæret. can. 29, dist. 23, et ratio est, quia a Domino, vel ab Ecclesia missionem non habent. — (4) S. De Ligorio Theol. mor. l. 6, n. 382. — (5) Hic notandum, quod die veneris et sabbati sancti omittenda est oratio pro Imperatore, et ejus nomen in *exultet*, quia die 6 Augusti an. 1806. Imperator Romanorum huic dignitati renunciavit. Ita est praxis ecclesiæ Romane, et ita præscribunt declarationes S. Congreg. Rit. in una *Sarsinaten.* 3 aug. 1839, et in alia *Meclinen.* 1844. V. Corresp. de Rom. 4 septemb. 1851, pag. 352.

64. Clerici dividuntur 1° in *majores*, ut Episcopi, et *inferiores*, ut simplices Sacerdotes: 2° in *regulares*, qui in claustris, et *sæculares*, qui extra claustrum vivunt: 3° in eos, qui in ordine sacro, et eos, qui in ordine non sacro sunt constituti: 4° in eos, qui proprie, et improprie clerici appellantur. Clerici proprie dicti sunt omnes, quos hic recensuimus; improprie autem sunt, qui sine tonsura habitum clericalem deferunt.

65. Ad Clericos improprie dictos plures referuntur, qui interdum clericorum privilegiis, favoribusque donantur. Hujusmodi sunt Monachi professi nullo ordine insigniti, probatarum Religionum Novitii (1), et Regularium Conversi, qui monasteriis addicuntur, ut a chori obligatione soluti in temporalibus eorumdem ministeriis occupentur. Conversi differunt ab Oblatis tum in eo quod illi et non isti professionem solemnem emittunt, tum in eo quod illi habitum Religionis assumunt, et isti habitum diversum, retinent, ac, præcedente bonorum donatione,

monasterio se dedunt, ut procul a mondanis curis queant Deo in pace et quiete servire omnibus vitæ diebus (2). Hujusmodi quoque sunt Tertiarii; qui variis mendicantium Religionibus consociantur, quique ideo Tertiarii dicuntur, quia non ad religiosos, non ad conversos pertinent, sed ad alium tertium ordinem aut a Religionis fundatore institutum, aut post fundationem a summis Pontificibus probatum. Horum plane tres sunt species in jure recognitæ, nam alii vivunt domi suæ; alii vivunt in cœtu; et alii religionem constituunt (3). Jam vero Tertiarii in congregatione, et communitate viventes privilegiis clericorum fruuntur; non ita qui seorsum ab aliis in propriis domibus vivunt (4). Demum ad conditionem clericorum improprie dictorum revocantur etiam Moniales, quatenus quibusdam fruuntur clericorum privilegiis, ut fori, et canonis, et earum occasione etiam Novitiæ, Conversæ, et Tertiariæ (5). Nam quæ supra diximus constituta pro viris, vel in iisdem, vel in aliis summorum Pontificum bullis ad mulieres quoque extensa fuerunt (6).

(1) Cap. 21, de sent. excom. in 6. — (2) Cap. 5, de sent. excom. et ibi Glossa. — (3) Et habent novitiatum cum professorio Bul. *Paterna* Benedicti XIII. — (4) Bul. *Dum citra* Leonis X. — (5) Arg. cap. 33, de sent. excom. — (6) Sed circa Tertiarias non collegialiter viventes observamus, non posse Regulares illis dare proprii ordinis habitum sine ordinarii diœcesani licentia, quam hic concedere non debet, nisi prius sibi constet de tali indulto Regularibus a S. Sede concesso, de bonis fœminarum moribus, de earum quadraginta annorum ætate, de redditibus sufficientibus ad honestam sustentationem, et de convenienti habitatione, quam numquam possunt habere cum viris, nisi cum solis conjunctis in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradu. Monacellus part. 1, tit. 6, form. 14; et Benedictus XIV, de Synod. l. 9, c. 15, n. 11, ubi dotes necessarias enumerat, ut episcopus licentiam licite dare queat.

TITULUS VIII.

DE COMMUNIBUS CLERICORUM JURIBUS.

SUMMARIUM: 66. Submissio legibus præcedit jura clericorum, quæ ad tria capita revocantur. — 67. Soli clerici capaces sunt actuum ordinis, et jurisdictionis ecclesiasticæ. — 68. In quo consistat privilegium fori? — 69. A concordatis fuit limitatum. — 70. Quæ sint temporales clericorum causæ, quæ a judicibus laicis possunt cognosci? — 71. Privilegium canonis. — 72. Pœna percutientium clericos. — 73. Beneficium competentiæ. — 74. Exemptio clericorum a publicis tributis et muneribus.

66. Ut Deus in lege veteri Levitas in suum ministerium assumpsit, sic in nova in suos ministros sibi segregavit Clericos, qui quanto magis fuerunt elati in honore, tanto fidelius debent leges sibi constitutas observare, ne sit honor sublimis, et vita deformis, ut S. Ambrosius aiebat. Et hoc quidem nedum divinas et ecclesiasticas leges comprehendit, sed, ubi salva sint ecclesiasticæ immunitatis jura, ad Principum quoque leges extenditur, in quorum ditione vivunt juxta D. Pauli præceptum ad Titum: *Admone illos, principibus, et potestatibus, subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse* (1). Hic observat Theodoretus, Apostolum excipere neminem, *non presbiteros, non præsules, non monachos.*

Clerici multo ampliora, quam laici, habent jura, et onera multo graviora. Jura clericorum ad hæc tria capita possunt revocari: 1° ad prærogativam ordinis et jurisdictionis: 2° ad privilegium fori, canonis, et competentiæ: 3° ad exemptionem ab oneribus, et muneribus publicis.

(1) V. Card. Soglia Inst. Jur. pub. l. 3, c. 1, § 58.

67. Circa primum. Soli clerici capaces sunt actuum ordinis respectivi, qui si ab aliis emittantur, non tantum sunt illiciti, sed et invalidi: ut est ordinare, confirmare, consecrare, et absolvere a peccatis. Ipsi soli queunt magistratus, et prælaturas ecclesiasticas gerere, leges et sententias in foro canonico ferre, censuras edere, in bene-

ficiis instituere, aliaque spiritualia ab ecclesiastica jurisdictione dependentia explicare (1). Hæ autem prærogativæ tamquam necessarium consequens jus involvunt percipiendi fructus Ecclesiarum, et beneficiorum; et honorem continent nobiliorem occupandi locum in Ecclesia, et præcedendi collegiis laicorum maxime in publicis precibus.

(1) Devoti Inst. can. l. 1, t. 1, § 5.

68. Circa secundum. Ob privilegium fori clerici nequeunt sive volentes, sive inviti in judicium sæculare conveniri, aut a sæculari judice puniri. Jure communi inspecto, generale est hoc privilegium, omnes comprehendens clericorum causas tam criminales, quam civiles, tam personales, quam reales, tam in actione proprietatis, quam in actione possessionis: est similiter absolutum; nam clericus neque jurejurando potest eidem renunciare, quia non fuit introductum in favorem privatarum personarum, sed ad bonum publicum, et in favorem totius ecclesiastici ordinis. Hæc quidem jurata renunciatio foret ipso jure nulla, cum ex juris principio cautum sit, privatorum pactis non posse juri publico derogari (1).

(1) Præcipuum hoc ecclesiasticæ immunitatis caput confirmavit Tridentinum, quod postquam declaravit, *personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus institutam, decernit, et præcipit, sacros canones, et concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones in favorem personarum ecclesiasticarum, libertatis ecclesiasticæ, et contra ejus violatores editas, quæ omnia præsenti decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere.* Sess. 25, c. 20, de ref. Longum esset omnes canones hoc loco renovatos referre: sufficit nobis citare can. 9, dist. 96, can. 26, dist. 86, cap. 12 de for. comp. cap. 4, de cens. in 6, cap. I et seqq. de imm. Eccl. et conc. gener. Lateranense 5, sess. 9, ubi ecclesiasticæ personæ non solum jure humano, sed et divino a sæcularium personarum exactionibus declarantur immunes. Jure ac merito ita sacri canones sanxerunt: nam clerici personæ sunt Deo sacræ, et magis adhuc, quam ipsa templa, et altaria, quia templa et altaria viva sunt; patres quoque, et magistri omnium fidelium vocantur: quare *nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlo se ligari posse, et solvi* can. 9, dist. 96. Ideo Imperatores Christiani hoc clericorum privilegium agnoverunt justum, suisque legibus confirmarunt, can. 28,

c. 11, q. 1. V. Thomasinum p. 2, l. 3, c. 102 et seqq. Uti patet duo concilia generalia citata ecclesiasticarum personarum immunitatem ex jure divino, et humano deducunt, ut ex vetustissima traditione manat, et semper fuit in ecclesia observatum; ex quo deducitur eam ad divinam institutionem pertinere saltem in causis spiritualibus, et mere ecclesiasticis. Proinde nec Papa posset in omni immunitate dispensare, licet queat declarare, quæ immunitas ex jure divino sit, et quæ ex jure tantum ecclesiastico.

69. At lapsu temporis hoc ipsum privilegium per Summorum Pontificum indulta favore Principum, aut Nationum pluries limitatum fuit, præsertim quoad causas reales civiles, et graviora Clericorum crimina (1). Posset tamen opponi, hæc limitationum indulta abrogata fuisse per Bullam *Cœnæ Domini*, in qua sub numero 15 papalis excommunicatio fertur contra trahentes, aut trahi facientes personas ecclesiasticas ad sæculare tribunal; etiamsi id eveniat *prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii.* Verum cum ipse Pontifex tum ante, tum post Bullæ publicationem quandoque hæc privilegia, vel indulta pro aliqua ditione concedat, dicendum videtur, nolle Pontificem ad privilegiatas ditiones Bullam extendere, vel saltem tolerare, ne quoad hoc observetur (2).

(1) Harum limitationum exempla pro antiquo Galliæ regno, et pro Venetiarum republica afferunt canonistæ, Barbosa, et Fagnanus citati a Reiffenstuel in tit. de Jur. com. § 10, n. 236. Pro regno autem Sardiniæ extat Instructio Benedicti XIV, an. 1742, et conventio inter S. Sedem, et ipsum Regem an. 1841. — (2) Principes sæculares, sive suprema Parlamenta et curiæ absque sacrilegio nequeunt immunitatis ecclesiasticæ leges sua propria auctoritate mutare, aut auferre. Si hoc fecerint signum est, eos a catholica fide defecisse, vel proxime defecturos. Nam potestas judicandi conjungitur cum potestate leges ferendi, et qui sibi usurpat jus de rebus spiritualibus judicandi, eodem tempore jus sibi adscribit de iisdem rebus leges ferendi. Princeps ergo, qui hoc audet, se Pontificem facit, sive schisma Protestantium, aut Orientalium amplectitur. Revera Galliæ Parlamenta, quæ iniqua lege an. 1790, ecclesiasticam jurisdictionem abrogarunt, æque catholicam religionem expungere decreverunt, forum ecclesiasticum abstulerunt, bona ecclesiastica usurparunt, conventus religiosorum, monasteria, beneficia, et ecclesias subverterunt, cultuumque libertatem proclamarunt, quod quovis schismate deterius putamus. Et sic faciunt, et facient omnes, qui hanc exitialem ingrediuntur viam. Neque ipsi episcopi etiamsi Principes in temporalibus sint fori privilegium possunt auferre, ut manifeste evincitur ex Bulla *Non satis verbis* Clementis XIII, in qua Pontifex graviter reprehendit ar-

chiepiscopum Trevirensem, et Principem Electorem, qui per edictum suum fori privilegium suppresserat, et admiratione lamentatur, ipsum episcopum *ita ecclesiam sæculo posthabere, ut ecclesiasticam potestatem, auctoritatemque depressam velit, et sæcularem super ecclesiasticæ ruinas extollat.* Sed idem edictum postea archiepiscopus revocavit, quod forte tulerat non voluntate sua, sed pravis eorum consiliis, qui eum circumsteterunt, utpote, *corruptis moribus, vel novarum doctrinarum erroribus maculosi;* Bul. *Ex Litteris* ejusd. Pontificis. At sicut stabit perpetuo Ecclesia catholica, licet a persecutoribus continuo exagitata, ita perpetuo stabit immunitas ecclesiastica clericorum, licet impietas legum sæcularium ad tempus clericis vim faciat, et divina conturbet. Jus enim hoc a Religione avelli non potest ac proinde est imperscriptibile, et inalienabile. Unde Principes et Parlamenta illud per nefas, et vim usurpare poterunt, sibi autem juste acquirere nunquam poterunt. Quare damnatæ fuerunt sequentes propositiones: *Ecclesiæ, et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit. — Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus, sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta, et reclamante apostolica Sede. — Absque ulla naturalis juris, et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ, exercendæque militiæ eximuntur, hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.* Syllab. prop. 30, 31 et 32. Insuper Pius IX, postquam has propositiones damnavit, novam edidit bullam incipientem *Apostolicæ Sedis*, qua excommunicatione majori sibi speciali modo reservata revinxit: *Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni, sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum sæculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem præstantes.* Ac pariter *Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem, aut jura Ecclesiæ.* A quibus sic reservatis excommunicationibus si quis sine debita S. Sedis facultate absolvere præsumat, excepto mortis articulo, excommunicatione innodatur iterum S. Pontifici reservata, ita ut nec relevet in contrarium generalis concessio absolvendi a casibus et censuris sive excommunicationibus Papæ reservatis, aut indultum cuicumque personæ vel Ordini concessum ante præcitatam bullam.

70. Nihilominus quædam clericorum causæ temporales et profanæ independenter a Pontificis particulari concessione ex communi Canonistarum sententia possunt a judicibus sæcularibus cognosci, cujusmodi sunt causæ reales clericorum respicientes feuda (1); item quæ respiciunt successiones in bonis temporalibus; quæ pertinent ad judicium coram laico jam excitatum a laico, cui succes-

sit clericus; quæ ex bonorum sæcularium administratione proficiscuntur, aliæque similes, uti in constanti tribunalium praxi observatum fuit; item causæ possessoriæ, in quibus agitur de interdictis *retinendæ, et recuperandæ possessionis*, etiam in beneficiis, in decimis, aliisque similibus, et ratio est, quia cum possessio in facto consistat, nil impedit, quominus de hoc facto cognoscat judex sæcularis (2). Hoc autem procedit ita ut inter ecclesiasticum et sæcularem judicem fiat præventioni locus; et post possessorium judicium a judice sæculari pronunciatum queat adhuc introduci petitorium coram judice ecclesiastico. Quod extenditur ad casum, quo possessio non naturalis, sed legis auctoritate, vel fictione capta sit, ut in emptore, et in hærede contingit. Interdicta tamen *adipiscendæ possessionis* ante ecclesiasticum judicem sunt proponenda, quia hæc possessoria judicia in petitoria resolvuntur, cum possessio hoc casu nequeat alio modo obtineri, quam ex titulo, ex quo oritur jus possidendi. Hinc si pendente judicio possessorio, coram judice sæculari in duobus citatis interdictis retinendæ et recuperandæ possessionis perspicue detegatur, petitorium absorbere possessorium, uti dicunt, causa remittenda est judici ecclesiastico, ut plene definiatur.

(1) Cap. 6 et 7 de for. comp. — (2) Interdictum hic non accipitur pro censura ecclesiastica, sed pro judicio possessorio *retinendæ, recuperandæ, et adipiscendæ possessionis.* Reiffenstuel ad tit. de caus. poss. et propr. n. 71 et seqq.

71. Ob privilegium canonis nequeunt in clericum violentæ manus inferri, ut sancivit Innocentius II, in concilio Lateranensi II, his verbis: *Si quis, suadente diabulo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum, vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat; et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, (nisi mortis urgente periculo), donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat* (1). Quare incidit in hunc canonem, qui clericum occidit, aut vulnerat, aut percutit, qui clericum vinculis constringit, aut publica, vel privata custodia detinet (2), et qui clericum alia actione externa injuriosa, et violenta in materia gravi voluntarie lædit (3). Incidit similiter in hunc canonem, qui mandat, consulit aut

auxilium præbet, ut prædicta fiant, effectu sequuto (4), qui ratam habet clerici percussionem, aut offensionem suo nomine factam, cum posset eam alteri committere, quia ratihabitio retrotrahitur, et mandato debet comparari (5), et probabiliter etiam qui percussionem, vel offensionem poterat, et ex justitia debebat impedire, ut est judex, prælatus, parochus, pater, tutor, et non impedivit (6).

E converso non incidit in canonem, qui clericum percutit ex levitate jocosa, aut ratione officii, et gratia correctionis, ut si agatur de prælato, magistro, patre, aut aliis similibus, modo in corrigendo non sit excessus (7). Quia hujusmodi percussores non agunt, suadente diabulo, neque occurrit sacrilegii reatus; item qui clericum percutit causa defensionis sui ipsius, rerum suarum, aut sui honoris, modo percussio fiat in continenti defensionis, observato moderamine inculpatæ tutelæ (8), quia vim vi repellere omnia jura sinunt; et similiter qui percutit clericum non agnitum ut clericum, aut ob reprobatam agendi rationem fori privilegio legitime privatum (9).

(1) Can. 29, c. 17, q. 4. Ratio hujus canonis in eo est, quod clerici sunt personæ per sacros ordines Deo dicatæ, de quibus ipse Deus mandavit: *Nolite tangere Christos meos.* Psal. 104, quia qui eos *tetigerit, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. Modo citatum canonem nuper confirmavit Pius IX in sua bulla *Apostolicæ Sedis.* Ex quo dignoscitur, quam male se gerant illi, qui sub prætextu æqualitatis socialis, et tranquillitatis reipublicæ non verentur sua tantum auctoritate in clericos manus immittere, eosque pœnis subjicere. Utinam hi reminiscerentur pœnæ, et objurgationis illius juvenis Amalecitæ, quem confecit David dicens: *Quare non timuisti mittere manum tuam, ut occideres Christum Domini?* 2 Reg., c. 1. Utinam reminiscerentur, canonem præcitatum fuisse sancitum ab Innocentio II, in concilio Lateranensi II, ad tutandas clericorum personas contra diabolicam doctrinam Arnaldi a Brixia, qui ad clericos vexandos, et exterminandos populum incitabat, cujus pestiferam doctrinam luctuosis hisce nostris temporibus plures ex rerum publicarum rectoribus, plurimi in civilibus officiis magistratuum, præceptorum, advocatorum, medicorum, etc., et omnes damnatis sectis addicti profitentur, quasi jam imminerent extrema orbis tempora. Proh dolor! quanta nequitia Christi ministros crudeli persecutione vexare? — (2) Cap. 29 de sent. excom. — (3) Actio externa injuriosa est nedum percussio manus, baculi, aut gladii; nedum ictus pedis; sed etiam in faciem clerici spuere, scindere ejus vestes, eum aqua madefacere, aut immundis aspergere, immo et ejus cadaver injuriose tractare. Phillips

de jur. eccl. l. 1, §. 60. — (4) Clem. *Si quis* de pœn. De iis omnibus nunc dubitari potest ob bul. *Apostolicæ Sedis.* — (5) Cap 23, de sent. excom. in 6. — (6) Cap. 47, de sent. excom. — (7) Cap. 1 et 54, eod. — (8) Cap. 3 et 10, eod. — (9) Cap. 4 et 45, eod. Si vero dubium sit, an percutiens vere ignoraverit, percussum fuisse clericum, ab adnexa censura liberatur, si juret, se vere ignorasse, ut statuitur in cit. cap. 4. Ob malam deinde vitæ rationem hoc privilegio privantur clerici, qui *nec in modo tonsuræ, nec in vestimentorum forma, nec in qualitate negotiorum, de clerico quidquam ostendunt,* ut eruitur ex cit cap. 45, quia hi post delicta clericorum privilegium labiis allegant, *qui factis paulo ante negaverunt clericatum. Sed frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem,* ut ait Innocentius III, in citato canone. Talis habetur in jure: 1° qui mimorum, joculatorum, et histrionum artem ab anno exercet; hic enim ipso jure privilegio privatur; si vero a breviori tempore hoc agat, privatur post trinam monitionem, quando non resipiscat, cap. 1, de vit. et honest. cler. in 6. 2° Qui, relicto habitu clericali, assumit arma militaria, ut præscribit Clemens III, in cap. 25 de sent. excom. At ad realem privilegii privationem requiritur pertinacia post trinam monitionem. Ulterius dicto privilegio privantur, qui fuerunt realiter et solemniter degradati, cap. 2, de pœn. in 6. Ad hoc tamen verbalis degradatio, et depositio non sufficit. Nec dubitari forte poterit, clericum privilegio exutum, qui fuerit ad triremes damnatus. Phillips loc. cit.

72. Pœna in clericorum percussores pronunciata est excommunicatio S. Pontifici reservata, uti patet ex allato canone. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus etiam Episcopus potest absolutionem impertiri, uti sunt sequentes: si percussio sit levis, non gravis, non enormis (1); levis autem percussio judicatur ex prudenti Episcopi judicio; cum facta est manu, aut etiam baculo, vel alio simili modo, sed sine magna injuria, sine corporis macula, aut contusione; si percussio sit occulta, aut facta ab impeditis se conferre Romam; si sit facta a mulieribus (2), a curiæ officiali repellente turbam irruentem (3), et ab impuberibus (4); si sit facta inter clericos collegialiter viventes, et non sit enormis (5); ac demum si habeatur a S. Pontifice absolvendi privilegium, quod per S. Pœnitentiariam Episcopis de triennio in triennium solet concedi, modo ex percussione non sit sequuta mors, aut mutilatio, aut lethale vulnus, aut ossium fractio, et casus ad forum externum non sit deductus.

(1) Cap. 17, de sent. excom. — (2) Cap. 6. eod. — (3) Cap. 3, eod. — (4) Cap. ult. eod. — (5) Cap. 9, de vit. et honest. cleric.

73. Ob privilegium denique, vel beneficium competentiæ clerici nequeunt propter debita in carcerem detrudi, aut excommunicari, qui si non habeant unde solvant, tolerantur, si caveant de solvendo, ubi ad pinguiorem fortunam devenerint; quia illis salva semper esse debet honesta sustentatio, ne in opprobrium ordinis mendicare cogantur (1). Quod beneficium clericis jus canonicum concessit ad exemplum legum romanarum, quæ similem beneficium prius concesserant militibus, parentibus, patronis, sociis, maritis quoad dotis restitutionem et donantibus quoad donatarios (2).

Doctores tamen huic privilegio plures limitationes apponunt, ut: si clericus malitiose debitum negaverit, et nihilominus ut debitor fuerit damnatus; si dolo, vel fraude, et sub spe hujus beneficii æs alienum contraxerit; si delictum, vel quasi delictum commiserit, ob quod conveniatur; si fuerit de fuga suspectus; si fuerit suo creditore ditior; et si rem familiarem luxuriose vivendo dissipaverit. His quidem in casibus clericus obæratus poterit per censuras et carcerem adigi ad solvendum; non tamen probabiliter poterit omnibus suis bonis omnino privari, ne in dedecus totius ordinis mendicare cogatur, cum ex regula juris delictum personæ suum teneat auctorem, et non debeat in aliorum, ac præsertim Ecclesiæ detrimentum redundare (3).

(1) Cap. *Odoardus* 3, de solut. et Trid. sess. 21, c. 2, de ref. — (2) §§ 37 et 38, Instit. de action. — (3) Cap. 76, de reg. jur. in 6. Hæc quidem de jure canonico ita procedunt, ut videre est penes probatos canonistas; sed ex usu fori aliter se res habet juxta varias nationum leges. In Germania clerico obærato reservatur *portio congrua*, quod probat beneficium competentiæ ibi non esse obliteratum. Phillips. l. 1, § 60. In Gallia hoc beneficium clericis sublatum fuit: idem obtinet in aliis ditionibus. Quanta hoc fiat clericorum injuria statim intelligitur. Olim clericorum corpus primum et nobilius in societate etiam politica habebatur; nunc bonis et prærogativis spoliatum in humiliatione et paupertate fere ubique versatur: nam clerici persæpe neque jure communi juvari possunt. Abbé André in curs. jur. can. verb. *clericatus*. Hunc in dedecus religionis progressum attulit moderna educatio. Phillips. d. l.

74. Circa tertium. Clerici ex jure canonico exemptionem habent a publicis tributis *realibus*, et maxime *personalibus*, nisi talis sit reipublicæ status, *ut absque ulla exactione ad relevandas publicas utilitates vel necessitates, laicorum non suppetant facultates* (1). Tributa dicuntur realia, quæ imponuntur prædiis, sive sint solvenda quotannis, ut *impositio prædialis*, sive in determinatis tantum eventibus, ut *taxa successionis;* dicuntur e converso personalia, quæ personis, et earum consideratione rebus mobilibus imponuntur, ut est *contributio personalis, et mobiliaris*. Hæc exemptio a legibus Imperatorum romanorum, aliorumque Principum, et Regum, modo latius, modo strictius probata, multas propter civiles leges passa est vicissitudines, quibus ob rationem in præcitato capite allatam sæpe numero morem gessit Ecclesia (2).

Clerici insuper habent exemptionem a publicis officiis, sive muneribus; ut a gerendo magistratu sæculari, in quo *justiliarii* fiant (3). Ab exercendo officio advocati, aut, quod pejus est, procuratoris in causis civilibus (4). A retinendo officio tabellionis, aut notarii publici (5). A ferendo testimonio coram judice laico (6). A suscipienda, et gerenda tutela (7). Et probabiliter etiam a gerendo munere executoris testamentarii (8).

(1) Cap. 4, de immun. eccl. et cap. 1, et 3, eod. tit. in 6. — (2) Nunc fere ubique nulla datur clericis exemptio a tributis. Quam hec sit irrationabile, et impium demonstratur etiam ab exemplo Pharaonis regis ethnici, qui, cum opprimeret in Egypto filios Israël, parcebat tamen presbyteris, et prophetis, quibus quandoque ex publico ærario subsidia dabat. Phillips. d. l. — (3) Cap. 4, ne cleric., vel monac. etc. — (4) Cap. 2, eod. — (5) Cap. 8, eod. — (6) Pro ducatu Genuensi hæc prescripta fuerunt a Pio VII, in epistola S. Congregationis Immunitatis diei 14 junii an. 1823, ad episcopos ejusdem ducatus missa, in qua statuitur, clericum in jus vocatum, debere ab episcopo petere, et hunc concedere in scriptis licentiam emittendi coram judice laico juramentum *de veritate dicenda, tacto pectore more sacerdotali;* ita tamen ut, si de causa criminali agatur, ad pœnam irregularitatis evitandam, expressa protestatio ab eo præmittatur, se non agere ad vindictam, neque ad pœnam sanguinis ad formam capitis *Prælatis* 2, de homicidio in 6. Pro episcopis tamen ad hoc specialis requiritur sanctæ Sedis licentia. — (7) At si de tutela legitima consanguineorum usque ad quartum gradum agatur, volentes de episcopi licentia ad eam administrandam admittuntur,

quia etiam clericos decet, consanguineorum curam tenere, cum Apostolus infideli comparet eum, qui suorum, et præcipue domesticorum curam non habet. Sed sic non est, si de testamentaria, vel dativa tutela agatur: porro ad hanc administrandam clerici in sacris constituti, neque volentes, nisi de episcopi, et quod tutius est, S. Congregationis Episc. et Reg. licentia, regulariter possunt admitti. Decretoria prorsus est concilii Calcedonensis sanctio, in qua omnes clerici ab exercenda tutela, vel cura prohibentur, nisi de iis agatur clericis, *qui legibus ad minorum ætatum tutelas, sive curationes inexcusabiles attrahuntur.... Si quis vero trangressus fuerit hæc præcepta correctioni ecclesiasticæ subjaceat,* Can. 26, dist. 86, et ib. Gloss.; quod est repetitum in can. 1, c. 21, q. 3. Idcirco a S. Patribus hujus præcepti violatio adeo grave scelus fuit putata, ut S. Cyprianus vetuerit, oblationem ad altare offerri pro anima cujusdam Victoris laici, qui Presbyterum quemdam suorum filiorum tutorem suo testamento fecerat. Can. 13, dist. 88. Neque fuit unquam hujus sanctæ disciplinæ spiritus in ecclesia mutatus; nam præter unanimem omnium canonistarum sententiam plures habentur prædictæ sacræ Congregationis recentes decisiones, in quibus adducta principia confirmantur, et explicantur, ut probat Ferraris in sua Bibliotheca verb. *Clericus* art. 3, n. 83 et seqq. — (8) Ratio est, quia in bul. *Apostolicæ servitutis* Benedicti XIV, clericis præcipitur sub pœnis ab anterioribus canonibus inflictis, *ut statim dimittant quodcumque negotium ipsis spectans via hæreditaria, aut quocumque alio titulo;* quæ confirmantur in epistola Clementis XIII, incipiente: *Cum primum.* Ita sane esse res debet, quia in utroque casu eadem est ratio, eademque violatio Apostolici præcepti: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus,* II ad Timoth. c. 2.

TITULUS IX.

DE COMMUNIBUS CLERICORUM ONERIBUS.

SUMMARIUM: 75. Onera clericorum quoad mores. — 76. Quoad doctrinam. — 77. Quoad castitatem. — 78. Quoad obedientiam. — 79. Tonsura quotuplex? — 80. Habitus clericorum qualis esse debeat? — 81. Quæ vestes clericis specialiter prohibeantur? — 82. Pœnæ contra clericos non deferentes tonsuram, et habitum clericalem. — 83. Onera clericorum quoad ministerium. — 84. Clericis interdicitur cohabitatio cum mulieribus. — 85. Exercitium mercaturæ lucrativæ. — 86. Solatium vitiosum in rebus sæcnli. — 87. Delatio armorum et venatio.

75. Onera clericorum alia in faciendo, alia in omittendo consistunt. Quæ sunt in faciendo, ad mores, ad doctrinam, ad castitatem, ad obedientiam episcopo debitam,

ad tonsuram, habitumque clericalem, et ad ecclesiasticum ministerium referuntur.

Mores adeo intemerati requiruntur in clericis, ut eorum vita sit exemplum virtutis, et speculum sanctitatis: cum sint enim in sortem et hæreditatem Domini vocati, in ipso per gratiam, et sanctitatem inesse jubentur: *Separavi enim vos a cœteris, ut essetis mei,* ait Dominus (1): *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (2). Quod ad proprium eorum profectum necessarium est in bona conscientia, et ad aliorum utilitatem in fama bona, cum ut sacri canones loquuntur, nulla re magis ad pietatem, et religionem laici incitentur, vel in fraudem impietatis illiciantur, quam bonis, malisve clericorum moribus. Propterea D. Paulus Titum suum, et clericos omnes hortatur, ut in conscientia pura, ac sine crimine, nemini dent ullam offensionem, ne vituperetur ministerium eorum, de quibus scriptum est in sacro eloquio: *Vos estis Presbyteri in populo Dei, et ex verbis pendet anima illorum* (3).

(1) Levit. c. 20. — (2) Ib. XI, et epist. 1 D. Petri c. 1. — (3) Judith. c. 8. Commemoranda maxime hic sunt, quæ sancivit Tridentinum sess. 22, c. 1, de ref. ubi ita loquitur: *Nihil est, quod magis alios ad pietatem, et ad Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se ministerio divino dedicarunt.... Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem,* etc. Et ex adverso mali clerici, et præsertim pastores ruina sunt populi, ut aiebat S. Gregorius magnus, qui sic scripsit: *Malis subesse pastoribus, quid aliud est, nisi ut plebs populanda prædonibus permaneat, et inde sumat interitum, unde protectionis debuit habere subsidium? Sacerdotes enim mali causa sunt ruinæ populi.* Barbosa de off. et potest episc. p. l. gloss. 3, n. 26. Hoc autem perfectionis debitum suos habet gradus: nam ut clerici debent esse magis perfecti, quam laici; ita sacerdotes magis quam inferiores clerici, et episcopi magis quam sacerdotes. Aliter haberemus quoddam monstrum, si laicus virtutibus præcederet clerico, vel clericus sacerdotibus, vel sacerdotes episcopis. Quapropter concilium provinciale Genuense a S. Congregatione concilii die 9 octobris 1574 probatum, mandat, *ut frequentent sacerdotes omnes, quacumque sint dignitate præditi, item diaconi, et subdiaconi sanctæ Eucharistiæ sacramenti sumptionem juxta decreta S. Conc. Trid. sess. 23, c. 13 et 14. Clericos vero cæteros hortatur idem Concilium, ut semel in mense, et solemnio-*

ribus festis diebus idem sacramentum sumant, ac B. Virginis officium quotidie recitent. Clemens XI autem præscribit, ut clerici promovendi ad sacros ordines per decem dies debeant spiritualibus exercitiis vacare, quod Pontifex sub efficaci hortatione pro una saltem vice in anno ad canonicos, beneficiatos, et sacerdotes extendit, ita ut eos pro hoc tempore absolvat a residentia, et plenariæ indulgentiæ beneficio ditet, modo fiant de episcopi licentia, ne omnino chori officium deseratur, et in solemnioribus anni festivitatibus, aut Adventu, vel Quadragesima non contingat, et sic absentes omnes beneficiorum fructus, immo et distributiones quotidianas lucrantur. Epist. 1, Feb. 1710. Alii demum canones statuunt, ut clerici debeant diligentius multo, quam laici jejunium servare. Can. 6, dist. 4; benedictionem mensæ præponere, et gratiarum actionem post mensam facere. Can. 8 et 12, dist. 44; ac frequenter per sacramentalem confessionem culpas expiare, licet de lethali conscii non sint. Qua in re nos terret canon. 87, de pœnit. dist. 1, ubi per æquipollens dicitur, *clericos graviter delinquentes vix, vel numquam recte pœnitere.* Idcirco S. Joannes Chrysostomus subjungit: *Non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant.* Homil. 3, in Act. Apost.

76. Doctrina et scientia requiritur in clericis, qui si ignorent, ignorabuntur, et si sint stulti in culpa, erunt sapientes in pœna (1). Non tamen eminens scientiam in iisdem absolute requiritur, sed scientia sufficiens ad populum docendum, et ad sacramenta ministranda. Revera Innocentius III, postquam scientiam in clericis efflagitavit, proponendo Scripturarum oraculum: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi,* adiunxit, competentem scientiam esse tolerandam, modo *imperfectum scientiæ suppleat perfectio charitatis* (2). Quæ cum doctissimus Pontifex exponit, divinam revelationem collineat, in qua hæc præcipiuntur Levitis: *habeatis scientiam discernendi inter sanctum, et profanum, inter pollutum, et mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea* (3).

Quamvis hæc clericorum scientia omnia complecti debeat bona studia juxta Gregorii **IX** præceptum, in quo mandat, ut clerici *se in officiis ecclesiasticis, et in aliis bonis studiis exerceant diligenter* (4); tamen necessaria est ipsis potissimum scientia sacrarum Scripturarum, quia juxta S. Hieronymum *ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est* (5); scientia S. Theologiæ, præcipue moralis, et

scientia Juris canonici, quia *nulli sacerdotum licet canones ignorare* (6). Et in his scientiis opus est, ut multo tempore discant, quæ postmodum doceant (7), et ut opportunos habeant libros, S. Scripturam, catechismum, concilium Tridentinum, aliosque, sine quibus essent milites absque armis, aut volucres absque alis, quibus in altum ferantur.

(1) Can. 20 dist. 28. — (2) Cap. 10, de Renunc. — (3) Levit. cap. 10. — (4) Cap. 15, de vit. et honest. cler. — (5) Can. 9, dist. 38. — (6) Can. 4, eod. Circa scientiam juris canonici adnotavit Melchior Cano, eam esse necessariam theologo; alias ei nimis multa deessent ad usus theologiæ necessaria; et Pignatellus non dubitavit asserere, *indignum theologi nomine, qui jus canonicum ignoret*, tom. 1, cons. 14, n. 11. Unde Patres nuperrimi concilii Remensis in Gallia sic definierunt: *Opportunum pariter, et æque necessarium est, ut theologiæ candidati de jure canonico accuratius quam pridem edoceantur. Juris enim illius ignorantia non indecora solum perhibetur, sed clerico admodum funesta.* Quare mandarunt, ut in quolibet majori seminario jus canonicum diligenti opere edoceretur, quod nunc fieri in tota fere Gallia novimus. Conc. prov. Remen. tit. 18, de rat. stud. pag. 142. — (7) Cit. conc. Provinc. eod. l.

77. Castitas, sive continentia omnibus clericis observanda proponitur; sed iis, qui sunt in sacris constituti, sub gravissimis pœnis præcipitur, ut sancti sint anima et corpore, cum sit continentia nedum de meliori bono, ut scholæ loquuntur; sed etiam magis clericale, ac sacrum ministerium deceat (1). Et quidem merito; nam, si est gentilium effatum: *Diis omnia munda*, si lex est duodecim Tabularum Romanarum: *Divos caste adeunto*, quanta majori cordis munditia, corporisque castitate Agni Immaculati, et veri Dei ministri, ac præsertim illi, qui accipiunt angelorum panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, debebunt nitere (2)? Multa idcirco sunt clericis sedulo præcavenda, ne tantæ virtutis decus per crimen fœdetur, aut per criminis suspicionem obnubiletur, sicut infra suis locis videbimus.

(1) Dist. 28, et dist. 32, fere per tot. et cap. 13 de vit. et honest. cler. — (2) Unde S. Thomas de Villanova sapientissimus episcopus hæc ad rem satis opportune edisserit: *Quid sacerdoti decen-*

tius, quam decor, et puritas castitatis? Sit pius, sit fervidus, sit humilis, sit devotus, sit quidquid vis, si non est castus, nihil est. Lib. strom. un de S. August.

78. Obedientia episcopo a clericis debita indicatur ab Apostolo Paulo: *Obedite præpositis vestris, et subiacete eis* (1); sancitur a Clemente Papa, qui clericos episcopo inobedientes efficit infames, et extorres a regno Dei (2); et specialiter promittitur ab unoquoque sacerdote in propria ordinatione, in qua episcopus ita interrogat ordinatum: *Promittis mihi, et successoribus meis obedientiam et reverentiam?* Cui ordinatus respondet: *Promitto.* Quare clerici episcopo juste imperanti obedire omnino tenentur, sive procedat ut judex, sive communem juris formam servet, sive agat ex informata conscientia. Dicitur autem episcopus agere ex informata conscientia, cum de occulto personæ crimine conscius et certus, in casu difficilis probationis, aut non decentis manifestationis, extrajudicialiter, et sine processu, censuram suspensionis contra aliquem clericum pronunciat, vel prohibet, ne ad majores ordines ascendat. Hic procedendi modus quandoque episcopo permittitur, eoque electo, idem episcopus non cogitur, censuræ vel prohibitionis causam manifestare; neque potest censuratus, vel prohibitus formaliter appellare; sed potest querelam adversus decretum summo Pontifici proponere, ut injustitia, si quæ forte sit, reparetur. Hujusmodi facultas episcopo concessa fuit a Tridentino, quod prælatos regulares, et sæculares deputat, ut valeant interdicere promotionem ad ordines, et ab ordinibus, gradibus, et dignitatibus ecclesiasticis, immo et ab audiendis confessionibus etiam Regulares suspendere *ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter* (3). Iste crimina puniendi modus a doctoribus dicitur extraordinarius (4), et multam habet gravitatem (5).

Quocirca absque episcopi licentia clerici nequeunt deserere ecclesiæ servitium, cui fuerunt addicti (6), nequeunt discedere a diœcesi, neque ratione sanctæ peregrinationis, quod si faciant sine episcopi litteris, ad alibi celebrandum non sunt admittendi (7); et quod notabilius est, in vim prædictæ obedientiæ et subjectionis clerici debent epi-

scopos adjuvare, eorum curas lenire precibus, concordia, charitate, quibus nisi opitulentur quibuscumque possunt modis, et vitæ sors ipsis peribit, et tota in scopulos impinget sapientia, ut aiebat S. Joannes Chrysostomus (8); sed debent maxime ab eorum offensione abstinere, nam si clericus sit episcopo infestus, eumve accuset, vel insectetur, infamis fit, et a clero submotus in monasterium detrudendus est ad agendam pœnitentiam omnibus suæ vitæ diebus (9).

(1) Ad Hebr. c. 13. — (2) Can. XI, c. 11, q. 3. — (3) Trid. sess. 14, c. 1, de ref. Locutio *ex quacumque causa* intelligenda est de causa justa, et in conscientia prælati satis probata: alia *etiam ob occultum crimen* indicat crimen occultum, quod non potest probari in foro exteriori, vel probari non decet ob inevitabile scandalum: alia *quomodolibet* licentiam dat procedendi in scriptis, vel sine; cum, vel sine monitionibus: et alia *etiam extrajudicialiter* innuit non esse necessariam rei citationem, aut aliud quodcumque judiciorum attributum. Sed dubitari potest, an hic procedendi modus queat adhiberi in crimine publico? Nos putamus negative respondendum esse: 1° quia probabile non est, Tridentinos Patres voluisse auferre naturalem defensionem, et omne jus in criminalibus causis mutare, maxime cum in sessionibus posterioribus contra parochos et clericos criminosos monitiones præscribant, et sacrorum canonum observantiam. Sess. 21, c. 6 et sess. 25, c. 14, de ref. 2° quia Doctores de crimine tantum occulto loquuntur. Barbosa ad cit. cap. Ferraris verb. *Clericus* art. 8, n. 28. Giraldus ad cit. cap. Benedictus XIV, de Synod. l. 12, c. 8. Card. Soglia Inst. jur. priv. 8, 244. 3° quia per citatam concilii dispositionem ampliatum fuit caput *Ad aures,* et correctum fuit caput *Ex tenore* de temp. ordinat. in quibus tantum agitur de delictis occultis. Barbosa d. l. 4° Quia amplissima hæc potestas data prælatis in exosam degeneraret tyrannidem, maxime si in synodo, vel aliter declararent, se ea usuros. Benedictus XIV, d. l. et potius tamquam percussores, quam pastores ab inferiori clero haberentur contra monitum Tridentini in Sess. 13, c. 1 de ref.; quod caput, hortatur Giraldus, ut legant prælati, antequam hac puniendi forma utantur. Loc. cit. Auctor tamen Institutionum juris canonici editi Parisiis 1853, p. 2, l. 1, c. 3, art. 4, contrarium tenet eo quod verba *ex quacumque causa*, *etiam ob occultum crimen*, includunt crimen manifestum et occultum, quod confirmat per decisionem S. Congregationis in una *Lucionen.* 4 april. 1848. Nos reponimus vocabulum *causa* accipiendum esse convenienter juri: non enim ex qualibet causa levi hoc licebit: item reponimus, particulam *etiam* hic non videri implicativam, seu extensivam alterius majoris, sed restrictivam, quæ æquivaleat particulæ, *videlicet, scilicet,* uti aliquando interpretatur, teste Barbosa de Diction. n. 112. Aliunde hæc interpretatio videtur necessaria: nam

concilium ibi dat novam dispositionem, ut puniretur crimen occultum; ideoque recte dicit, ex quacumque causa etiam ob crimen occultum, scilicet, quamquam delictum sit occultum. Deinde in causa Lucionensi citata agebatur de inquisitione secreta, quæ publice probari non poterat ob testium recusationem publice deponendi rei crimina, et data decisio aliis præcedentibus ejusdem S. Congregationis nil novi addit, neque de crimine publico aliquid habet. Concludendum igitur in crimine publico ex regula communi non posse admitti processum ex informata conscientia. Diximus *ex regula communi;* nam si delictum publicum nulla posset ratione juridice probari, ut puta ob violentiam plebis, vel perfidiam Gubernatorum, vel potentiam rei, vel verecundiam testium, ut in dicta causa Lucionensi, aut ob scandalum probari non deceret, aut delicta occulta essent mixta publicis, prælatus posset hac forma licite uti, quia idem esse videtur, delictum esse occultum, vel probari non posse. In his casibus Ecclesia in sua morali disciplina aggressa, cum eam non valeat jure communi tutari, remedio utitur naturalis defensionis, in qua leges communes silere debent, et huic justo principio inniti etiam putamus novam citatam Tridentini dispositionem. — (4) Cum hoc medium crimina puniendi sit extraordinarium, adhiberi non debet, quando commode observari potest processus ordinarius per inquisitionem, et legitimam sententiam, sicut communiter tradunt Doctores. Suspensio ex informata conscientia inflicta potest esse temporalis ad beneplacitum illius, qui eam intulit; quo casu hujus morte cessat, quia per mortem omne cessat arbitrium et beneplacitum; et potest esse etiam indefinita, nempe, per modum censuræ, usque ad resipiscentiam; sed non potest habere vim privationis, aut depositionis a beneficio; et ideo ita suspensi beneficium numquam fit vacans, nec potest alteri conferri. Irregularitas tamen incurritur a talis suspensionis violatoribus. — (5) Consequenter episcopus caute et prudenter debet in pœnis infligendis ex informata conscientia procedere, et quidem regulariter per se, non per vicarium suum etiam Generalem, ut docet Monacellus. Ipse enim Episcopus in casu querelæ S. Sedi porrectæ debet requisitus ad summum Pontificem transmittere acta, et causam in sua epistola declarare, ob quam hanc suspensionem intulit. Si enim Episcopus hoc negotium non recte perfecerit, exponitur periculo videndi et patiendi actorum suorum revocationem. Nuper quidem S. Congregatio Concilii declaravit, quamdam suspensionem ita ab episcopo inflictam fuisse et esse invalidam, et quia sic suspensus officia sui ordinis exercuerat, ac irregularitate per novam sententiam fuerat notatus, adjunxit, nullam esse talem sententiam, et irregularitatem non fuisse contractam, quia quando suspensio nulliter lata fuit, irregularitas non contrahitur. Eadem S. Congregatio hanc resolutionem editam die 29 Februarii 1853 confirmavit die 28 maii ejusdem anni. Anal. Jur. Pont· ad annum 1854, p. 1187, ubi hæc causa per extensum refertur. — (6) Bul. *Ex quo dilectus* Benedicti XIV. — (7) Usque ab anno 320 Patres concilii Laodicensis statuerunt, clericos absque Episcopi jussione peregrinari non posse, can. 36, dist. 5 de consec. Immo ipse canon trigesimus secundus

Apostolorum hæc habet: *Nemo peregrinorum episcoporum, aut presbyterorum, aut diaconorum sine commendatitiis suscipitor litteris.* Hoc confirmatum fuit ab Innocentio III, in cap. 7, de vet., etc., ubi ita definit: *Juxta canonica instituta clericus absque sui episcopi licentia peregrinari non debet.* Vocabulum autem peregrinari in concilio Cabilonensi accipitur pro commoratione, aut transitu extra diœcesim. Gonzalez ad cit. cap. 7. Pœna vero clericorum absque dictis litteris peregrinantium notatur in generali concilio Calcedonensi, quod in can. 13, statuit, *peregrinos clericos et lectores in alia civitate præter commendatitias litteras sui episcopi nusquam penitus ministrare debere:* consequenter clerici peregrinantes extra propriam diœcesim absque suorum Episcoporum commendatitiis poterant tantum recipere communionem passivam ad instar laicorum, quæ appellata fuit *communio peregrina.* Synod. Agathen. can. 7. Horum canonum spiritus in Ecclesia semper viget: revera S. Congregatio interrogata anno 1581: *An dignitates, canonici, etc., possint abesse a servitio ecclesiæ sine licentia episcopi?* Respondit: *Non requiri licentiam Episcopi.* Sed postea an. 1626, 9 maii declaravit, hoc *non vindicare sibi locum, quoties canonici abesse volunt extra diœcesim; ac proinde hoc casu licentiam esse obtinendam. Cæterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa negare.* Sic pluries declaravit S. Congregatio, ut videre est penes Benedictum XIV, in inst. 107, § 6, n. 36, et penes Ricther ad Trid. sess. 24, c. 12, de ref. n. 62. Ex his declarationibus illud etiam eruitur, quod Episcopus potest statuere, ne canonici a diœcesi discendant, nisi facultate in scriptis ab ipso habita etiam sub pœna pecuniaria, aut suspensionis. — (8) De S. Philog. — (9) Bul. *Clerum vestræ* Gregorii VII.

79. Tonsura et habitus proprius clericis præscribitur. Tonsura triplex in ecclesiasticis monumentis occurrit, nempe tonsura pœnitentium, monachorum, et clericorum sæcularium. Publice pœnitentibus, in signum humilitatis, et luctus, totum ad cutem tondebatur caput. Inde monachi, ad mundi contemptum ac paupertatem significandam, pœnitentium morem susceperunt. Clerici vero sæculares ab antiquissimis temporibus, licet quidam velint contradicere, comæ ornamentum deponere inceperunt, et coronam in capite gerere ad spineam coronam Salvatoris nostri præcipue significandam, in cujus sortem, et hæreditatem sunt vocati (1).

(1) Hujus rei testimonium habemus in Cathechismo Conc. Trid. de ord. sac. n. 14, in quo dicitur S. Petrum Apostolorum principem tonsuram instituisse, cujus S. Anicetus meminit in can. 21, dist. 23, et S. Hieronymus in can. 7, c. 12, q. 1 et concilium Lateranense

in cap. 15 de vit. et honest. cler. ubi statuit, ut clerici *coronam, et tonsuram habeant congruentem.* Ex his concilii Lateranensis verbis apparet, coronam et tonsuram esse duo diversa, ut a Doctoribus traditur. Corona quidem circulum indicat in vertice capitis, in quo crines ad cutem abraduntur: tonsura vero significat reliquum capitis, in quo ita crines denudati, aut attonsi geruntur, ut nullam habeant culturam, auresque pateant. Can. 32, dist. 23, et bull. *In Apostolicæ* Eugenii IV.

80. Sub habitus clericalis nomine duo compræhenduntur: nempe vestitus qualitas, et externa agendi ratio. De utroque concilii Tridentini dispositione habemus: de prima ita statuit: *Etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant* (1). De secunda vero ita disponit: *Sic decet clericos... vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant* (2). Hæc profecto externa omnia, si inconcinniter, si nimis artificiose, si vitiose a clericis fiant, malam ingerunt in populo de eorum interna probitate conjecturam, cum dicat Scriptura: *Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo* (3).

Vestes clericorum a vestibus communibus laicorum per plura Ecclesiæ sæcula non differebant forma, licet differrent simplicitate et modestia. Sed cum laici vestes oblongas abjicere, quas induere solebant, et brevioribus cœpissent delectari, Ecclesia clericis prohibuit, ne neotericas hasce barbarorum vestes imitarentur; et ex eo tempore statuta fuit vestis clericorum propria: *juxta Episcopi ordinationem et mandatum,* ut loquuntur Patres concilii Tridentini (4). Communes autem Synodorum tam provincialium, quam diœcesanarum ordinationes illud mandant, ut clericorum vestes sint simplices, et modestæ, non discissæ, non fœdæ, ita ut si tantillus esse debeat defectus, sit magis in neglectu, quam in nitore; quia magis nocet vanitas ex nimio nitore producta, quam contemptus ex nimio neglectu excitatus. Quoad eorum formam vero eædem ordinationes præscribunt, ut clerici ve-

stem induant talarem nigri coloris cum collari tæniola subalbida circumducto, pileoque triangulari.

(1) Sess. 24 c. 16, de ref. — (2) Sess. 22, c. 1, de ref. — (3) Eccles. c. 19. — (4) Sess. 14, c. 6.

81. Non est idcirco clericis licitum: 1° induere publice aliquas vestes rubri, aut viridis coloris (1), aut vestes virgatas, vel partitas (2), aut alias vestes sæculares (3); 2° deferre interulas, sive subuculas ad collum et ad manus apparentes corrugatas, acuve pictas, aut sudariola odoribus delibuta (4); 3° gestare fibulas, vel corrigias, vel alia ornamenta, et specialiter annulos (5); 4° nutrire comam, aut barbam, eamque ad sæcularium formam componere: nam male cohærent in eodem capite corona doloris Christi cum corona vanitatis mundi (6). Quod si clerici contra fas audeant comam nutrire mandantur per Archidiaconos, et superiores tonderi (7); et quidem merito; nam si juxta Apostolum Paulum, *vir si comam nutriat, ignominia est ei* (8), quanto ignominiosius erit clerico nutrire, vel curare comam? Hac de causa potest Episcopus prohibere, ne clerici comam fictitiam, sive fictum capillitium, vulgo *Parrucca*, assumant; et sacerdotes nequeunt hoc capillitio tecti sacrum facere absque licentia a S. Sede obtenta (9). Dantur tamen aliquæ causæ, ob quas vel in toto, vel in parte ab habitu et tonsura deferenda clericus potest excusari. Hujus modi autem justa causa foret, magna difficultas, infirmitas, longum iter, et damni, vel mortis periculum (10).

(1) Cap. 15, de vit. et honest. cler. — (2) Clem. 2 eod. — (3) Can. 3. c. 21 q. 3. — (4) Conc. prov. Genuen. sub. rub. de vit. et honest. cler. — (5) Sed quoad fibulas in calceamentis putamus servari in nostris regionibus posse consuetudinem in contrarium introductam, cum habitus clericalis a consuetudine per episcopos probata ex Doctorum sententia queat moderari. Quoad annulos vero exceptio fieri debet in clericis, qui dignitate ecclesiastica, aut doctoratus honore sunt decorati, qui annulos licite gerunt, excepto tempore celebrationis missæ, in qua a sacerdote celebrante annulus est deponendus, eo quod annulus hac occasione jurisdictionem indicat, quam simplices sacerdotes non habent, dict. cap. 15 de vit. et honest. cler. et Benedictus XIV. Inst. 34, n. 15. Juvabit hic forte illud comme-

morare commune effatum, quod sic se habet: *Clericus annulatus, aut episcopus, aut fatuus.* Gloss. in cap. 6, de privil. in 6. — (6) Clericis pariter indecorum arbitramur sinere se in telis pingi, aut per novam artem Photographicam delineari, quia id ad minimum manifestam vanitatem demonstrat. — (7) Cap. 5 et 7 de vit. et honest. cler. — (8) I ad Corinth. c. 11. — (9) Ita mandavit Innocentius XII, die 20 novemb. 1692. — (10) Propterea cum quidam clericus peregrinus, qui Romam advenerat, a Papa reprehenderetur, quod comam relaxaverat, ita respondit: *Tutius ut peterem laici sub imagine Romam, fas fuit, ut sinerem luxuriare comam.* Gloss. ad cap. 4, de vit. et honest. cler.

82. Jus sacrum gravibus pœnis clericos tonsuram, habitumque proprium non deferentes compescit. Enimvero præter peccati reatum, aliasque pœnas, hæ sunt in jure scriptæ: Si clerici in sacris constituti, vel etiam in minoribus, cum beneficium habent, tonsuram habitumque ad notabile tempus dimiserint, *per suspensionem ab ordinibus, ac officio et beneficio, ac fructibus, redditibus, et proventibus ipsorum beneficiorum; nec non, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum hujusmodi coerceri possunt, et debent* (1). Immo his officiis et beneficiis ipso facto privantur, ita tamen ut, ex communi Doctorum opinione adhuc sit opus judicis sententia privationis declaratoria (2). Si vero clerici tonsuram habitumque non deferentes sint in minoribus tantum constituti, nullumque possideant beneficium, fori privilegium amittunt (3), nisi dimissio sit ad breve tempus facta (4); et si sit ad notabile tempus producta certum est, clericos amissum fori privilegium recuperare, si tonsuram habitumque dimissum absque dolo et fraude reassumant (5).

(1) Trid. sess. 14, c. 6 de ref. — (2) Bul. *Cum sacrosanctum* Sixti V, cujus rigor non est ubique receptus; immo aliquantulum moderatus in alia ejus bulla incipiente, *Pastoralis.* Reiffenstuel de vit. et honest. cler. n. 64 et seqq. — (3) Trid. sess. 23, c. 6, de ref. — (4) Ex decisione citata a Fagnano cap. *signis* de for. comp. — (5) Benedictus XIV, de synod. l. 7, c. 67, § 1 et 2.

83. Ecclesiasticum denique ministerium a clericis adimplendum nedum debet consistere in contemplatione et oratione pro se, proque populo (1); sed et in aliis plu-

ribus divinis officiis. Hinc clerici in minoribus tantum officiis constituti, nullumque habentes beneficium, pro ministerii sui ratione tenentur Ecclesiæ deservire, cui fuerunt ab Episcopo adscripti, in eaque doctrinam christianam docere, ita ut dici possit, eos in via esse ad majores ordines suscipiendos (2), aliter si Ecclesiæ non desserviant a fori privilegio cadunt (3). Clerici vero sacris ordinibus aucti juxta Christi Domini exemplum tenentur omnia facere, et docere, quæ ad animæ salutem, æternamque felicitatem sunt ab Ecclesia præscripta, de quibus infra in propriis locis agitur.

(1) Can. 7, c. 2, q. 1. — (2) Bul. *Ex debito* S. Pii V. — (3) Trid. sess. 23, c. 6, de ref.

84. His breviter prælibatis de clericorum oneribus, quæ in faciendo consistunt, possunt facile a sensu contrario ea cognosci, quæ consistunt in omittendo: præceptum enim unius est prohibitio alterius contrarii. Præcipuas nihilominus notabimus actiones clericis interdictas, a quibus debent diligenter se abstinere.

Nequeunt clerici maxime in sacris constituti cum fæminis in eadem domo habitare (1). Unde S. Augustinus neque sororem domi suæ manere permisit dicens, *quæ cum sorore mea sunt, meæ sorores non sunt* (2). Hæc conclusio ita extenditur, ut non liceat clericis fæminas alibi degentes frequentare, aut soli cum iisdem versari (3), aut cum iisdem conventicula, confabulationes, vel suspectas conversationes habere (4), aut easdem frequenter in proprias recipere domos, cum scripserit D. Hieronymus ad Nepotianum: *Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant* (5), aut easdem etiam urbanitatis specie, vel in via, vel in rheda comitari, nisi id casu, vel necessitate contingat, cum notum sit effatum: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum* (6), aut demum easdem in litteris, aut scientia, aut arte instituere (7).

At hæc conclusio limitatur in fæminis, quæ in secundo consanguinitatis gradu, vel in primo affinitatis eisdem clericis sunt conjunctæ, et in fæminis, quæ pro domestica re gerenda sunt necessariæ, modo tum illæ, tum istæ ita

bonis præditæ sint moribus, ut nulla habeatur mali suspicio (8). Si autem etiam in his aliqua subesset suspicio, aut earum, vel clericorum ratione, Episcopus neque sanguini neque ætati posset parcere, sed deberet eas omnino expellere, ut fuit pluries a S. Congregatione decisum (9).

Clerici detinentes domi, vel extra mulieres suspectas, aut cum iisdem malam conversationem habentes, si a superioribus moniti non se abstinuerint, pro prima vice tertia parte fructuum beneficiorum suorum, et si adhuc pertinaces fuerint, post secundam monitionem omnibus suorum beneficiorum fructibus privantur, qui Episcopi arbitrio aut Ecclesiæ, aut alteri pio loco sunt applicandi. Demum si in scelere persistant ipsis beneficiis privantur et quatenus non resipiscant a fidelium communione expelluntur (10).

(1) Can. 23, dist. 81 et tot. titul. de cohab. cler. et mul. — (2) Can 25, ead. dist. — (3) Can. 20 et 26 eod. — (4) Can. 24 eod. — (5) Can. 17, dist. 32. -- (6) Cap. 4, de reg. jur. — (7) Synod. prov. Genuen. de vit. et honest. cler. et ulti. synod. diœc. E.mi Tadini eod. — (8) Can. 27 dist. 81 et cap. 9, de cohab. cler. et mul. — (9) Verum in fæminis extraneis, ut tradunt Doctores, aliqua semper subesse solet mali suspicio, ubi saltem quadraginta annorum ætatem non attingant. — (10) Trid. sess. 25, c. 14 de ref. quod explicatur a Reiffenstuel in tit. de cohab. cler. et mul. n. 52 et seqq.

85. Nequeunt clerici mercaturam lucrativam exercere, qua res emuntur, et in eadem natura, vel parum immutatæ lucri causa venduntur, quia talis negotiatio avaritiam fovet, et a divinis curandis avertit (1); quam propterea, si libere, nulla necessitate cogente, exerceant, præter peccati reatum, in quem incurrunt, possunt a divinis suspendi, et a fori privilegio cadunt, si tertio per Episcopum moniti illicitum negotium non dimittant (2). Sed non est clericis prohibita negotiatio œconomica, qua propriorum prædiorum fructus venduntur, resque emuntur ad proprios usus necessariæ; neque est prohibitum aliquod artificiolum, quo clericus ad exemplum D. Pauli suis manibus laborando, victum sibi comparat (3).

Cæterum supradicta prohibitio viget jure novissimo, e-

tiamsi agatur de mercatura suscepta, vel suscipienda ex motivo necessitatis, vel charitatis; forte ad suam, suorumve inopiam sublevandam; aut de clericis, qui ad mercatoris hæreditatem vocantur: nam his in casibus adhuc prohibentur tum per se, tum per alium mercaturam suscipere, et jubentur jam susceptam quam citissime absolvere, vel ad eam pro tempore gerendam licentiam in Italia a S. Congregatione Concilii, et extra Italiam a propriis Ordinariis impetrare (4).

Iisdem de causis, quibus mercatura interdicitur, prohibentur quoque clericis tabernas, vel cauponas tenere, easque ingredi, nisi itineris, aut alterius justæ causæ ratione (5), lanionem agere (6), usuras exigere (7), alienas possessiones lucri habendi causa conducere (8), ministri vel famuli laicorum fieri, et maxime fæminis ancillari (9), chirurgiam, vel medicinam exercere (10), nisi a S. Congregatione facultatem obtinuerint, quæ concedi non solet, nisi sub clausula, *gratis, et amore Dei exerceatur*, et etiam in publicis scholis, vel universitatibus medicinæ et legibus civilibus studere, ne occasione talium scientiarum spirituales viri mundanis rursus negotiis involvantur (11).

(1) Can. 2, 9 et 10, dist. 88, et cap. 6, ne cler. vel. mon. etc. (2) Cap. 16, de vit. et honest. cler. — (3) Can. 3, et 4 dist. 91. — (4) Bul. *Apostolicæ servitutis* Bened. XIV et bul. *Cum primum* Clementis XIII. — (5) Can. 3 dist. 44. — (6) Clem. I. de vit. et honest. cler. — (7) Can. 2, dist. 44, et cap. 2, de vit. et honest. cler. — (8) Can. 1, c. 21, q. 3. — (9) Cap. 2, ne cler. vel mon. etc.; et epist. encycl. S. Cong. 16 mart. 1697. — (10) Cap. 9, ne cler. vel mon. etc. — (11) Cap. 3 et 10, ne cler. vel mon. etc. At quoad leges civiles nonnulli affirmant, prohibitionem in clericis sæcularibus per contrariam consuetudinem cessasse. Hæc quidem prius monachis facta fuit, ne hac occasione extra monasterium vagarentur, d. cap. 3; et deinde ad alios clericos in sacris constitutos extensa cap. 10, ne theologiam, et proprias negligerent functiones. Quare elapsis annis hoc studium clericis permissum videbatur post cursum theologiæ, et propriis officiis adimpletis, maxime cum Universitates habebant privilegium expressum, vel tacitum docendi a S. Sede concessum. Hoc sane studium erat ad sacrorum canonum intelligentiam necessarium, et juris laurea in clericis ad beneficia requisita non poterat aliter obtineri, quam in utroque jure. Tunc principum sæcularium universitates erant mixtæ, scilicet a civili, et ec-

clesiastica potestate tum in origine, tum in exercitio pendebant; nunc penitus sunt sæcularizatæ, excepta Romana. Et revera ante hæc tempora in hac Genuensi Universitate aderat archicancellarius archiepiscopus, et doctoris gradus conferebatur a facultatis Præside in vim privilegii eidem a Sixto V concessi, cujus specialem in doctore creando mentionem faciebat. Hæc Universitatum mutatio illud efficit, ne gradus licentiæ, aut laureæ in iisdem obtentus ad beneficia ecclesiastica assequenda prodesse valeat, sicut non prodest idem gradus in universitatibus hæreticorum, aut Protestantium acquisitus, quia talis concessio gradus ab Ecclesia non approbatur. Propterea nec ludimagistri, sive institutores scholarum licet a communitatibus laicorum electi, et ab iisdem salario dotati, independentes ab Ordinariis esse possunt, qui et prohibere scholæ exercitium, et præcipere, ut doctrinam christianam doceant sic electis, et salario donatis valent. S. Cong. in una *Faventina* 4 decemb. 1734. Richer ad sess. 5, c. 1, de ref n. 30 et seq.

86. Nequeunt clerici mundi vitiis et solatiis indulgere, quibus a divinis abstrahuntur officiis, affectibusque sensim glutinantur humanis. Idcirco interdicuntur a crapula, et ebrietate (1), a luxu tum in famulatu, tum in mensa, tum in suppellectili (2), a sæcularium conviviis præsertim nuptialibus (3), a ludis alearum et taxillorum (4), a ludis theatralibus et comœdiis (5), a choreis, saltationibus et spectaculis (6), a larvis præferendis præcipue tempore bacchanalium (7), et etiam a legendis comœdiis (8). Quoniam vero circa choreas, comædias, aliaque spectacula nimis laxa irrepserat in quorumdam auctorum scriptis doctrina, eam merito corripuit Benedictus XIV (9), et vere *qui voluerit jocari cum diabulo, non poterit gaudere cum Christo.*

(1) Cap. 14 de vit. et honest. cler. — (2) Can. 7, dist. 41. — (3) Cap. 19, dist. 34. — (4) Cap. 15, de vit. et honest. cler. — (5) Cap. 4, eod. — (6) Can. 37, dist. 5, de consecrat. — (7) Can. 25, dist. 5, eod. — (8) Can. 2, dist. 37, qui sic se habet: *Sacerdotes Dei, omissis evangeliis et prophetis, videmus comœdias legere, Virgilium tenere, amatoria buccolicorum versuum verba canere, et id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis.* — (9) De Synod. l. 11, c. 10, n. 11.

87. Nequeunt demum arma deferre, et venationi incumbere, quia arma instrumenta feritatis sunt, et nimium aliena a lenitate Christi (1). Propterea S. Ambrosius

aiebat: *Dolor, fletus, orationes, lacrymæ fuerunt mihi arma: talia enim munimenta sunt sacerdotis. Servum Christi non custodia corporalis, sed Domini providentia sepire consuevit* (2). Item nequeunt venationi incumbere, quia venatio est belli simulacrum, mentisque continuam evagationem affert (3). At vero juxta Doctores duplex est venatio, alia *clamorosa*, alia *quieta*. Clamorosa est, quæ fit magno apparatu, armorum, et canum strepitu ad apros, cervos, majoresque feras capiendas; quieta vero, quæ fit solis laqueis, retibus, aut etiam armis sine strepitu ad capiendos lepores, vulpes, aliasque minores feras. Hinc Doctores in studia scinduntur contraria: alii censent, solam clamorosam venationem esse clericis prohibitam, alii utramque interdictam volunt (4).

Hæc omnia a clericis facienda, vel omittenda respiciunt maxime clericos in sacris constitutos, et sacerdotes, qui, si canonum decretis non obtemperent, gravibus subjiciuntur pœnis, ut in citatis aliisque legibus continetur. Sed pœna exitiosior est damnum Ecclesiæ; nam, ut ait S. Bernardus: *Si vita clericorum despicitur, restat, ut eorum prædicatio contemnatur.*

(1) Can. 2 et 6, c. 23, q. 8, cap. 2, de vit. etc. — (2) Can. 3, c. 23, q. 8. — (3) Can. 11, dist. 86, et tot. tit. de cler. venat. Unde S. Hieronymus aiebat: *Penitus non invenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem, piscatores invenimus sanctos.* — (4) In hanc posteriorem sententiam inclinat Benedictus XIV, de Synod. l. 11, c. 10, n. 6, et seqq., qui licet dicat primam esse magis communem, magisque receptam; hanc tamen certe magis juri conformem declarat. Et quidem jure meritoque: nam sacri canones venationem interdicentes nullam faciunt distinctionem inter clamorosam et quietam venationem; immo prohibent venationem canibus, avibusque venatoriis, quas neque licet clericis ad venandum retinere. Cap. 1, et 2, de cleric. venat.; prohibent aucupium, quod sine armis fit rete aut visco, et ita dicitur aucupium quasi *avicupium*. Conc. Later. IV, et Trid. sess. 24, c. 12, de ref. prohibent deferre arma, ita ut neque Episcopus queat pro sola voluptaria venatione in hoc dispensare, ut dicunt decisum a S. Congregatione Immunitatis; et S. Concilii Congregatio sæpius declaravit, teste eodem Benedicto XIV, d. l. clericum effectum fuisse irregularem, qui, cum vacaret venationi non clamorosæ, hominem fortuito interfecerat, quod utique argumentum est, Congregationem existimasse, omnem venationem non clamorosam esse clericis prohibitam: nam certum in jure est, ex homicidio casuali non oriri irregularitatem, si homicida operam det rei licitæ, ut infra videbimus.

TITULUS X.

DE PROMOTIONE AD CLERICATUM ET ORDINES.

SUMMARIUM: 88. Quid sit promotio, et quis habeat promovendi potestatem? — 89. Quis sit episcopus proprius? — 90. Quando alterius episcopi testimoniales requirantur? — 91. Episcopus ordinationem alteri episcopo potest committere, non vero infra annum vicarius capitularis, nisi arctatis. — 92. Pœna ordinantis non subditum. — 93 Quotuplex sit scrutinium in ordinatione faciendum? — 94. Quotuplex sit titulus ordinationis, et qualis esse debeat? — 95. Pœna scienter ordinantis, et ordinati absque titulo. 96. Quo loco, et tempore ordinatio sit facienda? — 97. Interstitia ordinum servanda quæ sint.

88. Promotio est actus ecclesiastici superioris, quo christianus in clerum cooptatur, vel clericus ad majorem evehitur gradum. Hic actus, ut legitimus sit, in promovente *potestatem*, in promotione *formam*, et in promovendo *capacitatem* requirit.

Promovendi potestatem jure ordinario habet episcopus (1), quam tamen non universaliter, sed tantum erga suos subditos potest exercere, sive de ordinibus agatur, sive etiam de prima tonsura (2). Subditus autem episcopi ad hunc effectum ex quadruplici ratione quis esse potest, videlicet: ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficii, et ratione triennalis familiaritatis cum eodem episcopo (3). Hinc sequitur ab horum quolibet, sive ab episcopo originis, sive ab episcopo domicilii, vel beneficii, vel triennalis familiaritatis promotionem recte fieri. Sed si unus horum tonsuræ, ordinumve initium fecerit, clericus sic initiatus, licet ad diversos ex dictis causis queat episcopos pertinere, non potest amplius variare, inconsulto priore episcopo, qui initiavit, quem in suum et proprium episcopum ordinatione sibi elegit (4).

(1) Trid. sess. 23, c. 7. Cardinales tamen in Ecclesiis suorum titulorum, et abbates solemniter benedicti suis subditis, illi sæcularibus, et isti regularibus, primam tonsuram, et minores ordines possunt conferre. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 43. Propterea jure extraordinario ad primam tonsuram minoresque ordines conferendos

etiam simplices sacerdotes a summo Pontifice delegantur. — (2) Cap. 2 et 4, de temp. ord. in 6. — (3) Cap. 3, eod., et Trid. sess. 23, c. 9, de ref — (4) Can. 3, dist. 72.

89. Ratione originis proprius episcopus est ille, in cujus diœcesi promovendus natus est, si ibi parentes ejus domicilium habuerint; sin vero alibi domicilium habuerint, et promovendus in aliqua diœcesi ex accidenti natus sit, ut occasione itineris, officii, legationis, mercaturæ, alteriusve permanentiæ parentum, tunc non diœcesis hujus fortuitæ nativitatis, sed diœcesis patris attenditur, nisi pater inde in diœcesi fortuitæ nativitatis tamdiu permanserit, ut ibi verum domicilium contraxerit, quo casu non pristina origo patris, sed domicilium per patrem legitime acquisitum spectatur (1). Sed si promovendus sit illegitimus, cum quo ex justa causa dispensative proceditur, non patris, sed matris ratio habetur (2); et idcirco ab episcopo originis, vel domicilii matris datur ordinatio (3).

Ratione domicilii proprius episcopus est ille, in cujus diœcesi promovendus, etsi alibi natus, ita stabiliter suum constituit domicilium, ut vel per decennium saltem in ea habitaverit, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in eam transtulerit, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commoratus fuerit, seseque habere animum ibi perpetuo manendi jurejurando affirmaverit (4). Ex quo deducitur, solum quasi-domicilium non sufficere ad licite obtinendam ab aliquo episcopo promotionem, sive ordinationem.

Ratione beneficii proprius episcopus est ille, in cujus diæcesi promovendus legitime obtinuit, et pacifice possidet beneficium ecclesiasticum, quod, detractis oneribus, ad congruam clerici sustentationem sufficit (5).

Ratione demum triennalis familiaritatis proprius episcopus est ille, qui promovendum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuit, ac suis sumptibus aluit. Hunc quidem potest episcopus promovere, sive ordinare, quamquam suus subditus non sit, neque ratione originis, neque ratione domicilii; opus tamen est, ut, facta ordinatione, statim, vel saltem intra mensem ab eadem computandum, promoto, vel or-

dinato etiam in tonsura, minoribusque ordinibus, ecclesiasticum beneficium conferat ad ordinati sustentationem sufficiens (6). At hoc privilegium ad episcopos titulares non extenditur, qui præterquam quod in populum jurisdictione carent, beneficium non habent inde ordinato, ut præscribitur, conferendum (7).

(1) Bull. *Speculatores domus* Innocentii XII. — (2) L. 19, ff. de stat. hom. — (3) S. Congregatio Concilii 16 Februarii 1704, ad hanc rem interrogata, quid tenendum si filius sit illegitimus, vel expositus, vel infidelis baptizatus, respondit: si primum, attenditur origo matris; si secundum, locus, in quo fuit expositus; si tertium, locus, in quo baptismum suscepit. Hinc neophyti, sive recenter baptizati, qui a gentilibus, vel judæis convertuntur ad fidem, cives fiunt illius urbis, in qua baptismum susceperunt, et ab episcopo diœcesano ordinantur. Bul. *Cupientes Judæos* Pauli III. — (4) Dic. bul. Innocentii XII. — (5) Ibid. — (6) Bul. ead. et Trid. Sess. 14, c. 9, de ref. — (7) Id. Trid. Sess. 14, c. 2, de ref.

90. Verum cum promovendus aliqua ex dictis causis ad quempiam episcopum pertinens in alterius diœcesi natus est, inque ea ad talem mansit ætatem, ut potuerit impedimentum canonicum contrahere, vel in alterius diœcesi domicilium habuit, litteræ testimoniales (1) ordinarii originis, aut domicilii requiruntur, ut de natalibus constet, de moribus, et de cæteris in promovendo ex juris dispositione necessariis (2); sed et utriusque ordinarii tum originis, tum domicilii videntur requirendæ prædictæ litteræ, si promovendus alibi ortum, alibi domicilium habuerit, et promotio vel ratione beneficii, vel ratione triennalis familiaritatis fiat (3).

(1) Testimoniales litteræ illæ dicuntur, quæ proprii Ordinarii testimonio firmantur, quibus ordinandi probitas et mores declarantur. Trid. Sess. 23, c. 8 de ref. — (2) Bul. ead. — (3) Episcopus diœcesanus est etiam proprius Episcopus quoad Regulares, qui habent conventum in sua diœcesi. Quare ex declaratione Benedicti XIV, illi Regulares peccant, qui sub diversis prætextibus ad extraneum episcopum migrant, ut ab eo ordinationem recipiant. Si tamen Episcopus diœcesanus proximo legitimo tempore ordinationes non sit habiturus, vel absit, superior regularis potest subditis suis litteras dimissorias dare, ut ordinationem recipiant ab alio Episcopo. Sed simul cum litteris debet transmittere attestationem Vicarii Generalis, vel Cancellarii Episcopi, qua declaretur, ordinationem pro eo tempore in diœcesi non haberi. Bul. *Impositi nobis* Benedicti XIV.

91. Quoties itaque casus sit, quo vel Episcopus ordinationem tenere non valeat, aut quempiam expediat ab extraneo Episcopo ordinari, proprii Episcopi licentia omnino requiritur, quam concedere solet per Litteras, quas Dimissorias appellant (1). Cum vero sedes episcopalis vacat, nequit vicarius capitularis dimissorias concedere, nisi post annum a morte Episcopi, aut etiam infra annum, si agatur de arctatis ratione beneficii (2); at Vicarius Capitularis potest litteras testimoniales de ætate, et moribus clericis concedere etiam intra primum annum, quia his litteris non confertur extraneo Episcopo clerici diœcesani ordinandi potestas, sed illi tantum clericus ipse commendatur, et ideo appellantur etiam Litteræ commendatitiæ.

(1) Dimissoriæ litteræ illæ dicuntur quibus ab Ordinario cuicumque episcopo catholico communionem S. Sedis Apostolicæ habenti delegatur potestas ordinandi subditum. Hæ litteræ continent etiam testimoniales de qualitatibus et dotibus ad ordines recipiendos necessariis, quarum formulas exibet Barbosa in suo Formulario episcopali. — (2) Arctati autem dicuntur, qui beneficium ecclesiasticum obtinuerunt sine ordine necessario, quem debent infra annum a die suscepti beneficii obtinere; ut si clericus non sacerdos parochus factus sit, debet infra annum sacerdotium obtinere, aliter a parochiali beneficio cadit. Trid. Sess. 7, c. 10, de ref.

92. Potestas itaque ordinaria Episcopis concessa promovendi ad clericatum et ad ordines restringitur ad proprios subditos, et si præsumant alienos subditos promovere, a s. canonibus gravi plectuntur pœna: nam Episcopus, qui alienum subditum sine dimissoriis sui Ordinarii scienter, seu affectata ignorantia, vel alio quæsito colore ordinat, remanet per annum a collatione ordinum ipso jure suspensus; et insimul suspensus manet ipse ordinatus ab ordinis recepti exercitio, donec a proprio Episcopo absolvatur, et ordinis recepti exercitium obtineat (1).

(1) Trid. Sess. 23, c. 8, de ref. Si quis recurrat ad S. Congregationem, ut a sua diœcesi excardinationem obtineat ad effectum ordines recipiendi ab alio Episcopo, non facile talem licentiam habet, quæ ubi concedatur ad primam diœcesim regressum ordinarie non

permittitur, nisi Episcopi diœcesani consensus accedat. S. Congregatio Conc. 17 jul. 1848 relat. ab. auct. corresp. de Rom. pag. 3, an. 1848. Si vero quis post ordinationem receptam ab alieno Episcopo, ordinem exerceat, fit irregularis et non potest ab irregularitate absolvi nisi a S. Sede, quæ in hoc rigorem adhibet, ut constat ex pluribus S. Congregationis decisionibus citatis ab auctore Analect. Jur. Pontif. ad an. 1857, pag. 313. — Prædictæ suspensiones confirmantur a Pio IX in sua bulla *Apostolicæ Sedis:* prima enim his verbis confirmatur et augetur: *Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub pretextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.* Secunda simpliciter confirmatur, quia Pontifex in citata bulla omnes suspensiones a Tridentino latas in suo robore servat.

93. Promovendi forma vel ritus, tria comprehendit, nempe scrutinium, titulum, et modum ordinationis. Scrutinium ordinationi præmittendum est triplex. Primum fit coram parocho, vel alio ab episcopo deputato ad formam præscripta a Tridentino (1), quo bonum testimonium parochi, et magistri expenditur, si de minoribus ordinibus agatur; si vero de majoribus, publicatio nominis, et desiderii promovendi in Ecclesia facienda præponitur; ita ut per ipsum parochum de ipsius promovendi natalibus, ætate, moribus, et vita testimoniales litteræ conficiantur. Secundum fit coram Episcopo et viris peritis, sive examinatoribus, in quo disquiritur de promovendi genere, patria, ætate, qualitate, doctrina, et moribus; et si idoneus reperiatur, ad ordinem consequendum admittitur. Tertium demum fit in ipso ordinationis actu, in quo Archidiaconus ab Episcopo interrogatur, an sciat, ordinandum in subdiaconum, diaconum vel presbyterum tali ordine esse dignum; cui idem archidiaconus respondet: *Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor, ipsum dignum esse ad hujus onus officii.* Hæc testificatio potest per Archidiaconum fieri, modo de indignitate ipsi non constet (1).

(1) Trid. Sess. 23, c. 5, de ref. — (2) Cap. 1, de Scrut. in ord. fac.

94. Titulus ordinationis, vel sustentationis, ut alii dicunt, est cautio vitæ gerendæ fundata in beneficio, vel

in bonis patrimonialibus, vel in communione regulari (1). Necesse est enim, ut clericus in sacris constitutus, qui se totum divinis officiis dicat, habeat bona temporalia pro victu, vestitu, et habitatione necessaria, quorum securitatem per ipsum titulum consequitur. Quare titulus est triplex, alius nempe est titulus *beneficii*, si a beneficio ecclesiastico; alius titulus *patrimonii*, si ex bonis patrimonialibus; et alius est titulus *paupertatis*, si ab aliqua approbata religione, votorum solemnium, in qua professus est clericus, suæ sustentationis cautionem habeat (2).

Ordinatio ad titulum beneficii prima et antiquior est, quæ Ecclesiæ menti magis respondet. At beneficium debet esse ad clerici sustentationem secundum personæ statum sufficiens, pacifice ab ordinando possessum, et perpetuum; ita ut nequeat resignari, nisi de Episcopi licentia, facta hujus tituli mentione, et alterius subrogatione (3). Idcirco cappellania amovibilis non est titulus sufficiens, nisi patronus obliget suam fidem nunquam repellendi promotum, vel non repellendi, donec aliunde ab alio beneficio, vel patrimonio sit sufficienter provisus. Hac tamen in re expediret ad majorem cautelam licentiam S. Congregationis expetere (4). Beneficium vero, quod habet tantum distributiones quotidianas videtur sufficiens; modo distributiones sint certæ, et excedant taxam ad patrimonium ecclesiasticum formandum constitutam (5).

Ordinatio ad titulum patrimonii a Patribus concilii Tridentini permittitur, si episcopus judicet, aliquem clericum pro ecclesiæ suæ necessitate, aut commoditate esse assumendum (6). Quantitas patrimonii non est in jure determinata, quia refertur ad diversos locorum status, in quibus victus, et vestitus pluris, vel minoris est (7). Reditus annuus ad patrimonium ecclesiasticum constituendum requiritur, qui constitui solet super immobilibus liberis, et quotannis frugiferis, super pensione et censu perpetuo ad formam Constitutionis S. Pii V, et super obligatione quacumque ab hypotheca in bonis firmata; non vero super industria clerici, non super lucro eventuali, et personali, neque in bonis mobilibus, aut se moventibus, neque in bonis patris ita ut fratrum legitima læ-

datur, neque demum in promissione sustentationis, quam titulum mensæ appellant (8).

Bona in patrimonio comprehensa nec vendi a clerico, nec permutari possunt, nisi de episcopi licentia, et facta beneficii, vel aliorum bonorum subrogatione; item nec in emphyteusim concedi, reservato canone fructibus respondente, nec cedi, vel donari quoad proprietatem, etiam usufructu ad vitam reservato; nec vinculo hypothecæ subjici, nisi prædicta cau ela observata, quantum ad jus canonicum spectat. Et quatenus quis sit clerici creditor, potest tantum reditus suæ sustentationi superfluos repetere, et post mortem ejus recipere in solutum, et vendere jus sibi competens in ipsum patrimonium, quod post mortem ordinati ad ejus hæredes transferri deberet, uti est observandum ex pluribus S. Congregationis decisionibus passim a Doctoribus citatis (9).

Ordinatio denique ad titulum paupertatis habet locum, cum agitur de Regularibus professis, et quidem valide professis, qui cautionem pro honesta sustentatione in eorum religione, sive monasterio habent, a quo nequeunt expelli. Sed hoc privilegium non extenditur ad novitios, neque ad clericos, qui sine solemni professione vivunt in communi, neque ad eos, qui professionem emiserunt ad tempus, quique adhuc ex monasterio expelli possunt, exceptis Religiosis Societatis Jesu, ut statuit S. Pius V (10).

(1) Olim titulus ordinationis erat Ecclesia, cui ordinatus adscribebatur, a qua absque sui Episcopi licentia discedere amplius nequibat. Hinc ordinatus Ecclesiæ perpetuum exhibebat ministerium, et Ecclesia ordinato vitæ necessaria usque ad mortem suppeditabat. — (2) Trid. Sess. 21, c. 2, de ref. — (3) Trid. eod. loc. — (4) Monacellus tit. 13, for. 3, n. 17. — (5) Ferraris in verbo *distributiones* art. 1 in not. n. 11. — (6) Trid. eod. loc. Per hoc correctum est caput 23 de præbendis, ubi Innocentius III Episcopis concesserat, ut quoscumque vellent, possent clericos ad titulum patrimonii promovere. Salutaris fuit hæc Tridentini præscriptio: nam omnes ordinationes fieri debent in utilitatem, vel commoditatem Ecclesiæ, numquam vero in commodum privatum. Unde hic titulus dispensatorius dicitur, ita in una *Suanen.* 28 jul. 1838. — (7) Ex diœcesana Genuensi Synodo Emin. Card. Tadini reditus annuus patrimonii ecclesiastici debet esse libellarum biscentum quinquaginta tit. 10, § 9. In aliis diœcesibus determinari debet summa ad id necessaria, vel a taxa Sydonali, vel a consuetudine, ut præscripsit Innocentius XII,

in bul. *Apostolici ministerii.* Sed summa præfinita debet esse libera ab omni alio onere; onera tamen quædam missarum in eadem summa poterunt computari, si id expedire judicet Episcopus. Benedictus XIV, de Synod. l. 12, c. 9. In dicta vero diœcesi Genuensi onera missarum numquam possunt excedere prædictæ summæ medietatem. — (8) Hoc constat ex pluribus S. Congregationis decisionibus, teste Benedicto XIV in Inst. 26. Titulus tamen mensæ communis admittitur ex Apostolico privilegio pro sacerdotibus congregationis Missionis, Sanctissimi Redemptoris, et aliis congregationibus. Ex privilegio similiter admittuntur alii tituli, ut *servitii Ecclesiæ,* quod ab Eugenio IV Metropolitanæ Florentinæ concessum fuit, modo illi Ecclesiæ servitium per decem annos duraverit; ut *adscriptionis alicui Ecclesiæ,* quod concessum fuit clericis Venetiarium civitatis a Sixto V in bul. *Romanum Pontificem;* ut *collegii,* quod pluribus seminariis et collegiis similiter fuit concessum, et ut *congregationis,* quod summi Pontifices aliquando concesserunt. Auctor corresp. de Rom. ad an. 1850, 4 sept. n. 39, ubi refert S. Cong. decisionem, et auctor Anal. jur. pont. ser. 6, pag. 892. Fructus tamen constituentes titulum ordinationis possunt detrahi ex uno, aut duobus beneficiis, quando unum non est sufficiens ad honestam clerici sustentationem; quin immo ubi beneficium non sufficit, possunt tot adjungi patrimoniales fructus, quot requiruntur ad complendam patrimonii summam. Soglia Inst. jur. priv. § 54. — (9) Richter ad Sess. 21, c. 2, de ref. Hinc renunciationes a clerico factæ suæ ordinationis titulo nullæ et irritæ sunt, si alium titulum non habeat. Trid. Sess. 21, c. 2, de ref. Novus autem titulus ab Ordinario probandus semper est, etiamsi clericus ordines recepisset cum patrimonio assignato ad tempus, scilicet quoadusque beneficium ecclesiasticum consequatur. Obtento enim hoc beneficio, prior titulus patrimonii subsistit et non cessat, nisi postquam Ordinarius beneficium patrimonio substituerit. Unde remotio sacerdotis, et parochi a suo beneficio, quod habet in titulum, nulla est, si pensio, vel alius titulus sacerdoti et parocho amoto assignatus a removente non sit, etiamsi justa et necessaria foret remotionis causa. Bul. *Quanta* S. Pii V. — (10) Bul. *Romanus Pontifex.*

95. Hæc de ordinationis titulo præscripta accurate sunt observanda: nam licet bona fide sine titulo ordinans, et probabiliter etiam ordinatus, nullam incurrat pœnam; tamen scienter sine titulo ordinans, vel litteras ordinationis concedens, ut certus clericus jam examinatus et probatus ab alio episcopo non proprio ordinetur, ea plectitur pœna, ut debeat ipse, et post ipsum ejus successores, etiam Ecclesiæ cathedralis capitulum, sic ordinato providere alimenta, donec beneficium ecclesiasticum ad ejus sustentationem sufficiens consequatur (1), nisi ordinatus

sine titulo ex sua, vel paterna hæreditate vitæ subsidia possit habere (2). Ac præterea ordinans, si cum ordinato sine titulo pactum ineat, ne alimenta petat, a collatione ordinum per triennium suspensus manet (3). Hæc quidem clericos sæculares respiciunt; quoad regulares vero episcopus ordinans non professos, ut fuit supra dictum, per annum a collatione ordinum suspensus manet (4); ordinatus autem, qui fraude, vel dolo egit, ut sine titulo ordinaretur, vel qui fictum, aut falsum titulum exhibuit, suspensionem contrahit, ordinumque executione caret (5).

(1) Cap. 16 de præbend. cap. 37, eod. in 6. — (2) Cap. 4 de præbend. — (3) Cap. 45 de Simon. — (4) Bul. *Romanus Pontifex* S. Pii V. — (5) Hæc pœna enascitur ex can. 1 et 2 dist. 70, ubi ordinatio dicitur *vacua et irrita* non quidem ad indicandam nullitatem ejusdem, sed ad significandum effectum, quia ordo ita receptus exerceri nequit: et eadem pœna confirmatur a concilio Tridentino, a decisionibus S. Congregationis, et a bulla *Secretis* Urbani VIII, ut docet Benedictus XIV, in Inst. 26 n. 16. Sed jure nostro illud est adjungendum, quod duo testes simul cum constituente patrimonium debent in curia episcopali jurare: 1° bona, ex quibus ecclesiasticum patrimonium constituitur, fuisse ipsius constituentis, et absque dissidio ab ipso possessa; 2° nullam pactionem intercessisse, nec mutuum consensum, quibus statutum sit, vel ut bona non pertineant ad ordinandum, quoad vixerit, aut alio se titulo provisum probaverit, vel ut ordinandus non percipiat omnes ejusdem fructus. Unde in contrafacientes, et falsum jurantes pœna excommunicationis, et reservationis casus in diœcesi Genuensi constituta fuit. Synod. Emin. Tadini, cap. 10, n. 11. In Gallia et in Belgio post bonorum ecclesiasticorum direptiones tituli ordinationis ex beneficio, et tituli ex patrimonio tum ob ordinandorum paupertatem, tum ex nequitia legum civilium, vel evanuerunt, vel admodum rari, et difficiles effecti sunt. Quare episcopi necessitate coacti, vel dispensabant a titulo, vel ordinabant ad titulum obedientiæ, vel a S. Sede privilegium expetebant ordinationis absque titulo, quod ad tempus, vel pro determinato ordinandorum numero concedebatur. Sed novissime cum quidam episcopus Belga a S. Sede petiisset inter alia, ut secum dispensaret a lege Ecclesiæ, quæ ad ordinationem requirit titulum, et consequenter in Congregatione concilii fuisset propositum dubium: *An sit concedendum episcopo oratori indultum promovendi clericos ad sacros ordines absque legitimo ac sufficienti ordinationis titulo:* responsum fuit: *Negative, et providebitur in casibus particularibus*, die 4 Aug. 1850. Corresp. de Rom. Quare putamus, S. Sedem, ubi similis sit necessitas, benigne excepturam supplices libellos dispensationis a titulo ordinis ab episcopis commendatos, et privilegium in casibus particularibus daturam. — Quod supra diximus de suspen-

sione a collatione ordinum per triennium in ordinante sine titulo, et cum pacto ne ordinatus a se petat alimenta, confirmatur a novissima bulla *Apostolicæ Sedis* Pii IX in qua declaratur hanc esse suspensionem latæ sententiæ, ac S. Pontifici reservatam. Quod si ordinatus sine titulo beneficii vel patrimonii, ad aliquam pertineat congregationem, in qua solemnis professio non emittitur, vel sit religiosus nondum professus, ordinans incurrit prædictam suspensionem ad annum tantum, sicut in eadem bulla statuitur. Ordinatus denique sine titulo manet ab exercitio susceptorum ordinum suspensus, donec cum eo dispensetur, quia Tridentinum super hoc antiquorum canonum pœnas innovavit. Trid. Sess. 21, c. 2. de ref. Et similiter suspensionem reservatam ab ordine suscepto incurrunt, *qui eumdem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab heretico, vel schismatico notorio:* Hi vero qui ab eisdem bona fide ordinem susceperunt, non habent ordinis exercitium, donec dispensentur, ut statuitur in præfata novissima bulla.

96. Modus denique ordinationis respicit *locum*, et *tempus* quo promotio est facienda. Quoad locum dicimus, primam tonsuram, ordinesque minores quolibet in loco honesto, etiam extra ecclesiam posse conferri; ordines vero majores non nisi in ecclesia, ubi episcopus sacrum facit. Quoad tempus adjungimus, primam tonsuram posse conferri, quolibet die tam in mane, quam in vespere; ordines minores tantum in mane diebus Dominicis, aut festivis, licet ex consuetudine quandoque conferantur in vespere feriæ sextæ præcedentis ordinationem sabbati (1); et ordines majores tantum in sabbatis quatuor temporum, in sabbato de passione, et in sabbato sancto; nisi habeatur speciale S. Sedis indultum alio die ordinem sacrum conferendi, quod *extratempora* appellari solet (2). Quam legem si violaret episcopus potestate ordinum conferendorum privandus esset, et sic ordinati manerent ipso jure ab ordinum exercitio suspensi (3). Attamen si ordinatio habeatur generalis, Ecclesia præcipit, ut omnes ordinationes eodem die, quantum fieri potest, peragantur.

(1) Sacra tamen Congregatio Rituum non videtur hanc consuetudinem probare: nam interrogata, an data facultate Episcopo conferendi ordines sacros diebus festivis, possit illos conferre diebus Apostolorum, cæterisque festis per S. Sedem abrogatis? Et etiam an liceat his diebus conferre ordines minores? Respondit: *Affirmative ad primam partem, et etiam ad secundam, sed mane tantum.* Hæc responsio data fuit die 12 novembris 1851. — (2) Cap. 3 de temp. ord. — (3) Cap. 2 et 8 eod.

97. Idem modus respicit quoque successionem in ordinibus recipiendis servandam, ita ut de minori ascendatur ad majorem, nullo ordine per saltum intermisso, factoque inter unum aliumque ordinem debito temporis interstitio, quo ordinatus ordinis suscipiendi pondus et dignitatem possit agnoscere, simulque in ordine suscepto rite se valeat exercere. Idcirco si quis per saltum se fecerit promovere, aliquo ordine intermisso, suspensione plectitur, a qua, si non ministraverit, ex legitima causa absolvit episcopus (1).

Interstitia ordinum minorum non sunt in jure definita, quæ proinde ab episcopi judicio omnino dependent, ut decernat quod magis in Domino expedire videtur. Immo consuetudo fere ubique invaluit, ut duo ordines minores, et etiam quatuor eodem die conferantur. Interstitia vero ordinum majorum annum moralem, ut dicunt, comprehendunt; et ideo qui ordinatus fuit subdiaconus in sabbato passionis, anno sequenti eodem sabbato absque ulla ab interstitiis dispensatione potest ordinari Diaconus, licet forte annus naturalis duodecim mensium præterlapsus nondum sit. Hic annus debet interfluere ab ultima in minoribus ordinatione ad subdiaconatum, a subdiaconatu ad Diaconatum, et a Diaconatu ad Presbyteratum. At episcopus ab his interstitiis quoad subdiaconatum, et Presbyteratum ex necessitate et utilitate ecclesiæ, quoad Diaconatum ex proprio arbitrio potest dispensare. Duo tamen ordines, quorum unus saltem esset sacer, vel major, eodem die, vel duobus continuis diebus numquam possunt eidem conferri, aliter tum conferens, tum recipiens suspensione ligatur, ille a collatione ordinum, hic ab exercitio (2).

Nunc restat, ut de promovendi capacitate requiramus, de qua hic agimus.

(1) Cap. unic. de cler. per salt. promot.; et Trid. Sess. 24, c. 14, de ref. — (2) Cap. 13 de temp. ord.; et Trid. Sess. 23, c. 11, 13, et 14, de ref.

TITULUS XI.

DE IIS QUI PROMOVERI NON POSSUNT.

SUMMARIUM: 98. Quid, et quotuplex sit irregularitas? 99. Quæ crimina olim, et nunc irregularitatem afferant? — 100. Quæ crimina irregularitatem afferant causa religionis? — 101. Quæ causa sacramentorum? — 102. Quæ causa societatis? — 103. Qui irregulares sint ex delectu animi? — 104. Qui ex defectu corporis? — 105. Qui ex defectu libertatis? — 106. Qui ex defectu famæ? — 107. Qui ex defectu lenitatis? — 108. Quomodo irregularitas tollatur?

98. Promoveri non possunt illi, qui irregularitate laborant, propter quam aut omnino nequeunt, aut non decet, eos altari ministrare. Irregularitas autem est canonicum impedimentum, vel defectus, quo quis ita arcetur ab ordinum susceptione, et ab eorumdem exercitio, ut eos neque suscipere licite, neque licite valeat exercere, licet utrumque valide faciat; et dividitur in irregularitatem *ex delicto*, ac irregularitatem *ex defectu* (1), in irregularitatem *totalem* et proprie dictam, ac *partialem:* illa a susceptione omnium ordinum, eorum exercitio, et consequenter etiam ab officio et beneficio excludit; hæc vero excludit tantum a susceptione quorumdam ordinum, eorumque exercitio. Totalis, aut partialis irregularitas ex juris dispositione fertur; nam nullo modo contrahitur, nisi quo fuerit in jure expressa (2). Sed in genere irregularitas ex delicto, et quæ præcedit ordinis susceptionem est totalis; quæ vero ex defectu procedit, ordinisque susceptionem sequitur, est partialis.

(1) Cap. 14 de purg. can. — (2) Cap. 18, de sent. excom. in 6

99. Olim quodcumque crimen, vel delictum externum irregularitatem dabat; etenim ordinibus ecclesiasticis adscribi ille tantum poterat, qui novum hominem in baptismate assumptum numquam delinquendo dimiserat; sed posteriori Ecclesiæ disciplina factum est, ut crimina solum juris vel facti infamiam afferentia, quæ essent externa,

consummata, et in gravi materia vel objecto commissa irregularitatem parerent ex regula: *Infamibus portæ non pateant dignitatum* (1). Infamia juris decernitur specialiter a lege, et infamia facti ex hominum existimatione procedit, cui jus in genere adhuc adsistit; et utraque vel ipso facto, vel per judicis sententiam inducitur.

(1) Cap. 87, de reg. jur. in 6.

100. Delicta in specie, quæ irregularitatem pariunt, alia circa *religionem*, alia circa *sacramenta*, et alia circa *societatem* committuntur. Circa religionem, uti est simonia, sacrilegium, lenocinium, adulterium, incestus, concubinatus, sodomia, perjurium in judicio, si publica, et notoria sint, item etiam occulta hæresis, et apostasia a fide (1). Hæc tamen hæreticorum, et apostatarum pœna extenditur ad eorum receptores, fautores, et defensores, nec non ad filios hæreticorum usque ad secundam generationem, si crimen in patrem se contingat vel ad primam tantum generationem, si crimen contingat in matre, ubi ipsi parentes in crimine notorio decesserint (2).

(1) Can. 32, dist. 50. — (2) Cap. 2 et 15 de hæret. in 6. Dubitari potest, an irregulares sint filii, qui nati sunt ex catholicis parentibus, qui postea in hæresim, vel apostasiam inciderunt? Plures affirmant, quod canones ea pœna afficiant filios hæreticorum, quales sunt filii nati tam ante, quam post hæresim. Contra vero alii negant, quia mitius lex pœnalis est interpretanda. Nati enim ante hæresim, et in religione catholica baptizati, ipsis adhuc catholicis parentibus offerentibus, non videntur debere aspergi sequenti parentum macula. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 69.

101. Circa Sacramenta delictum irregularitate notatum committitur ab eo, qui sine necessitate, et in adulta ætate ab hæretico baptismum recipit (1), qui adeo baptismi receptionem differt, ut tantum in periculo infirmitatis baptizetur (2), qui scienter rebaptizat (3), qui scienter rebaptizanti ministerium, vel assistentiam præbet, ubi factum si publicum (4). Non tamen propterea ille dicendus erit irregularis, qui post diligens et accuratum examen circa validitatem antecedentis baptismi, dubius de eadem rationabiliter manens, baptismum sub conditione iterum ad formam juris confert (5).

Simile quoque delictum committitur ab eo, qui ordines recipit ab episcopo hæretico, schismatico, simoniaco, suspenso, aut excommunicato, vel ab Episcopo, qui sedi, et dignitati episcopali renunciavit (6); qui ordines furtive recipit (7); qui ordines recipit per saltum (8), qui in clericatu constitutus actum ordinis, quem non habet, solemniter exercet (9), et qui demum censura irretitus vel ordines suscipit (10), vel ordines exercet temere violando censuram, nempe excommunicationem majorem (11), vel suspensionem (12), vel interdictum personale (13), vel interdictum locale (14).

(1) Can. 18, c. 1, q. 1 et ib. Gloss. verb. *per manus*. — (2) Can. 1. dist. 57. — (3) Can. 65, dist. 50. — (4) Cap. 2 de Apost. — (5) Cap. 2 de baptis. Bened. XIV, Inst. 84. — (6) Cap. 1, de Ord. ab epis. qui etc. — (7) Dicitur ordines furtive recipere, qui sine Episcopi ordinantis scientia, et voluntate, non vocatus, nec examinatus, vel admissus cum aliis ordinandis se ingerit vel nomen alterius approbati usurpando, vel alium in examine sub suo nomine supponendo, ordines recipit. Cap. 1 et 2 de eo qui furt. etc. — (8) Cap. 1, de cler. per salt. promot. — (9) Ut si Sacerdos velit confirmationis sacramentum administrare, aut Ecclesiam consecrare, vel Diaconus celebrare missam. Cap. 1, de cler. non ord. etc., licet, aliud obtineat circa actum jurisdictionis. — (10) Cap. 32 de sent. excom. — (11) Can. 7, c. 11, q. 3. — (12) Cap. 1, de sent. et re jud. in 6. — (13) Cap. 20 de sent. excom. in 6. — (14) Cap. 18 eod. Pœna irregularitatis afficit etiam clericos in minoribus constitutos, qui tamen sine manipulo a superioribus invitati ex necessitate possunt licite in missa solenni in officio subdiaconi ministrare. S. Rit. Cong. 3 jul. 1698.

102. Circa societatem delictum irregularitate notatum est furtum, rapina, usura, calumnia, maleficium, veneficium, læsa majestas, aliaque crimina, quæ irregularitatem afferunt, si publica et notoria sint (1). Homicidium plane voluntarium, etiamsi occultum sit, pœna irregularitatis plectitur (2); quod extenditur ad consulentes, mandantes (3), ad cooperantes post communem conspirationem, etiamsi ex pluribus unus tantum occidat (4), ad duellantes, eorumque patrinos (5), ad procurantes abortum fœtus animati (6), ad patronos, eorumque postea descendentes usque ad quartam generationem, si rectorem patronatæ ecclesiæ per se, vel per alios occidant (7), et ad illos, qui homicidium fortuitum committunt, ubi

sint negligentes in opere suo (8), vel rei illicitæ et periculosæ operam dent (9). Homicidium vero fortuitum absque culpa et opere illicito, uti homicidium necessarium ad sui defensionem, observato moderamine inculpatæ tutelæ, nullam inducit maculam (10). Item mutilatio, abscissio nimirum membri principalis habentis officium distinctum ab aliis, ut manus, pedis, oculi, irregularitatem affert tum in mutilante, tum in mutilato, et maxime si quis se ipsum mutilet (11).

(1) Can. 17, c. 6, q. 1. — (2) Trid. sess. 14, c. 7, de ref. — (3) Can. 8, dist. 50. — (4) Cap. 18, de homicid. — (5) Trid. sess. 25, c. 19, de ref. — (6) Cap. 20 de homicid. — (7) Cap. 12 de pœn. — (8) Cap. 7 de homicid. et can. 49, dist. 50. — (9) Cap. 3 de homicid. in 6, et cap. 19, eod. Hoc quidem certum est, cum quis dat operam rei illicitæ, a qua quis abstinere debuisset ob periculum homicidii. Si vero opus omittendum sit tamquam illicitum ex alia causa, dubitari potest, an tunc contrahatur irregularitas. Sed semper consultius est ad cautelam dispensationem petere, ut tradit Pyrrhus Corradus in prax. disp. l. 5, c. 1. Propterea medici, et chirurgi etiamsi artem suam optime calleant, eamque diligenti studio exercuerint, ad cautelam dispensationem ab irregularitate petere solent, antequam ordinibus ecclesiasticis initientur. Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. 10. — (10) Cap. 15, 22, 23 et 25, de homicid. et Clem. *Si furiosus* eod. Quod dicimus de homicidio ad sui defensionem non extenditur ad homicidium ab bonorum conservationem patratum: hoc enim homicidium affert irregularitatem; nam Alexander III, hunc casum proponenti respondit: *Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, et rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus, et transitoriis, tam acriter in alios excandescere.* Cap. 10, de homicid. — (11) Dict. Clem. *Si furiosus,* et ib. Gloss.

103. Defectus qui irregularitatem inducunt varii designantur a Doctoribus, iique sunt animi, aut corporis, aut libertatis, aut famæ, aut lenitatis. Ex defectu animi irregulares sunt, qui baptismum non receperunt, quorum ordinatio est irrita, qui recenter, aut in infirmitate, aut in hæresi fuerunt baptizati, qui non fuerunt confirmati, qui usum rationis non habent, aut habent quidem, sed non continuum, neque liberum, qui sunt illiterati, quive scientiam non habent a sacris canonibus pro ordine, ad quem aspirant, requisitam, nempe peritiam elementorum fidei, legendi et scribendi pro prima tonsura, peritiam

linguæ latinæ pro ordinibus minoribus, peritiam litterarum, et eorum quæ ad ordinem spectant pro subdiaconatu, et diaconatu, et peritiam docendi necessaria ad salutem, ac ministrandi sacramenta pro presbyteratu (1).

(1) Trid. sess. 23, c. 4, 11, 13 et 14, de ref.

104. Ex defectu corporis sunt irregulares, qui auditu, locutione, aut visu destituuntur, qui manu, aut indice digito, aut oculo, aut lumine oculi sinistri, quem *oculum canonis* appellant, carent, qui sunt ridicule pusilli, aut enormiter gibbosi, qui sine baculo nequeunt incedere, aut fortiter claudicant, qui sunt leprosi, aut paralytici, aut alio gravi morbo laborant corporis exercitium impediente, quique adeo deformes sunt, ut dolorem, vel risum excitent, sicut in specie eorum, quibus nares fuerunt amputatæ (1). Huc denique referri debet defectus legitimæ ætatis, quæ cum pro tonsura, et minoribus ordinibus nullibi reperiatur in lege determinata, quælibet potest sufficere, modo ordinandus usum rationis et scientiam requisitam habeat. Sed pro subdiaconatu ætas annorum viginti duorum, pro diaconatu viginti trium, et pro presbyteratu viginti quinque saltem inchoatorum annorum ætas requiritur (2).

(1) De his omnibus agunt Doctores ad tit. de corp. vit. ord. vel non. et harum irregularitatum vestigia habemus in Levitico cap. 21, ubi Dominus per Moysem hæc loquitur ad Aaron: *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo. Nec accedet ad ministerium ejus, si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto nasu, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus.* Hæc explicantur a Gregorio III, in Can. 1 dist. 49. — (2) Trid. Sess. 23, c. 12, de ref.

105. Ex defectu libertatis erant irregulares veterum servi, qui, invito domino, ordinari non poterant (1); et sunt irregulares conjugati, ac etiam illi, qui tenentur ad ratiocinia reddenda. Hi enim ordinari nequeunt, nisi postquam administrationis rationes reddiderint, officiumque deposuerint, cujusmodi sunt tutores, curatores, procuratores, et negotiatores, ac etiam tributorum exactores, qui

potius civile formidantes de rationibus reddendis judicium, quam Ecclesiæ ministeria diligentes, militiam ecclesiasticam suscipere viderentur, ut Doctores communiter tradunt. (2).

(1) Hoc patet ex tot. tit. de serv. non ord. — (2) Ad tit. de oblig. ad rat. ord. vel non.

106. Ex defectu famæ irregularitas contrahitur ex publico crimine infamia notato, non solum secundum leges Ecclesiæ, sed etiam secundum leges sæculi (1). Et licet crimem imputatum non sit verum, adhuc post inflictam a judice pœnam macula irregularitatis extat, quia a fama hæc pœna generatur, quæ bona, et immaculata in ministris Ecclesiæ tantopere requiritur, ut queant rite fidelibus prodesse. Contrahitur quoque ob vile alicujus artis, aut officii exercitium, cujus artis officiique species a Doctoribus designantur. In jure autem irregulares ex hoc capite dicuntur publici aleatores, et usurarii (2), lusores in scena, mimici, histriones, gladiatores (3), macellarii, et tabernarii (4). Contrahitur insuper ex illegitimis natalibus, quæ per subsequens matrimonium inter parentes, et per professionem religiosam ad effectum obtinendi sacerdotii reparatur (5). Et ultimo contrahitur ex bigamia, quæ incontinentiam redolet, et sacramentalem significationem unionis Christi cum sua Ecclesia non continet. Bigamia autem inducens irregularitatem triplex est, nempe *vera*, ut cum quis plures successive cognoscit veras uxores; *interpretativa*, ut cum quis cognoscit uxorem viduam a priore marito cognitam, vel etiam non viduam, sed ab alio violatam, quia juris fictione, aut interpretatione, matrimonium iteratum censetur; et *similitudinaria*, ut cum quis init, et consumat matrimonium, obstante voto solemnis, aut sacri ordinis impedimento, quia adstrictus voto, sive ordine sacro quoddam matrimonium cum Christo, aut Ecclesia contraxit, quod si violet cognoscendo uxorem, iteranti matrimonium similis efficitur. (6).

(1) Can. 17, c. 6, q. 1. — (2) Cap. 11, de exces. prælat. — (3) Can. 1 dist. 33. — (4) Clem. 1 de vit. et honest. cler. Sed hæc irregularitas ipsos vilem artem, officiumque exercentes afficit, et eorum

filios non comprehendit: immo exempla plura sunt Episcoporu *qui vilibus parentibus nati dignissime sacerdotio functi fuere*, ut bemus ex epistola Antheri Papæ. — (5) Tot. tit. de fil. presb. o vel non. Ratio hujus conclusionis datur a Tridentino, *ut paternæ continentiæ memoria a locis Deo consecratis longissime arceatur*. Sess. c. 5, de ref. Nihilominus filii nati in matrimonio putativo cens tur legitimi, etiamsi postea conjuges per judicis sententiam fuer separati, modo hi clandestinas nuptias non iniverint, et concilia denunciationes non omiserint. Cap. 2 et 14, qui fil. sint legit. (6) Doct. ad tit. de bigam. non ord.

107. Ex defectu denique lenitatis sunt irregulares, q factum commiserunt humanitati repugnans, quive dire ad alterius mortem, vel mutilationem concursum habu runt, licet mors justa fuerit, et a lege præscripta. Hi tali subjiciuntur vinculo judices, qui capitis sententi protulerunt, effectu sequuto, assessores, consiliarii co tra reum, accusatores et testes, qui deposuerunt con reum in causa sanguinis (1), ministri justitiæ, qui se tentiam executioni mandarunt (2); item qui in bello sto offensivo aliquem necarunt, vel mutilarunt, aut bello injusto pugnarunt, etiamsi unus tantum hostium ipso bello sit occisus, aut mutilatus (3); item demu medici, chirurgi, qui per imperitiam, vel malam co scientiam medicinam dederunt, vel incisionem feceru ex qua mors sit sequuta (4).

(1) Testes, qui in causis criminalibus volunt evitare irregular tem, maxime si clerici sint, debent expresse protestari, quod ad dictam, seu pœnam sanguinis non intendunt. Cap. *Prælatis* 2, homicid. in 6. — (2) Hæ regulæ quasdam limitationes habent, q sapienter compendifacit Card. Soglia in suis Inst. jur. priv. § his verbis: « Contra irregulares non habentur: 1° Clerici, qui P » cipi suadent, ut quorumdam criminum reos, morte aut mutilati » plectat. Glossa communiter recepta in cap. 10 de exces. præ » verb. *consuluit;* nec Princeps, qui legem tulerit, quod hujusm » leges non hominis occisionem aut mutilationem spectant, sed q » tam et rectam reipublicæ administrationem. 2° Episcopi, præ » et reliqui clerici, qui jurisdictionem temporalem obtinentes, cau » sanguinis suis ballivis, seu aliis judicibus committunt, etiamsi » livus seu judex ad pœnam sanguinis processerit. Cap. fin. ne » vel. monach. in 6. 3° Judex ecclesiasticus, qui clericum obstin » animo criminibus adhærentem jam depositum et degradatum » riæ sæculari tradit, si tamen in actu traditionis protestatio in » cesserit, ne pœna capitis damnetur, qua protestatione, seu in

» cessione irregularitatem evadit, quamvis certo animadvertat, cle-
» ricum pœna mortis afficiendum. Cap. 27, de verb. signif. 4° Cle-
» rici, qui gravi damno vel injuria affecti, reos apud magistratum
» denuntiant, actione tamen civili, qua damni et injuriarum repara-
» tionem postulent, et expressa protestatione, quod vindictam et
» pœnam sanguinis non intendant, et quidem ne detur plerisque
» materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona libere deprædandi.
» Cap. 2, de homicid. in 6. » — (3) Doct. ad tit. de homicid. —
(4) Cap. 7 de ætat. et qual. ord.; et cap. 19, de homicid.

108. Irregularitas contracta variis modis tollitur, ut per susceptionem baptismi, si ex delicto procedat ante baptismum patrato; per cessationem defectus, a quo fuit producta, quia cessante causa, cessat effectus; et per legitimam dispensationem (1). Legitime autem dispensat summus Pontifex in qualibet irregularitate a jure ecclesiastico constituta, sive ex crimine, sive ex defectu procedat. Episcopus vero dispensat: 1° in irregularitate proveniente ex bigamia similitudinaria tantum (2); 2° in irregularitate orta ex defectu natalium, sed tantum quoad ordines minores, et simplicia beneficia (3); 3° in irregularitate ex delicto occulto, ea excepta, quæ provenit ex homicidio voluntario, et excepto casu, quo delictum sit deductum ad forum contentiosum (4). Delictum dicitur adhuc occultum, si illud sciant quinque vel sex personæ, et non sit notum majori parti oppidi, vel parochiæ. Dicitur deductum ad forum contentiosum, cum saltem per unum testem probatum fuit; secus tamquam deductum non habetur, et Episcopus potest dispensare (5). Dubitari potest, an Episcopus queat dispensare ab irregularitate proveniente ab hæresi occulta? Affirmativa videtur amplectanda: nam Tridentinum ponit regulam generalem, qua licet Episcopo ab irregularitate proveniente ex delicto occulto dispensare, et excipit duos speciales casus homicidii voluntarii, et inquisitionis judicialis; hæresim autem occultam non excipit (6).

(1) Ulterius irregularitas ex defectu natalium, ut jam diximus, tollitur per professionem religiosam ad effectum suscipiendi ordines, non prælaturas. Cap. 1, de fil. presb. — (2) Cap. 1, qui cler. vel vovent, etc. — (3) Card. Soglia Inst. jur. priv. § 57. — (4) Trid. Sess. 24, c. 6, de ref. — (5) S. de Ligorio in Mor. l. 7, n. 76. —

(6) Nec obstare videtur Bulla *Cœnæ*, quæ interdicit Episcopo absolutionem ab hæresi occulta; nam diversa sunt absolvere a censur et dispensare ab irregularitate et a diversis illatio fieri non potes Potestas in exam. tom. 1, n. 3338 et S. de Ligorio in Mor. l. 7, n. 7

TITULUS XII.

DE HIERARCHIA ORDINIS, ET JURISDICTIONIS.

SUMMARIUM: 109. Hierarchia quid, et unde sit? — 110. Duplex est: ordinis et jurisdiction — 111. Discrimen inter utramque. — 112. Summus gradus hierarchiæ ordinis est episcopo, et jurisdictionis in Papa. — 113. Qui pertinent ad hierarchiam ordinis? 114. Sacerdotium quid? — 115. Sacerdotes sunt episcopis inferiores. — 116. Sacerdotum officia. — 117. Diaconatus, et ejus officia. — 118. Subdiaconatus, et lex c libatus. — 119. Minorum ordinum officia. — 120. Jura tonsuratorum.

109. Hierarchia est quidam sacer principatus, quo sa cra reguntur, et ministrantur, et qui regit Hierarcha di citur. Hic tamen principatus potest esse absolutus ac ma ximus, vel alteri principatui subordinatus: at omnes ho sce principatus generale hierarchiæ nomen complectitur quare videtur hierarchiam sic posse definiri, esse nim rum ordinem, et seriem personarum Deo dicatarum, qu in diverso gradu officii, et potestatis simul concurrun ad observantiam procurandam divinæ et ecclesiasticæ legi

Ex divina ordinatione hierarchiam habemus; nam Chr stus ita Ecclesiam instituit, ut essent in ea, qui impe rare et qui parere deberent (1), qui sacris omnino dica non possent se temporalibus negotiis implicare, et qu in temporalibus negotiis militantes non possent sacerdo tii actibus defungi; instituit suam familiam filiorum patrum; suum regnum imperantium et subditorum; suam ecclesiam ministrantium et ministrorum, et inter ipso ministros majores creavit et minores: *Posuit Deus in Ec clesia primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores* (2 Sed quid? Numquid omnes apostoli? Numquid omne prophetæ? Numquid omnes doctores? Minime. Sed e multis membris, quæ non eumdem actum habent, cui

capite unum effecit corpus, et ex multis pastoribus, unum præposuit pastorem. Quare Tridentini Patres anathema in illos intorquent, qui affirmarent non esse in Ecclesia catholica hierarchiam divina ordinatione institutam (3).

(1) Unde illud D. Pauli: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Ad Hebr. 13. — (2) D. Paulus 1 ad Corinth. c. 12. — (3) Trid. Sess. 23, can. 6.

110. Hierarchia a Doctoribus communiter alia dicitur *ordinis*, et alia *jurisdictionis* (1). In illa auctoritas confertur, ut quis per se sit capax ponendi actum ordinis, conficiendi Sacramenta, et bona spiritualia fidelibus ministrandi; per hanc vero confertur imperium, ut quis possit regere, gubernare, et leges ferre. Illa propterea ad verum Christi corpus in sacrosancta Eucharistia refertur; hæc vero tota in Christi corpore mystico versatur (2). Illa absolute loquendo subditos non requirit, quia sacerdos etiam absque subditis potest sacrum facere; hæc necessario supponit subditos, aliter inutilis esset regendi, gubernandi, legesque ferendi auctoritas. Illa tribuitur per consecrationem, vel ordinationem; hæc per missionem sive injunctionem a capite datam (3), Illa demum, cum characterem imprimat, semel obtenta numquam potest amitti; hæc vero, quæ pendet a voluntate mittentis, potest revocari.

Duæ hujusmodi hierarchiæ in eadem persona ut plurimum inveniuntur, ut puta in Episcopo, qui suam diœcesim gubernat, ad cujus rectam institutiouem ex definitione Tridentini (4) requiritur legitima ordinatio, et legitima missio, quæ subditorum assignationem continet; quia dum per ordinationem acquirit potestatem ad munia episcopalia exercenda, per missionem a summo Pontifice factam hujus potestatis consequitur in subditos assignatos exercitium. Quare si in alterutra deficeret, legitimus alicujus diœcesis Episcopus dici non posset. Si enim haberet tantum missionem, non posset ordines conferre.

(1) Sunt qui triplicem hierarchiam faciunt, nimirum *ministerii*, *magisterii*, et *imperii*. Potestas ministerii eadem est ac potestas ordinis; potestas magisterii ea est, quæ res fidei et morum docet, ac definit; potestas demum imperii eadem est ac potestas jurisdictionis. Card. Soglia Inst. jur. pub. l. 1, c. 1, § 2. Sunt alii, qui unam tantum statuunt hierarchiam, cui Dominus Jesus omnes tradidit potestates tam ordinis, quam jurisdictionis, et magisterii. Hinc hæc unica hierarchia est columna triplex Episcopatu, Presbyteratu, et Diaconatu constans, quæ fundamentum habet in Petra, supra quam Ecclesia ædificata fuit, et verticem in primatu summi Pontificis. Consequenter hierarchia una est, et triplex quia tres dictæ species non differunt in re, sed tantum in forma; alias quis posset suspicari in Ecclesia hoc esse incongruum, quod esset Papa Ecclesiæ caput in hierarchia jurisdictionis, quæ ab eo incipit, non vero in hierarchia ordinis quæ incipit ab Episcopo. Phillips Inst. jur. pub. § 32, 66 et 67. Nos tamen antiquam retinemus hierarchiæ divisionem in eam, quæ est ordinis et eam, quæ est jurisdictionis: tum quia communis est inter Doctores magis probatos; tum quia in duabus citatis hierarchiæ speciebus adest tertia magisterii, cum hæc in hierarchia jurisdictionis contineatur; tum etiam quia nostra hierarchiæ divisio a S. Thoma probatur, cum ait: *Spiritualis potestas, una quidem sacramentalis est, alia jurisdictionalis. Sacramentalis.... quæ per aliquam consecrationem confertur.... Potestas autem jurisdictionalis est, quæ a simplici injunctione hominis confertur.* 2 2, q. 39, art. 3. — (2) Cath. Conc. Trid. de sac. ord. § 6. — (3) Propterea Tridentinum definivit tum ordinationem, tum missionem esse necessariam, ut quis possit esse legitimus verbi, et sacramentorum minister, et eos anathemate percussit, qui contrarium dicerent. Sess. 23, can. 7. — (4) Sess. 28, c. 4 et can. 7.

111. Cum tamen potestas in hierarchia ordinis collata amitti amplius non possit, et illa e converso concessa in hierarchia jurisdictionis possit revocari, sequitur, censuram, et legem ab Episcopo schismatico, vel hæretico latam esse absolute nullam; quia ipse per schisma, aut hæresim ab hierarchia jurisdictionis cecidit; dum summus Pontifex nedum illum repulit a diœcesi, sed et ab universa Ecclesia: item sequitur, ordinationem peractam ab Episcopo schismatico, vel hæretico esse validam, licet exitialiter detestabilem eo quod per horrendum schismatis, vel hæresis crimen neque cecidit ab hierarchia ordinis, neque episcopalem characterem amisit, qui per sacramentum fuit illi divinitus et immutabiliter impressus.

112. Summus hierarchiæ ordinis gradus habetur in Episcopo quem sequuntur Presbyteri, et ministri. Episco-

pus quidem respectu ad ordinem ab Innocentio III (1) appellatur summus sacerdos, qui ordinis plenitudinem habet; neque enim major ordo in summo Pontifice reperitur, qui ad ordinem se referendo Episcopum se appellat, ut in procemio Gregorii IX ad suum Decretalium opus (2). Summus vero hierarchiæ jurisdictionis gradus habetur in Pontifice maximo, et Christi vicario in terris, quem sequuntur Patriarchæ, Primates, Metropolitæ sive Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, et Parochi.

Ordinis hierarchia potius ad Theologos, quam ad Canonistas pertinet; proinde tantum pauca in hoc titulo de personis, quæ ad ordinis hierarchiam referuntur, subjiciemus, omisso Episcopo, de quo copiosor redibit tractatio, ubi de personis, quæ ad hierarchiam jurisdictionis referuntur, ex professo agemus.

(1) Cap. 1, de sac. unct. — (2) Unde quicumque episcopus frater est summi Pontificis, sed hic primogenitus et caput est omnium episcoporum, centrum unitatis universæ familiæ et Ecclesiæ, cui Christus plenariam dedit potestatem pascendi oves et agnos sive in ministerio ordinis, sive in imperio jurisdictionis. Huic capiti omnis episcopus in exercitio suæ potestatis debet obedire, eidemque adhærere. Aliter ordinando et consecrando, ordinabit quidem, et consecrabit quidem, sed ad ruinam et mortem, non in ædificationem, et vitam.

113. Post Episcopos in hierarchia ordinis, quæ divina ordinatione ex Episcopis, Presbyteris et ministris constat (1), septem numerantur sacrorum ministrorum ordines, nempe Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus, et Ostiariatus, qui supponunt tonsuram, quæ est præparatio ad ordines. Primi tres sunt ordines sacri, sive *majores;* reliqui ordines *minores* appellantur.

(1) Trid. sess. 23, can. 6.

114. Presbyteratus, vel Sacerdotium, in proprio sensu usurpatum, est ordo sacer, quo confertur potestas consecrandi Corpus et Sanguinem Jesu Christi, et absolvendi fideles a peccatis. Qui hoc ordine sunt insigniti, Sacerdotes appellantur, tum quia Deo sunt consecrati, tum quia sacra faciunt. Iidem appellantur etiam Presbyteri,

quod nomen a græco fonte descendens seniores significat, non solum propter ætatis maturitatem, qua præstare necesse est Sacerdotes, sed multo magis propter gravitatem, doctrinam, et prudentiam.

115. Sacerdotes ex divina ordinatione Episcopis sunt inferiores, non æquales, ut somniaverunt quidam perfidi, nam: 1° D. Paulus ad Episcopos Titum et Timotheum scribens, eis in Presbyteros jurisdictionem tribuit. Ita siquidem alloquitur Titum: *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros* (1); et Timotheo præcipit, ne adversus Presbyterum accusationem recipiat, nisi sub duobus, aut tribus testibus. Age vero, quomodo poterunt creari et judicari Presbyteri ab Episcopis, si illi non essent istis inferiores et subditi? 2° Idem Paulus officium ordinationis commisit Episcopis, quod liquet ex allato textu ad Titum, et ex sequenti monitu ad Timotheum: *Manus cito nemini imposueris* (3); qua manuum impositione ordinatio significatur. At Presbyteris, supposita Episcopi missione, munus prædicandi demandavit; ait enim: *Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant verbo, et doctrina* (4). 3° Demum concilium Tridentinum anathema protulit in eos, qui affirmarent Episcopos non esse Presbyteris superiores (5).

(1) Ad Tit. c. 1. — (2) 1° ad Timoth. c. 5. — (3) Cit. cap. — (4) Eod. loc. — (5) Sess. 23, can. 7.

116. Sacerdotum officia describuntur a Pontificali Romano his verbis: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, et baptizare.* Primum Sacerdotum munus circa Sacratissimam Eucharistiam versatur, quæ novæ legis est Sacramentum simul, et sacrificium (1): circa alia Sacerdotum officia adnotanda sequentia, nimirum, Sacerdotes posse benedictiones sacerdotales impertiri, non tamen episcopales, quarum aliæ possunt simplicibus sacerdotibus delegari, aliæ vero non possunt; posse similiter ratione ordinis recepti a peccatis absolvere, prædicare, et baptizare, accedente tamen jurisdictionis communicatione quoad primum, et venia Episcopi quoad secundum,

et tertium: nam soli Parochi inter Sacerdotes possunt hæc jure ordinario in sua parochia peragere, quia legitimam ad hoc habent missionem, qua cæteri sacerdotes carent (2). Denique verbum *præesse* indicat honorem sacerdoti tribuendum maxime in Ecclesia.

(1) Sacrificium quotidie sacerdotes possunt offerre, excepto triduo mortis Domini, nisi a proprio episcopo suspendantur, vel ad alias diœceses sine litteris commendatitiis se conferant, quo casu ad celebrandum, vel ad sacramenta ministranda non sunt admittendi ex decreto Tridentini in sess. 23, c. 16, de ref.; quod inductum est ut fraudes vitentur, et ut criminosi nequeant aliorum diœcesibus obesse. Quæri hic potest, an Ordinarius, ad cujus diœcesim accedunt sacerdotes exteri, queat eos a S. Sacrificio celebrando hac de causa repellere, quia exteri sunt, et ad diœcesim non pertinent? Respondemus, Gregorium XVI, hanc quæstionem examinandam Congregationi Cardinalium commisisse, a qua fuit decisum, hanc praxim repellendi extraneos non esse in jure fundatam; immo regulis canonicis omnino contrariam ob gravia mala, quæ possunt hinc derivare, nisi motiva rationabilia repulsam consulant, et ita observari mandatum fuit in epistola encyclica ad omnes archiepiscopos 17 decemb. 1839. Anal. Jur. Pont. ser. 5, pag. 1550. — (2) Missio enim est necessaria, dicente D. Paulo: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Ad Rom. c. 10; quod confirmat Lucius Papa III, in cap. 9, de hæret.

117. Diaconatus est ordo sacer, quo confertur potestas immediate assistendi Sacerdoti in Missa, legendi Evangelium, et prædicandi. Diaconi numero septem ab Apostolis electi fuerunt, nedum ut communibus fidelium mensis assisterent (1); sed etiam ut sacris ministeriis deservirent. Propterea Diaconi officia describit Pontificale Romanum his verbis: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, et prædicare* (2). Verbum *ministrare* importat, Diaconum debere Episcopo, et Sacerdoti celebranti assistere, Pixidem et Ostensorium cum SS. Eucharistia deferre, non vero communionem præbere, nisi fiat ex commissione Sacerdotis, et in gravi necessitate, ut si desit Sacerdos, et populus sit communicandus (3). Verba deinde *baptizare* et *prædicare* ita sunt intelligenda, ut possit etiam solemniter baptizare, sed tantum de licentia parochi, aut in gravi necessitate (4), et ut possit prædicare cum superioris venia (5), quod prædicationis munus scimus exer-

cuisse primos Diaconos ab Apostolis electos, ac præsertim SS. Stephanum, et Philippum (6).

(1) Ita constat ex cap. 6. Act. Apost. — (2) Hoc confirmatur in can. 1, dist. 25. — (3) Can. 18, dist. 93. — (4) Can. 13, dist. 93. — (5) Can. 2, dist. 92, et can. 19, c. 16, q. 1. — (6) Cap. 8, Act. Apost. Ex his Pontificalis Romani verbis deducendum videtur, Diaconorum officium esse solum ad spirituale bonum ordinatum; sed ex historia comperimus, alia quoque veluti accessoria primis Ecclesiæ sæculis fuisse Diaconis officia commissa. Ipsi plane fidelium oblationes accipiebant, et eos corripiebant, qui in ecclesia se male haberent: unde in Constitutionibus Apostolicis lib. 2, cap. 57, sic reperimus scriptum: « Si quis repertus fuerit, qui sedeat loco non » decenti, increpetur a Diacono, tamquam a nauclero.... Diaconus » speculatur populum, ne quis murmure obstrepet, dormitet, aut ri- » deat, aut nutus faciat. Oportet enim in Ecclesia stare sapienter, » sobrie, vigilanter, auribus ad verbum Domini intentis. » Ipsi vigiles adstabant in populo, et crimina denunciabant episcopo, ex quo archidiaconi *oculi* episcoporum fuerunt dicti; ipsi demum præcipuam curam gerebant infirmorum, pauperum, pupillorum, viduarum, confessorum, et martyrum, quibus necessaria suppeditabant ex thesauro episcopi, cui veluti thesaurarius archidiaconus præerat, ex quo factum est, ut loca pro miserabilibus personis constituta *Diaconiæ* apellarentur.

118. Subdiaconatus est ordo sacer, quo traditur potestas ad altare ministrandi Diacono, et legendi Epistolam in Missa (1). Olim ordo sacer non erat; nam Ecclesia primitiva inter ordines sacros recensebat tantum Presbyteratum, et Diaconatum, ut confessus est Urbanus I (2) qui Pontifex creatus fuit anno 226. Inde Pelagius II qui creatus fuit Pontifex anno 578, duas edidit constitutiones, quibus Siciliæ Subdiaconos, juxta morem prius in Romana Ecclesia introductum, ad continentiam observandam adstringebat (3). Has constitutiones ita confirmavit Gregorius Magnus Pelagii successor, ut Subdiaconi, qui se non continuissent, non possent amplius altari ministrare, et ut deinceps nemo amplius in Subdiaconum ordinaretur, qui prius non promisisset se caste victurum. Ex eo vero tempore, quo lex cælibatus Subdiaconis imposita fuit, Subdiaconatus inter ordines Sacros in Ecclesia occidentali cæpit recenseri, et talis imposterum semper habitus fuit. Revera Urbanus II, qui fuit ad Pontificatum assumptus

anno 1088, inter ordines Sacros Subdiaconatum enumerat (4). Probatur quoque ab Innocentio III, qui loquens de Subdiaconatu ita ait: *Licet sacer ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva; tamen a constitutione Gregorii, atque Urbani, secundum moderna tempora sacer gradus esse minime dubitatur* (5). Demum Tridentinum inter majores ordines Subdiaconatum retulit (6).

(1) Can. 1, dist. 25. — (2) Can. 4 dist. 60. — (3) Can. 2, c. 27, q. 3, et Gloss. in can. 1, dist. 31. — (4) Can. 11, dist. 32. — (5) Cap. 7, de serv. non ord. — (6) Sess. 23, can. 2. Subdiaconi, cum sacrum habeant ordinem, ad horas canonicas recitandas tenentur.

119. Inter eos postmodum, qui minoribus tantum ordinibus sunt initiati, primum locum obtinent Acolyti, qui ita appellantur, quasi sint apparitores, aut pedisequi Episcoporum. Horum officium in eo versatur, quod urceolos ad altare, et candelabra deferant, quod luminaria accendant, et Subdiacono ministrent. Eos proxime sequuntur Exorcistæ, quorum munus est malos expellere spiritus, ne animabus in spiritualibus præsertim noceant; quod tamen exercere solemniter absque Episcopi licentia nunc temporis nequeunt. Succedunt demum Lectores, qui deputantur ad Scripturas in Ecclesia extra Missam legendas; et Ostiarii, qui constituuntur ad Ecclesiam aperiendam, claudendam, et custodiendam, ad quam fideles dignos admittere, et indignos repellere debent (1).

(1) S. De Ligorio in Moral. 1, 6, n. 735 et seqq.

120. Ultimo loco hic est recensenda Tonsura, quæ est præparatio, et dispositio ad ordines. Qui sic fuerunt initiati tenentur ad coronam in capite, et habitum clericalem deferendum, et hæc consequuntur jura: 1° transferuntur in album clericorum; ideoque eximuntur ab jurisdictione fori civilis, seu acquirunt privilegium fori; 2° juvantur privilegio canonis, ita ut eos injuste et graviter percutiens excommunicationem incurrat Papæ reservatam; 3° fiunt capaces ad beneficia ecclesiastica obtinenda; 4° redduntur apti ad ecclesiasticam jurisdictionem exercendam.

TITULUS XIII.

DE SUMMO PONTIFICE.

SUMMARIUM: 121. Quibus nominibus designetur Summus Pontifex, et quas gerat personas? — 122. Summo honore, et amore colendus ab omnibus. — 123. Ex jure divino Primatum habet in universa Ecclesia honoris, et jurisdictionis. — 124. Consectaria hujus Primatus. — 125. Procedit potestate ordinaria, vel absoluta. — 126. Utitur consilio Cardinalium, a quibus eligitur.

121. Ad maximam dignitatem, et jurisdictionem Summi Pontificis significandam, pluribus Ipse distinguitur honorificentissimis appellationibus: dicitur etenim Pontifex Maximus, Episcopus Episcoporum, Doctor orthodoxæ et immaculatæ fidei, Magister omnium Christianorum, Pater Sanctus, Pater Beatissimus, Pater Patrum, quod indicat vocabulum *Papa*, D. Petri Successor, et Vicarius Christi. Interim ipse demisissime se nominat Servum Servorum Dei.

Summus Pontifex non unam, sed plures refert personas: nam est Princeps, Caput, et Centrum universalis Ecclesiæ, Patriarcha Occidentis, Primas Italiæ, Metropolita provinciæ Romanæ et Episcopus urbis Romæ. Est etiam in temporalibus Supremus totius Ditionis ecclesiasticæ Princeps et Rex, qui more cæterorum Principum et Regum summo potitur imperio, quod sive procedat ex consensu populorum, sive ex Principum donationibus (1), sive ex diuturna præscriptione, sive ex onerosis contractibus, adeo est in eo solidatum, ut nemini æquius, et potius competat, vel competere possit (2).

(1) Can. *Constantinus* 13, dist. 96. — (2) Hac de re audita tandem est vox Pontificis invictissimi Pii IX, tamquam tonitrui magni, quæ omnem pervasit terram, quæque, justitiam, convenientiam, et necessitatem regni temporalis in summo Ecclesiæ Pontifice declaravit, ut nulli subjectus humanæ potestati liber omnino sit, et capax universalis regendæ et gubernandæ Ecclesiæ. Hæc vox omnes excussit episcopos, et omnes ferventiores fideles, qui unanimes eamdem regni temporalis necessitatem agnoverunt, et professi sunt. Plurimæ

pro ea necessitate adstruenda in lucem prodierunt eloquentissimæ lucubrationes, ex quibus eadem necessitas maxime his luctuosissimis temporibus evidenter demonstratur. Providentia sane divina sapientissime disposuit, ut Papa a decem jam sæculis temporali regno adversus infernas sectas muniretur, eoque spiritualis suæ potestatis munimento frueretur, quia necesse est ut Papa sit tutus et securus in suo regno, et independens a quocumque Principe, et ut supremum etiam in temporalibus habeat honorem, et vim ac potestatem, ne Ecclesia in suis visceribus a virulentis hæreticis vitietur. Bul. *Nullis certe verbis,* 19. Januarii 1860, et Bul. *Quanta cura,* 8 decembris 1864, et Syllabus, in qua sequentes damnantur propositiones: *De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.* Syllab. prop. 75. *Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem, felicitatemque vel maxime conduceret.* Ibid. prop. 76. *Romanus Pontifex potest, ac debet cum progressu, cum liberalismo, et cum recenti civilitate sese reconciliare, atque componere.* Ib. prop. 80; quod idem esset, ac componere Christum cum Belial.

122. Idcirco S. Pontifex maximo honore et amore colendus ab omnibus Christianis cujuscumque status et conditionis: *Si enim,* aiebat S. Gelasius ad Anastasium, *cunctis generaliter Sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium colla convenit submitti; quanto potius sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus Divinitas Summa voluit præeminere? — Quis enim,* ut observabat S. Symmachus Papa, *Sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo si desunt bona acquisita per meritum, sufficiunt, quæ a loci decessore præstantur* (1). Nil proinde mirum esse potest, si illum adoramus, et exosculamur in pede (2).

(1) Can. 1, dist. 40. — (2) Gloss. in Extrav. *Quorumdam* Joannis XXII, de verb. signif. verb. *oscula.*

123. Ex jure divino habet S. Pontifex in universa Ecclesia Primatum honoris et jurisdictionis. Et sane habuit hunc Primatum D. Petrus, quod demonstratur ex declaratione Christi ædificandi super ipsum Ecclesiam suam: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam;* ex traditione clavium regni cœlestis cum fide habendi ratum in cœlis quidquid ipse ligasset, aut solvisset in terris: *Et Tibi dabo claves regni cœlorum;* (1) ex

præcepto pascendi fideles ter Petro repetito: *Pasce agnos meos, pasce oves meas;* (2) ex oratione pro fidei stabilitate, et ex mandato confirmandi fratres: *Ego rogavi pro Te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (3). Neque hujus primatus immemor fuit D. Petrus, aut sancti Evangelistæ: nam ipse exurgens in medio fratrum proponebat definienda, et primus sententiam ferebat (4). Evangelistæ vero collegium Apostolicum referentes vel solum Petrum nominant, vel Petrum ante omnes recensent. Ex quibus omnibus palam evincitur, Petrum fuisse a Christo constitutum cum honoris prærogativa et officio potestatis, senatus Apostolici et Ecclesiæ universæ Principem (5). (A)

At vero primatus Petro concessus in reliquos descendit Summos Pontifices Petri successores: nam unam Christus fundavit Ecclesiam perpetuo duraturam; sed unitas, et perpetuitas sine capite haberi non potest. Hoc ipsum liquido eruitur ex concilio generali Lateranensi II, in quo ita definitum reperimus: *Ipsa Sancta Romana Ecclesia summum principatum super universam Ecclesiam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum Principe, sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter, et humiliter recognoscit; sic si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones suo debent judicio definiri.* Idem eruitur ex concilio generali Florentino, quod hæc habet: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem, et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, gubernandi Ecclesiam universalem a Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis æcumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur.* Hoc ipsum jugiter tenuit traditio, et prædicarunt Sancti Ecclesiæ Patres, et alia conciliorum decreta confirmarunt. Ergo Summus Pontifex in universa Ecclesia ex jure divino primatum gerit nedum honoris, sed et jurisdictionis (B).

(1) Matth. c. 16. — (2) Joan. c. 21. — (3) Luc. c. 22. Hoc ulterius erui potest ex eo, quod Christus pro se et pro Petro tantum, voluit solvi tributum ex statere in ore piscis mirabiliter invento. Matth. c. 17, v. 26. — (4) Act. Apost. c. 1 et 15. — (5) Ideo antiqua exstat traditio, juxta quam solus Petrus ab ipso Christo baptismum, et ordines recepit; reliqui vero Apostoli hæc sacramenta a Petro habuerunt; sed hæc traditio non satis videtur firma. Phillips l. 1, § 24. — (6) De his videndus Devoti in Inst. jur. can. in proleg. Cap. 2. Propterea non est summus Pontifex caput Ecclesiæ ministeriale, ut quidam effutiunt; sed verum; non est tantum caput Ecclesiæ per orbem dispersæ; sed est caput Ecclesiæ in concilio etiam generali congregatæ, cum ex demonstratis jure divino plenum primatum habeat super universos Christi fideles laicos, et clericos, Episcopos, et Patriarchas, cumque repugnet, eum qui est caput Ecclesiæ distributive sumptæ, per Ecclesiæ collectionem in aliud membrum mutari. Neque Christus, ut somniatus est Richerius, claves et jurisdictionem tradidit prius et immediate Ecclesiæ, quam Petro; sed primo et immediate Petro, ut ex allegatis patet. Card. Soglia Inst. Jur. publ. § 13. Proinde summus Pontifex non habet tantum potestatem extraordinariam supplendi Episcoporum negligentiam, et solummodo in casibus extraordinariis, quando unitas et salus Ecclesiæ periclitatur, ut quidam sibi falso persuadere conati sunt; sed habet potestatem ordinariam, et in ea summum principatum tum supplendi, tum directe et principaliter agendi, tam in casibus extraordinariis, quam in cursu ordinario gubernationis et reformationis omnium, quæ ad Ecclesiam pertinent. Et sane, ut aiebat facultas Theologica Parisiensis anno 1683: *Manifeste falsa, atque etiam catholicæ doctrinæ adversa eorum opinio est, qui docent, Pontificem nihil in Ecclesia posse, præterquam in casibus extraordinariis, ad supplendam aliorum negligentiam.* Card. Soglia l. cit. § 17 (**C**).

(**A**) Primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe Beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse, docuit et definivit Concilium Oecum. Vaticanum sess. IV. Constit. *Pastor Aeternus* cap. 1 his verbis: « Si quis dixerit Beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput; vel eumdem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit. »

(**B**) Perpetuitatem primatus Beati Petri in Romanis Pontificibus item definivit Concilium Oecum. Vaticanum loc. cit. c. II his verbis: « Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut Beatus Petrus in primatu supra universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse Beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit. »

Postea vero, initio capitis III huius Constitutionis, innovavit definitionem Concilii Florentini supra relatam.

(C) Hæc similiter idem Concilium Vaticanum definivit loc. cit. cap. III. « Docemus et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quæ vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis, veraeque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest. »

124. Ex hujus primatus natura sequitur, primo, Summum Pontificem in terris nullum habere superiorem, nisi Deum, a quo immediate potestatem obtinet, et cujus judicio ipsius causa reservatur. Cum vero nullum habeat superiorem, a nemine potest deponi, puniri, aut judicari. Ideo in causa Marcellini Papæ concilii Patres dixerunt: *Prima sedes non judicabitur a quoque* (1); *neque ab Augusto, neque a clero, neque a populo judex judicabitur* (2): neque a concilio generali judicari potest summus Pontifex (3). (A)

Ob eamdem rationem Summus Pontifex ex vi coactiva a legibus humanis positivis non devincitur ad pœnam incurrendam in ipsis statutam, et idcirco pœnam censuræ, aut irregularitatis non incurrit: sed ex vi directiva ad evitandam culpam justas leges servare et ipse tenetur, quin quod quisque juris statuit in alterum, ipse eodem uti debet: nam licet nemo a se ipso cogatur; tamen a se ipso quisque dirigitur, et obligatur ad bonum sequendum, malumque vitandum (4).

Sequitur secundo, Summum Pontificem posse in omni jure ecclesiastico ex justa causa dispensare: quia regula est, legislatorem, vel ejus successorem in sua lege, vel in lege antecessoris sui posse dispensare, cum ejus sit solvere, cujus est ligare; quod probatur ex sententia Innocentii III, qui de sua auctoritate ita sententiam profert: *Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare* (5). Non tamen potest in jure divino absoluto, et de se omnes obligante dispensare: non enim

superioris lex per inferiorem tolli potest, quam hic nedum aliis observandam, sed et sibi custodiendam debet proponere, et usque ad animam, ac sanguinem confirmare (6). Nihilominus ipsas leges divinas potest, et debet interpretari, et declarare; etenim aliter Ecclesiam rite gubernare, ovesque Christi per vias justitiæ, et veritatis deducere nequiret (7).

Sequitur tertio, Summum Pontificem esse supremum judicem universæ Ecclesiæ in omnibus causis fidei et morum, ad quem sunt deferendæ omnes gravioris momenti quæstiones (8), et omnes ex toto orbe appellationes (9), ut historia omnium sæculorum abunde demonstrat; cujus judicium absolutissimum est, a quo non admittitur appellatio ad Christum, quæ hæresim videtur sapere, quasi Pontifex Christi non esset Vicarius et cum eo non haberet in terris idem tribunal. Similiter ab ipso non admittitur appellatio ad concilium œcumenicum, quæ in bulla *Cœnæ* sub pœna reservati anathematis est proscripta (10). Unde Summi Pontificis judicio in ipsismet fidei definitionibus animo et opere, sive vere positive, debent adhærere omnes Christi fideles, qui ab inobedientiæ scelere non liberantur per monstruosum illud religiosum silentium, quod malesuadi Janseniani excogitarunt.

Sequitur quarto, Summum Pontificem habere potestatem ferendi leges in rebus ecclesiasticis obligantes omnes fideles in qualibet mundi parte existentes, jam latas abrogandi, vel secundum justitiam temperandi; quæ potestas etsi data homini, et exerceatur inter homines, non humana, sed divina esse videtur, utpote quæ ore divino Petro data fuit, cui, qui resistit, Dei ordinationi resistit (11).

Sequitur demum quinto, Summum Pontificem habere auctoritatem, et jurisdictionem supra omnes Episcopos, et Patriarchas, ita ut ad ipsum spectet diœceses erigere, earum fines statuere; Episcopos creare, ordinaria tantum, vel etiam extraordinaria jurisdictione augere, a semita justitiæ aberrantes ad officium revocare, inobedientes punire, et, si opus fuerit, deponere; nam ipsi a Christo commissa est cura nedum omnium ovium, sed et omnium pastorum, ut haberi posset unus omnium pastor, et una fides.

(1) Can. 7, dist. 21. — (2) Conc. Rom. sub Sylvestro cap. 20. — (3) Bul. *In minoribus* Pii II, et cap. 4, de elect. — (4) Unde sapienter dixerunt Imperatores Theodosius, et Valentinianus, cum hanc emiserunt sententiam: *Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri.* L. 4, cod. de leg. — (5) Cap. 4 de conces. præb. Hæc facultas adeo Pontifici competit, ut etiam octava generalis synodus plures dispensationes a Pontifice flagitaverit pro his, qui Photio adhæserunt, ita ut ipsum Basileense concilium hanc potestatem in Pontifice agnoscat, et probet. Card. Soglia d. l., § 24. — (6) Can. 6, c. 25, q. 1. — (7) Reiffenstuel de const. n. 457. — (8) Quæ sint hæ gravioris momenti quæstiones explicat Glossa in cap. 4, de offic. leg. verb. *reservata.* — (9) Benedictus XIV, de Synod. l. 4, c. 5, n. 1. — (10) Huic bullæ adjungendæ sunt aliæ, ut bul. *Execrabilis* Pii II, et bul. *Suscepti regiminis* Julii II, an. 1509, et bul. *Apostolicæ Sedis* Pii IX an. 1869. — (11) Ita sancitum, vel renovatum fuit in Extrav. *Unam sanctam* de major. et obed. inter communes.

(**A**) Et etiam hæc definita sunt in eodem Concilio Vaticano loc. cit. cap. III. « Et quoniam Divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; Sedis vero Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad œcumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

« Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit. »

125. Præter huc usque recensita alia plura sunt capita potestatum, quæ per solum Summum Pontificem explicantur: ipse enim solus concilium generale indicit, novos ordines religiosos probat, et jam probatos quandoque supprimit; ipse solus Missale, et Breviarium recitandum clericis proponit, indulgentias plenarias concedit, et insignes pietate viros Beatorum, vel Sanctorum albo adscribit (1), et alia similia solus peragit, vel quia reservata, vel quia suapte natura per alium expediri non possunt.

In negotiis expediendis Summus Pontifex utitur potestate ordinaria, vel potestate absoluta, quæ appellatur etiam *plenitudo potestatis*. Utitur prima, cum juris positivi dispositionem retinet, ut si beneficium erigat, vel probet ordinem Religiosum: utitur altera, cum jus positivum humanum non servat, ut si in jure dispenset, vel ipsum auferat jus; quæ proinde ita definitur a Baldo: Plenitudo potestatis est « arbitrii plenitudo nulli necessitati subjecta, nullisque juris publici regulis limitata ». Hac tamen Pontifex non præsumitur uti, nisi clausulam opportunam novæ dispositionis indat, ex. gr.: *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis; vel de Apostolicæ Sedis plenitudine.*

(1) In causis Sanctorum plerumque duplex est processus, alius qui *Beatificationis*, et alius qui *Canonizationis* dicitur. In beatificatione decernitur alicui Dei servo cultus et honor Beatorum pro peculiari aliqua diœcesi, aut Provincia, vel Ordine Regulari. In canonizatione vero decernitur idem cultus et honor pro Ecclesia universa, et nedum Beatus, sed Sanctus declaratur. Olim beatificatio pro sua diœcesi licebat etiam Episcopo, cui nunquam licita fuit canonizatio. Gonzales in cap. *Audivimus* 1, de reliq. et ven. Sanct. Hodie autem utraque est Episcopo interdicta ab Urbano VIII, in bul. *Sanctissimus Dominus* an. 1625, et quidem merito: nam causæ beatificationis, et canonizationis Sanctorum nedum graviores, sed et gravissimæ causæ sunt summo Pontifici reservatæ.

126. Summus Pontifex in gravioribus definiendis, ut cautissime procedat, Cardinalium consilium solet adhibere sub hac formula: *De Fratrum nostrorum consilio;* vel: *Habita cum Fratribus nostris, et sancto consilio deliberatione*, vel alia simili. At hoc ex decentia, non ex necessitate fit, ut æquitas definitionis quodammodo demonstretur, et non, ut auctoritas definiendi requiratur.

Jure novo Summus Pontifex eligitur a Cardinalibus, ut in sequenti titulo videbimus, et electus in Pontificatu manet usque ad mortem, nisi se ab eodem dimittat, ut in maximæ humilitatis exemplum S. Cœlestinum V fecisse cognoscimus (1).

(1) Cap. 1 de renunc. in 6. Illud in controversiam venit, an Summus Pontifex queat sibi successorem eligere? Sed negativa sententia verior et communior: nam si Pontifex sibi successorem eligeret, hic actus nimium turbaret, et immutaret Ecclesiæ statum, atque vim

ex eo tempore acciperet, quo Papa non est amplius Papa, nempe post ejus mortem, ac proinde defectu potestatis non valeret. Præterea S. Pontifex amplissima, et plenissima fruitur potestate in iis, quæ ad ejus officium referuntur; at eligere successorem non pertinet ad actuale officium Pontificis, qui, cum sit sponsus Ecclesiæ universalis, non minus perperam agere videretur ei novum eligendo sponsum, quam sponsus post mortem suam alterum suæ uxori decernendo maritum. Fagnanus in cap. *Accepimus* de Pact. n. 16 et seqq.

TITULUS XIV.

DE CARDINALIBUS ET LEGATIS S. PONTIFICIS.

Summarium: 127. Cardinales qui, et quomodo instituti? — 128 A solo Pontifice Romano creantur. — 129. Habent præcedentiam supra episcopos. — 130. Eorum officium, et potestas. — 131. Eligunt S. Pontificem. — 132. Regunt Congregationes a S. Pontifice institutas. — 133. Ecclesias sibi commissas administrant. — 134. Qui sint Legati? — 135. Legati nati. — 136. Legati missi, sive nuntii Apostolici. — 137. Legati a Latere. — 138. Legatorum auctoritas, et quomodo cesset?

127. Ad eamdem cum Romano Pontifice causam referuntur Cardinales et Legati, quorum illi in proprio officio adjuvant, hi vero Pontificem repræsentant. Cardinales ita vocati esse videntur a cardinibus, quatenus sunt clerici alicui ecclesiæ adfixi, et perpetuo destinati, ut ad instar cardinum, super quos valvæ moventur Ecclesiæ, sint stabiles, immobiles, ipsamque Ecclesiam regant. Quapropter ex eorum institutione clerici Cardinales opponebantur clericis coadjutoribus, commendatariis, visitatoribus, quorum relatio cum Ecclesia erat temporaria.

Clericos Cardinales primum habuit Ecclesia Romana cæterarum mater et magistra: nam a primis Ecclesiæ sæculis Pontifices habuerunt Presbyterium, vel Senatum ex presbyteris, et diaconis compositum. Erant quidem Romæ primum viginti quinque, et inde viginti octo Ecclesiæ principales, quibus præerant totidem presbyteri; erant similiter primum septem regiones, et deinde quatuordecim, in quibus totidem diaconi pro pauperibus et infirmis hospitalia habebant. Jam vero ex his diaconis, et pre-

sbyteris Ecclesiæ incardinatis efformabatur Pontificis Presbyterium, qui postmodum diaconi, et presbyteri Cardinales appellati sunt. Sequentibus temporibus in Presbyterium Pontificum accesserunt sex Episcopi Romæ viciniores, et factus est integer ordo Cardinalium ex Episcopis, Presbyteris, et Diaconis.

Exemplum Ecclesiæ matris ac magistræ aliæ sunt sequutæ, ut Ecclesia Mediolanensis, Neapolitana, etc., quæ proprios habuerunt clericos Cardinales. Sed hoc non officit, quominus Cardinales Ecclesiæ Romanæ cæteris Cardinalibus aliarum inferiorum Ecclesiarum gradu et dignitate semper præstiterint. Verum decursu temporis illud factum est, ne aliarum Ecclesiarum clerici amplius nominarentur Cardinales, et idcirco hoc nomen proprium et exclusorium Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus reservatum fuit (1).

(1) Cardinales nominati inveniuntur ab anno 324 in Synodo Romana, post conversionem imperatoris Constantini, a S. Sylvestro celebrata, in qua ita legitur: *A Subdiacono usque ad Lectorem omnes subditi sint Diacono cardinali.* Sed eorum numerus tamdiu fuit incertus, donec a Sixto V in sua bulla incipiente *Postquam vero* an. 1586, fuit statutum, omnes simul cardinales nullo unquam tempore excedere posse numerum septuaginta, ad exemplum septuaginta seniorum, quos ex Domini mandato ad populum gubernandum secum assumpsit Moyses: et ita distribuuntur, ut sex sint Episcopi, quinquaginta Presbyteri, et quatuordecim Diaconi.

128. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales a solo Pontifice queunt creari (1), qui quantum commode fieri potest, ex omnibus Christianitatis nationibus idoneos et lectissimos viros assumere debet. Idonei autem habentur illi, qui inter clericos iis præcellunt qualitatibus, quæ pro Episcoporum institutione sunt a sacris canonibus præscriptæ (2).

(1) Item solus Pontifex creatos cardinales deponere potest tam in concilio, ut fecit Leo IV contra cardinalem tituli Beati Marcelli. Cap. *Ex gestis* 2 de cler. non resid., quam per se absque concilio, ut fecit Bonifacius VIII contra cardinales Jacobum et Petrum De Columna. Cap. unic. de schism. in 6; et ut novissime fecit Pius VI contra cardinalem Stephanum Carolum De Lomenie de Brienne an. 1791,

ut patet ex documentis editis a Theiner n. 35, et ex bulla *Vobis qui* ejusd. Pont. an. 1791, ut in Bull. nov. tom. 9, pag. 73. — (2) Trid. Sess. 24, c. 1 de ref.

129. Disputatum diu fuit, an Cardinales præcedentiam supra Episcopos haberent, cum Cardinalatus officium sit, non ordo. Sed quæstionem abstulit Eugenius IV qui definivit Cardinales cæteros omnes in Ecclesia post S. Pontificem honore et dignitate præcellere (1): et quidem merito; nam Papæ coadjutores, et collaterales sunt, ut de ipsis aiebat D. Bernardus ad Eugenium III, his verbis: *Veniamus ad collaterales, et adjutores Tuos: hi seduli tui; hi intimi tui, eligendi de toto orbe, orbem judicaturi.* Insuper ex definitione Tridentini (2) Cardinales tamquam Papæ consiliarii ejus Senatum constituunt, quibus innititur universalis Ecclesiæ administratio. Merito itaque cæteris Episcopis præferuntur. Propterea pluribus privilegiis condecorati fuerunt, uti eligendi sibi confessarium, utendi altari portatili, ac fruendi rubro panno, rubro galero, et titulo *Eminentissimorum.*

(1) Bul. *Supernæ* ejusd. Pont. — (2) Sess. 25, c. 1, de ref.

130. Cardinalium munus præcipue versatur in adjuvando S. Pontifice in regimine universalis Ecclesiæ, in regenda Ecclesia suo viduata Pastore, in eligendo novo Pontifice, in regendis Sacris Congregationibus, quibus sunt addicti, et in administrandis Ecclesiis, quibus sunt incardinati.

Summum Pontificem adjuvant Cardinales præsertim in Consistorio, quo nomine intelligitur Cardinalium consessus, cui S. Pontifex præest. Consistorium, sic dictum quia simul consistit Papa cum Cardinalibus, duplex est, nempe ordinarium, et extraordinarium. Ordinario, quod dicitur etiam secretum, intersunt tantum Cardinales; extraordinario vero, quod est publicum et magis solemne, præter Cardinales assistunt alii Prælati, et ministri. In Consistoriis graviores Ecclesiæ causæ tractantur, et quædam majora beneficia conferuntur, quæ ideo consistorialia appellantur.

Ecclesiam suo viduatam Pastore ita regunt Cardinales, ut cito ei eligant Pontificem, ut intrusum forte in Papatu

etiam mediante anathemate excludant, ut duobus contendentibus de Papatu concilium generale convocent, quando ipsi contendentes convocare renuunt, et ut grande, vel evidens Ecclesiæ periculum leviter disponendo, assentientibus omnibus cardinalibus præsentibus, declinare studeant. De cætero collegium Cardinalium nihil eorum, quæ ad Pontificis potestatem, et jurisdictionem spectant, peragere valet; ac proinde nec creare Episcopos, nec creatos confirmare, nec beneficia conferre, nec alia similia facere potest, quia Pontificis potestas et jurisdictio in Cardinalium collegium non transit (1).

(1) Cap. *Ubi periculum* 3, § *Idem quoque* de elect. in 6, et Clem. 2, eod.

131. In Ecclesiæ primordiis Summum Pontificem eligebat clerus Romanus, testimonium quandoque ferente populo; sed ab antiquis temporibus hoc jus solidatum est in illis tantum de clero, qui Cardinalatus dignitate fulgent, modo saltem Diaconi sint, vel eligendi facultatem a Pontifice obtinuerint (1). Electio autem fieri debet in Conclave, pluribus adhibitis conditionibus, et solemnitatibus; et ut valida sit, saltem duæ tertiæ Cardinalium partes in eam debent consentire, juxta præscriptum in supra citatis, aliisque Constitutionibus Apostolicis.

(1) Hæc Pontificis eligendi forma jam ab anno 1179 firmata fuit: nam Alexander III in concilio generali Lateranensi III de consilio fratrum suorum, et sacri approbatione concilii statuerat, ut *ille absque ulla exceptione ab universali ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus* (cardinalium) *concordantibus electus fuerit, et receptus.* Cap. *licet de vitanda* 6, de elect. Si vero numerus cardinalium ita imminuatur, ut duo tantum reliqui sint, hi adhuc poterunt eligere, et unus poterit eligere alium. Immo si unus tantum reliquus sit, poterit eligere, modo se ipsum non eligat. Si denique omnes cardinales mortui sint, electio spectare videtur ad clerum Romanum, vel ad Concilium generale. Prima sententia ab Ab. Panormitano dicitur *tutior,* secunda *justior.* In cap. cit. *licet* de elect.

132. Cardinales regunt Congregationes a S. Pontifice institutas, quarum aliæ sunt ordinariæ, aliæ extraordinariæ; aliæ respiciunt ditionis Romanæ negotia, et aliæ negotia totius Ecclesiæ, uti est Congregatio *Indicis* super

librorum prohibitione, Congregatio *Concilii Tridentini* super dubiis, quæ oriuntur circa idem concilium, Congregatio *Episcoporum et Regularium* super omnibus fere negotiis fori ecclesiastici, exceptis iis, quæ ad fidem referuntur. Harum autem Congregationum decisiones magnam vim habent, et, cum fiant consulto S. Pontifice, obtinent vim legis (1).

(1) Ideo damnata fuit sequens propositio: *Apostolicæ sedis, Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt*. Syllab. prop. 12.

133. Demum Cardinales Ecclesias, quibus sunt addicti, ita administrant, ut magnam in iisdem exerceant auctoritatem in iis, quæ disciplinam ecclesiasticam, morumque correctionem respiciunt. Jurisdictionem tamen episcopalem, aut quasi episcopalem in iisdem non possunt exercere (1).

(1) V. Giraldus ad cap. *his quæ* 11, de major. et obed.

134. Reliquum nunc est, ut ad legatos progrediamur. Legatorum nomine illi intelliguntur S. Pontificis ministri, qui in partibus ab Urbe dissitis ejus vices agunt (1). Olim speciem quamdam legatorum præferebant Vicarii Apostolici, quo nomine intelligebantur quidam episcopi a S. Pontifice in provinciis deputati, ut suo nomine supra alios episcopos, et integram provinciam vigilantiam et jurisdictionem exercerent. Sed nunc inter fideles in usu sunt Legati, quorum tres habentur species: alii enim dicuntur Legati *Nati,* alii Legati *Missi* vel *Nuntii*, et alii Legati *a Latere.*

(1) Antiquissimus, et justissimus est Sanctæ Sedis mos mittendi Legatos præsertim ad Principes ad dissidia componenda, et ad negotia ecclesiastica tractanda. Antiquissimus est hic mos; nam ex historia comperimus Pontificis Legatos Bizantii morari consuevisse ad negotia ecclesiastica in ipsa urbe imperiali curanda, qui *Apocrisarii,* vel *Respondentes* appellabantur, quod S. Pontificis responsa publicarent, et executioni mandarent. Novel. 123, c. 25. Est etiam justissimus hic mos; nam cum ubique necessaria sit præsentia Pontificis, et ubique adesse non possit, justitia, bonumque Religionis exposcit, ut peragat per Legatos, quæ per se peragere nequit. Præsentia qui-

dem S. Pontificis necessaria est in conciliis generalibus, quibus, ut plurimum Pontifex nequit præesse per se. Proinde ad dicta concilia suos mittere solet Legatos, ut fecit S. Sylvester mittendo ad concilium Nicenum Osium Episcopum Cordubæ, et S. Cœlestinus, mittendo ad concilium Ephesinum S. Cyrillum, quemadmodum eorum conciliorum historia docet.

135. Legati Nati illi sunt, qui legationis munus propriæ dignitati adjunctum habent, quique in hoc perseverant, quousque dignitatem retinent, absque eo quod speciales Pontificis litteræ requirantur. Talis erant ex. gr. Archiepiscopus Cantauriensis in Anglia (1), et Archiepiscopus Remensis in Gallia (2), et alii.

(1) Cap. 1 de offic. legat. — (2) Cap. 13, qui fil. sint legit.

136. Legati Missi, vel Nuntii Apostolici sunt illi, qui a Pontifice ad Principes mittuntur, quique ad tempus solent officium legationis explere. Horum facultates pendent a Pontificis mandato, quod quandoque conceditur cum potestate Legati a Latere.

137. Legati demum a Latere sunt Cardinales, qui avulsi quodammodo a latere Pontificis, ab eo ad suas provincias, vel ad Principes mittuntur, penes quos ipsum Pontificem repræsentant. Apostolicis utuntur insignibus (1), et per receptas Pontificis Litteras tantam explicant auctoritatem, ut, ipsis præsentibus, alterius Legati auctoritas cesset (2).

(1) Cap. 23 de privil. — (2) Cap. 8, de offic. legat. Inter Legatos a latere et nuncios, qui mittuntur cum potestate Legatorum a Latere, hoc interest, quod illi ordinariam, isti delegatam habeant jurisdictionem.

138. Solitæ Legatorum facultates restrictæ plurimum fuerunt a concilio Tridentino, quod Legatis omnibus etiam a Latere vetuit, ne prætextu quarumcumque facultatum Episcopos in causarum cognitione turbent, aut contra clericos procedant (1).

Demum Legati Nati jurisdictionem ex se habent perpetuam; sed nunc adeo imminuta, ut vix dici possit, eam præter honoris prærogativam adhuc existere. Legati Missi, et Legati a Latere ob Pontificis mortem jurisdictionem

non amittunt, quia Ordinariis assimilantur; sed eorum auctoritas cessat: 1° morte ipsorum; 2° finito negotio, pro quo fuerunt dati; 3° finito tempore, ad quod jurisdictio fuerat communicata; 4° revocatione a Pontifice facta; 5° renunciatione a Pontifice acceptata; et 6° cessat, si provinciam sibi assignatam egrediantur animo in eam non amplius revertendi (2).

(1) Sess. 24, c. 20, de ref. Immo ordinariæ Legatorum facultates hodie huc fere reducuntur, ut invigilent, an omnia recte fiant in provincia sibi assignata, ut errores, et abusus S. Pontifici significent, ut informationem accipiant circa vitam et mores eorum, qui ad Episcopatum assumuntur, et ut repræsentent S. Pontificem penes sæculares Principes, eorumque internationalibus deliberationibus assistant. — (2) Nihilominus eorum decreta durant, et perpetuo observanda sunt; sic enim statuit Gregorius IX in cap. 11 de offic. Legat. *Nemini dubium esse volumus, quin Legatorum Sedis Apostolicæ statuta edita in provincia sibi commissa durant tamquam perpetua, licet eamdem postmodum sint egressi. Secus autem, si causas alicui duxerint delegandas, cum jurisdictio istorum expiret, si ante illorum discessum citatio non præcessit.*

TITULUS XV.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ET ARCHIEPISCOPIS.

SUMMARIUM: 139. Patriarchæ qui, et quot patriarchales sedes? — 140. Quæ Patriarcharum jura? — 141. Primates in occidente respondent Patriarchis in oriente, eorum tamen juribus imminutis. — 142. Archiepiscoporum institutio. — 143. Quid sit Pallium, a quo, et quando introductum? — 144. Pallium physice, et moraliter consideratum. — 145. Quid designet? — 146. Quando adhibendum? — 147. Quæ sint archiepiscoporum jura?

139. Patriarcha idem sonat ac Princeps Patrum, et episcopum refert, qui multis provinciis præest. Sedes Patriarchales primitus erant tantum tres in honorem præcipue D. Petri Principis Apostolorum institutæ, nempe Romana et Antiochena, quas ipse per se, et Alexandrina, quam per discipulum suum Marcum fundaverat. His Patriarchatibus deinde accesserunt Constantinopolitanus, et

Hierosolymitanus, quorum primus institutus fuit in honorem Imperii; secundus vero in honorem Religionis, ut ubi religionis mysteria consummata fuerunt, ibi major haberetur dignitatis ecclesiasticæ gradus (1). Sunt tamen et alii, qui nomine tenus Patriarchæ appellantur, uti Patriarcha Venetus, Patriarcha Indiarum; sed hi, vel Patriarchæ titulares, et honorarii, vel potius Primates sunt nuncupandi (2).

(1) Licet juxta hunc ordinem sedes Patriarchales post Romanam deberent esse Alexandrina, Antiochena, Constantinopolitana, et Hierosolymitana; tamen a concilio Lateranensi IV sub Innocentio III ita fuit statutum: *Ut post Romanam Ecclesiam, quæ, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis retinet principatum, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, et Hierosolymitana quartum locum obtineat.* Hæc prælatio sedis Constantinopolitanæ in honorem imperii requisita jam fuerat ab anno 451 a Patribus concilii Calcedonensis, quam tamen S. Leo noluit probare; et solum pro bono pacis an. 1215 in cit. Lateranensi concilio fuit probata, et postmodum a Benedicto XI confirmata. Extrav. *Sancta Romana*° de elect. int. com. — (2) Patriarcharum majorum institutio a D. Petro, et Apostolis repetenda est, quod indubitatum videtur, si de Romano, Antiocheno et Alexandrino Patriarcha sermo sit: nam ipse Petrus has Ecclesias fundavit et condecoravit. Ipse quidem Ecclesiam Antiochenam septem annis gubernavit; Romanam annis 25 et Alexandrinam per discipulum suum Marcum evangelistam administravit. Insuper celebritas ecclesiarum patriarchalium antiquissima est; neque in aliquo concilio harum ecclesiarum præeminentia primitus apparet constituta. At ex S. Augustini regula: *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum; sed semper retentum est; nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

140. Plura olim erant jura Patriarcharum; ipsi profecto Metropolitas ordinabant, appellationes a Metropolitis recipiebant, Episcopos provinciæ negligentes ad officium vocabant, graviorum culparum absolutionem sibi reservabant, aliaque plura faciebant, quæ ad totius provinciæ bonum regimen pertinebant. At nunc, cum quatuor orientis patriarchales sedes a barbaris nimium infeliciter occupentur, fere solus in effectu verus Patriarcha remanere videtur S. Pontifex, qui Romanæ Ecclesiæ, omnisque occidentis Patriarchatum gerit. Creantur quidem etiamnunc Romæ Patriarchæ orientales, ritus latini, ne memoria nobilissimarum Ecclesiarum pereat; sed ita e-

lecti, ut plurimum, nequeunt sedium possessionem capere, et ita absque jurisdictione remanent Patriarchæ titulares (1).

(1) Sub Pio Papa IX, novus electus Patriarcha Hierosolymitanus latini ritus ad suam sedem perrexit, et in sua provincia residet. Sunt quoque et alii Patriarchæ catholici variorum rituum in oriente, qui in suis sedibus resident. Benedictus XIV, bulla *Nuper ad nos*, episcopum Damascenum in Patriarcham Antiochenum deputavit.

141. Quamquam in Ecclesia occidentali unus sit Patriarcha; tamen per Pontificis concessionem quidam in ea fuerunt instituti Episcopi, qui orientis Patriarchis proxime responderent (1). Hi vicarii Apostolici, et Legati nati, et etiam Primates fuerunt dicti, quibus fuit inter alia concessum, ut possent in toto Primatu crucem anteferre, et appellationes ab Archiepiscoporum sententiis recipere. Sic in Gallia Lugdunensis Primas hoc jure fruebatur, ad quem a Metropolitarum Turonensis, Senonensis, et Parisiensis sententiis appellatio fuerat relicta (2). Denique ipse Lugdunensis Primas hoc jus amisit per concordatum anni 1801, Inter Pium VII et Napoleonem I, Galliæ consulem, et si hunc titulum adhuc servat, honoris tantum prærogativa est.

(1) Can. 1, dist. 80. — (2) Devoti Inst. Jur. Can. 1, t. 3, sect. 3, n. 38.

142. Archiepiscopus, ut nomen indicat, est omnium suæ provinciæ Episcoporum Princeps, qui dicitur quoque Metropolita, eo quod in urbe provinciæ Metropoli episcopatum gerat, jurisdictionemque exerceat in omnes Provinciæ Episcopos, qui *Suffraganei* vocantur. Hæc Archiepiscoporum institutio, et supra cæteros Episcopos prælatio Ecclesiæ bono vel maxime congruit, ut sit in provincia, qui dissidentes Episcopos componat, quique spiritum Ecclesiæ Capitis in membra diffundat: quam institutionem nonnulli a Petro et Paulo Apostolis repetunt, quod Paulus præsertim Titum supra omnes Episcopos in insula Cretæ creatos, et Timotheum supra omnes Asiæ Episcopos constituerit.

143. Archiepiscopi eodem modo, quo Episcopi creantur; sed illis datur Pallium, quod istis sine speciali privilegio non conceditur. Pallium communiter inspectum est quoddam vestimenti genus, quo Imperatores utebantur, quod ita dictum videtur, vel a pellibus, quibus est confectum, vel ex eo quod palam, id est super alias vestes defertur. Sed Pallium canonice consideratum est quoddam Sacrum insigne, quo utuntur Archiepiscopi, aliique Superiores Ecclesiæ præsules ad eorum jurisdictionem exprimendam ad exemplum summorum Sacerdotum veteris legis, qui in signum auctoritatis a Deo eis concessæ *Rationale*, et *Superhumerale* induebant (1).

(1) Cap. 28. Exod. Non satis constat inter eruditos a quo, et quo primum tempore hoc dignitatis ecclesiasticæ insigne fuerit institutum; at cum dignitatem ecclesiasticam referat, ab Ecclesia credendum est institutum, ut majores a minoribus præsulibus distinguerentur, cum præter pallium nulla sit inter episcopos, et archiepiscopos distinctio. Habemus ex epistola 22, lib. 2, S. Gregorii Magni ad universos Illyricos episcopos, ipsum Pontificem pallium concessisse Joanni electo episcopo Justinianeæ primæ, quæ civitas erat ab Imp. Justiniano in loco suæ nativitatis reædificata, quæque prima dicebatur ad distinctionem Justinianeæ secundæ ab eodem ædificatæ in insula Cypri in honorem conjugis suæ Theodoræ, quæ ibi ortum duxerat, ut videre est in vita Justiniani Digestis præposita. Habemus quoque Innocentium III Patriarchis orientalis ecclesiæ concessisse, ut postquam a Romano Pontifice pallium receperint, queant ipsi juxta antiqua privilegia pallium suffraganeis suis concedere, cap. 23 de privil.

144. Pallium Sacrum dupliciter potest considerari, nempe physice, et moraliter. Pallium physice sumptum nihil aliud est quam: *Fascia lanea candida tres circiter digitos lata, in modum circuli contexta, quæ humeros cingit, habetque ab utraque parte lineas in pectus, et in humeros impendentes cum sex sericis, nigrisque crucibus intextis, tribusque aciculis aureis consuitur et alligatur.* Pallium vero moraliter sumptum ita potest definiri: *Pallium est insigne ornamentum desumptum ex corpore D. Petri, et a S. Pontifice Archiepiscopis datum designans plenitudinem pastoralis potestatis, et Archiepiscopalis officii, quo Archiepiscopi certis tantum diebus, et intra Ecclesiam uti possunt.*

145. Pallium desumitur ex corpore D. Petri, quia ad

ejus altare a S. Pontifice Romæ consecratur, ut postea Archiepiscopo, instanter, instantius, instantissime infra tres menses a sua consecratione petenti, tradatur. Pallium designat plenitudinem pastoralis potestatis, et Archiepiscopalis officii, quia per ipsum, ut Doctores aiunt, particula pontificiæ potestatis confertur, et Archiepiscopus realiter efficitur. Nam ad archiepiscopatum electus, et confirmatus, et consecratus, ante receptionem Pallii Archiepiscopus dici, aut convocare concilium, aut conficere Chrisma, aut Basilicas dedicare, aut clericos ordinare, aut alia majoris jurisdictionis vel ordinis, facere nequit (1). Non tamen prohibetur ea, quæ ordinis sunt, alteri Episcopo delegare (2).

(1) Cap. 28, de elect. — (2) Cap. 11 eod.

146. Summus Pontifex pallio semper utitur, et ubique, quia assumptus est in plenitudinem potestatis; Archiepiscopus vero, aliique jus deferendi pallium habentes, eodem uti nequeunt, nisi in sua Ecclesia inter Missarum solemnia, et certis tantum definitis diebus, quia vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis (1). Pallium denique ita cohæret personæ, et loco, cui fuit concessum, ut nequeat alteri commodari, et extra provinciam deferri, ut si contingat, Archiepiscopum suæ dignitati renunciare, pallio amplius uti nequeat, et debeat novum pallium obtinere, si contingat Archiepiscopum ad aliam Metropolim transferri, ita ut cum suo pallio, vel palliis sit sepeliendus (2).

(1) Cap. 4, de auct. et usu pall. — (2) Cap. 4 eod.

147. Archiepiscopus post receptum pallium jura metropolitica supra Episcopos suffraganeos exercet, quæ olim multa et magna erant; nunc autem modica, et sequentia recensentur: 1° Potest et debet archiepiscopus ex jure suffraganeos episcopos ad concilium Provinciale quolibet saltem triennio habendum vocare, ad quod accedere quoque debent viciniores episcopi nulli archiepiscopo subjecti, ut quæ in concilio ordinata sunt obser-

vent, et observari faciant (1). 2° Potest ex jure suorum suffraganeorum diœceses visitare, postquam suam plene lustraverit diœcesim, et causa visitationis fuerit a concilio Provinciali cognita, et probata (2). Et cum visitationem absolvit, in suffraganeorum diœcesibus Crucem ante se defert erectam, benedictionem impertitur, pontificalia facit, aliaque plura exequitur, quæ ipsam visitationem respiciunt (3). 3° Potest appellationes a suffraganeorum suorum sententiis regulariter recipere, immo et querelas, et in Vicarios Generales eorum animadvertere, si jura metropolitica lædant, vel in officio delinquant (4), quod procedit etiam in prima instantia, ut S. Congregatio definivit (5). Idcirco non vetatur sua edere mandata in appellationis causa in suffraganeorum diœcesibus exequenda (6). Immo neque suspectus cum effectu a suo suffraganeo denunciari potest (7). 4° Potest suos suffraganeos, qui in propria Ecclesia residentiam negligunt, ad residendum compellere, et si qua justa sit absentiæ causa, eam debet probare (8). 5° Potest Vicarium Capitularem in sede suffraganei vacante constituere, si intra octo dies post obitum Episcopi a Capitulo viduatæ Sedis vel male, vel nullo modo eligatur (9). 6° Potest jure devolutionis beneficia conferre, quæ debito tempore per Episcopum collata non fuerint (10). 7° Potest œconomos in Ecclesiis pastoribus destitutis constituere, si Episcopus hoc non curet peragere (11). 8° Demum potest quandoque ea facere, quæ a suffraganeis suo tempore non fiunt, ut fusius tradunt Doctores (12).

Jure antiquo inter alia poterat Archiepiscopus, præcipue in concilio Provinciali, interdicti, suspensionis, et excommunicationis sententiam justa de causa in suum suffraganeum proferre. At majuscula hæc facultas fuit Archiepiscopis adempta per decretum Tridentini (13), in quo definitum fuit, causas episcoporum criminales majores, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, a solo Summo Pontifice; minores vero causas criminales in concilio tantum Provinciali, vel a deputandis per ipsum etiam in prima instantia posse cognosci, et terminari. Hoc autem decretum, quod clarum est de causis Episcoporum

criminalibus, silet omnino de civilibus. Argumentum itaque capiendum esse videtur, ad civiles causas non extendi, quæ proinde ut olim, ita nunc, ab Archiepiscopo poterunt cognosci, quemadmodum docet Engel, et Reiffenstuel (14), qui contrariam S. Congregationis declarationem a Barbosa productam non omittunt citare, de cujus veritate, aut apta applicatione vehementer dubitant. Idipsum docet quoque Monacellus, qui quæstionem per novas S. Congregationis decisiones sublatam demonstrat, ita ut Archiepiscopus in causis civilibus suffraganeorum possit in prima instantia cognoscere, quando Episcopus agit contra Episcopum, et quando subditus Episcopo agit contra ipsum Episcopum, si rejecto modo procedendi coram arbitris (15), via judiciali procedatur (16).

(1) Trid. sess. 24, c. 2, de ref. — (2) Trid. sess. 24, c. 3, de ref. Nihilominus si omnes episcopi in concilio provinciali archiepiscopi visitationem probarent, uno ex. gr. excepto, posset quidem archiepiscopus visitare omnium episcoporum consentientium diœceses, non vero diœcesim dissentientis, ut definivit S. Congregatio in causa Hiberniæ 29 novemb. 1687. Licet tamen archiepiscopus non visitet diœceses suorum suffraganeorum, potest suffraganeos episcopos in suis visitandis diœcesibus negligentes admonere, et compellere, ut statutis a jure temporibus proprio satisfaciant muneri. Auct. Anal. jur. pontif. ad an. 1853, pag. 521. — (3) At hæc visitatio in Italia in usu non est, et sine Apostolica commissione haberi non potest. De Luca in annot. ad S. C. Trid. disc. 6, n. 4. — (4) Cap. 1, et ib. Gloss. de offic. Vic. in 6. — (5) In una *Tarantina* 25 februarii 1642. Expedit tamen ut processum adstruat, et subscribat ipse archiepiscopus, si est in provincia, non ejus vicarius generalis, ad evitandam querelam nullitatis processus. — (6) Cap. 1 de offic. ord. in 6. Quæ executio fieri debet aut per episcopum ab archiepiscopo interpellatum, aut per executores archiepiscopales, qui executionis mandatum prius Ordinario ostendere tenentur. S. Congregatio in una *Turritana* 25 mart. 1708. — (7) S. Congregatio etenim pluries declaravit, non obstante allegatione suspicionis, archiepiscopum posse procedere. Monacellus tit. 15 for. 2, n. 12 et 13. — (8) Bul. Pii IV *De salute;* et Trid. sess. 23, c. 1 de ref. Si vero sedes archiepiscopalis vacet, hæc facultas competit episcopo provinciæ antiquiori. — (9) Trid. sess. 24, c. 16, de ref. — (10) Cap. 2, de concess. præb. — (11) Can. 3, c. 9, q. 3. — (12) Ad tit. de suppl. negl. præl. Insuper archiepiscopus potest in tota provincia, cum iter facit aut ad eam declinat, crucem ante se deferre, benedicere etiam solemniter populo per illa verba: *Sit nomen Domini benedictum, etc.,* divina officia privatim, vel publice ibidem audire, celebrare sine Pontificalibus, et celebrare facere in

sua præsentia. Clem. *Archiepiscopo* 2, de privil. et ib. Gloss. — (13) Sess. 24, c. 5, de ref. — (14) De major. et obed. n. 28 et de offic. jud. ord. n. 38. — (15) Ad formam can. 46, c. 11. q. 1. — (16) Monacellus tit. 15, for. 2, n. 11.

TITULUS XVI.

DE EPISCOPIS.

SUMMARIUM: 148. Episcopus quis: ejus denominationes, et gradus. — 149. Quis eligi possit in episcopum? — 150. Quomodo ex jure canonico constituendus? — 151. Quomodo ex concordatis? — 152. Episcopus quoad ecclesiam, et residentiam. — 153. Quoad evangelii prædicationem. — 154. Quoad sacramentorum administrationem. — 155. Quoad diœcesis visitationem. — 156. Quas possit visitare Ecclesias? — 157. Quomodo in visitatione procedere? — 158. Tenetur Synodum diœcesanam cogere, et statum ecclesiæ S. Pontifici referre. — 159. Habet potestatem ordinis, et jurisdictionis. — 160. Potestas jurisdictionis est ordinaria, vel extraordinaria. — 161. Habet subsidia procurationis, cathedratici, et charitativi. — 162. Nil in visitatione potest accipere præter procurationem, quæ etiam quandoque non debetur.

148. Episcopus nomen est, quod a græco fonte cadens a latinis interpretatur *Inspector*, quodque in civilibus Romanorum legibus eum significat, qui rebus ad victum quotidianum civitatibus, populisque necessariis præerat (1); in ecclesiasticis vero constitutionibus significat Ecclesiæ Præpositum, ut perspiciat, et speculetur populorum infra se positorum mores, et vitam (2). Unde juxta S. Augustinum Episcopus nomen est operis, non honoris, et non est Episcopus, qui præesse diligit, non prodesse (3).

Episcopus a S. Canonibus, et S. Patribus variis aliis nominibus designatur: dicitur enim Ordinarius, Ecclesiæ Pastor, Antistes, Præsul, Pontifex, Sacerdotum Princeps, Summus Sacerdos, Apostolorum Successor, et Vicarius Christi; nam a Spiritu Sancto positus est ad regendam Ecclesiam Dei sibi a Summo Christi Vicario assignatam, in qua plenam, et ordinariam exercet potestatem (4).

Gradus episcopalis quadripartitus est in Patriarchis, Primatibus, Metropolitis, et Episcopis (5). Sed ordo unus idemque est in omnibus Sacerdotii plenitudinem conti-

nens. Quare omnes Episcopi parem consequuntur in propria ordinatione potestatem; sed inter sese in gradu et potentia jurisdictionis juxta allatam partitionem distinguuntur (6). Præter episcopos, qui appellantur *residentiales*, quique habent propriam diœcesim, in qua resident, sunt et alii, ut *coadjutores* et *administratores*, quorum illi a Papa episcopis infirmis, aut impeditis, et hi diœcesibus vacantibus conceduntur (7): sunt etiam episcopi *Titulares*, qui ordinem habent episcopalem, sed carent jurisdictione, vel quia eorum Ecclesia occupatur ab infidelibus, vel quia episcopatui renunciarunt. Hi episcopi titulares, ex hodierna disciplina, quandoque dantur in adjutorium, sive in auxilium episcoporum residentium, qui ob morbum, vel diœcesis amplitudinem nequeunt ordinis potestatem rite exercere, ut pro iisdem ordinationes habeant, Confirmationis sacramentum administrent, aliaque episcopalis ordinis munia agant (8), qui appellari solent episcopi *Auxiliares*, aut etiam improprie Suffraganei; nam vere suffraganei sunt episcopi, qui in provincia archiepiscopo subjiciuntur (9).

(1) L. 18, ff. de muner. et honor. — (2) Can. 1, dist. 21. — (3) Can. 11, c. 8, q. 1. — (4) Trid. Sess. 23, c. 4, et can. 8. Proinde Episcoporum institutio est de jure divino, cum illis dixerit Christus: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Matth. 28. Episcopi primum obtinent hierarchiæ ordinis gradum; et ideo sunt sacerdotibus superiores, ut evidenter definivit Tridentinum anathema ferens in eos, qui contrarium auderent affirmare. Ibid. can. 6, 7, et cap. 4. Unde data Episcopis potestas nullo modo potest a civili imperio revocari, ut adstruere videtur propositio damnata in Syllabo sub n. 25. — (5) Can. 1, dist. 21. — (6) Hæc partitio a D. Petro dicitur facta: nam retenta divisione provinciarum ab ethnicis instituta, ipse in civitatibus, in quibus gentiles habebant primates Flaminum, constituit Patriarchas, vel Primates; in minoribus civitatibus, in quibus habebant Archiflamines, constituit Metropolitas, sive Archiepiscopos, et in aliis civitatibus constituit Episcopos. Can. 2, dist. 80, et can. 1, dist. 99. In pagis vero, et vicis numquam permissum fuit Episcopos instituere. Cap. 1, de privil. In his instituebantur Chorepiscopi, sive minores ministri, qui postmodum fuerunt ab Ecclesia suppressi. Can. 5, dist. 68. — (7) Benedictus XIV, de Synod. lib. 13, c. 14. — (8) Id. ib. lib. 2, c. 7. — (9) Episcopus auxiliaris potest esse canonicus, quo casu, relationes inter ipsum et Capitulum determinantur a decisionibus S. Cong. Rit. ut videri potest penes Doctores, et specialiter penes Bouix de Capitul. part. 4, cap. 13, § 1,

pag. 527, et penes Auctorem Analect. Jur. Pont. ser. 5, pag. 1016, et seqq. qui ultimum rei statum referunt.

149. Adeo ut quis in Episcopum assumi queat, requiritur: 1° ut propter vitam et mores sit veluti Angelus Dei in terris; 2° ut propter scientiam sit veluti lucerna lucens supra candelabrum; 3° ut propter zelum sit veluti sal terræ corruptionem impediens, vitamque omnibus tribuens (1); 4° ut propter ætatem jam annum trigesimum exegerit (2); 5° ut propter statum sit in ordine sacro saltem a sex mensibus, et S. Theologiæ, vel Juris Canonici laurea donatus (3), vel ex publico alicujus Academiæ testimonio idoneus (4); 6° demum ut propter defectum, vel delictum non sit irregularis, interdictus, suspensus, vel excommunicatus, neque plura incompatibilia beneficia absque Pontificis dispensatione possideat (5).

(1) Matth. 5. — (2) Cap. 7 de elect. — (3) Si quis quærat, an ad munus episcopale assumendus debeat esse potius theologus, quam canonista, vel vice versa, respondet Reiffenstuel referens eorum sententiam, qui sic distinguunt: aut agitur de diœcesi, in qua hæreses non sunt, nec timendæ, et canonista præfertur theologo, quia præcipua ejus cura erit in dissolvendis causis ecclesiasticis, ad quas habet idoneitatem canonista, non theologus; aut agitur de diœcesi, in qua pullulant hæreses et præfertur theologus canonistæ. Notat tamen cum S. Joanne a Capistrano, post Hostiensem, etiam in hoc secundo casu præferendum esse canonistam, cujus doctoratus mixtus est ex sacris canonibus, et sacra Theologia, quam Jus canonicum complectitur. Reiffenstuel in procem. jur. can. univ. n. 44, et seqq. — (4) Trid. sess. 22, c. 2, de ref. Scientia maxime in novo Episcopo attendenda, quæ si saltem sufficiens non sit, nedum non potest eligi, sed et electus est removendus, ut fecit Honorius III, in Episcopo Colinense, qui grammaticam non didicerat, nec Donatum legerat. Cap. 15, de ætat. et qualit., etc. — (5) Extrav. *Execrabilis* de præb. et dignit. int. com. Hic reticere non possumus monitum Clementis XIII, in sua Encyclica circa Episcoporum vitam, et officia, quod sic se habet: *Nec Christiani ultra aut durare, aut esse possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, aut insidias pertimescamus.* Bul. Barberi tom. 1, p. 27. Idem Pontifex alio loco hæc addit: *Erat hæc antiquitus provisio sanguinem pro Christi fide fundendi præparatio animi ad episcopale ministerium implendum:* Ex quo deducitur, quæ nunc debeat esse præparatio ad episcopatum, cum antiqua, et nova Ecclesiæ tempora assimilentur. Id. Bull. tom. 2, pag. 26.

150. Ex jure ad episcopatum ascensus patet per electionem, confirmationem, et consecrationem. Dum vitam agebant Apostoli, ipsi absolute in Ecclesiis Episcopos constituebant; sed his vita functis, varia fuit Episcoporum eligendorum forma: porro jure antiquo clerus cum populo suffragante, vel annuente, sibi Episcopum eligebat (1), cujus electionis formæ ea erat utilitas, ut merita dignoscerentur melius; sed illud erat incommodum, ut turbæ ære, vel auctoritate seductæ pro indignis tumultuarentur sæpius. Jure vero Decretalium soli Ecclesiæ Cathedralis Canonici sibi deligebant Episcopum, ut patet ex pluribus capitibus tituli Decretalium de electione; quæ electionis forma optima esset, si populi vitia non inficerent quandoque clerum. Demum ex Regulis Cancellariæ solus Pontifex Episcoporum constitutionem sibi reservat (2).

Similiter jure antiquo Episcoporum consecratio a Metropolita in Concilio Episcoporum provinciæ peragebatur, et quidem confirmationem antecedebat sedula morum, et electionis disquisitio, quæ si in essentialibus defecisset, electus a confirmatione, et ab electionis jure rejiciebatur; aliter post confirmationem a tribus saltem provinciæ Episcopis consecrationem recipiebat (3). Jure autem Sexti Decretalium Episcoporum confirmatio a solo Summo Pontifice fieri potest, qui solet tribus Episcopis electi, et confirmati consecrationem committere (4).

(1) Can. 13 dist. 61. — (2) Devoti Inst. can. l. 1, t. 5, sect. 1, § 10 et 11. Hoc confirmavit Pius VI, in suo Brevi 12 April. 1791, ad Gallos, ubi legitur: *Hæc conferendæ jurisdictionis potestas, ex nova disciplina jam a pluribus sæculis recepta, a conciliis œcumenicis, et ab ipsis Concordatis confirmata, ad Metropolitanos nullo modo potest attinere, utpote quæ illuc reversa est, unde discesserat, unica residet apud sedem Apostolicam.* — (3) Can. 6, dist. 61, et can. 1 dist. 64. — (4) Cap. 16, de elect. in 6.

151. At hæc per Concordata immutata sunt. Equidem quoad Germaniam Nicolaus V, in Concordia inita anno 1447, cum Friderico Imperatore, et Principibus Germaniæ, Capitulis Ecclesiarum Cathedralium concessit jus sibi eligendi Episcopum juxta Decretalium formam, ita tamen ut electi confirmatio ad Pontificem pertineret (1). Quoad

Galliam Leo X, in Concordia cum Francisco I inita Bononiæ anno 1516, eidem jus concessit nominandi Episcopos, qui deinde per Pontificem in Consistorio de episcopatu providerentur, quod renovatum fuit in Concordato anni 1801, inter Napoleonem et Pium VII (2). Quoad Regnum Sardiniæ præfatus Nicolaus V, Ludovico Duci promisit, se non provisurum ad Ecclesiarum Cathedralium regimen, *nisi habitis prius intentione et consensu* ipsius Ducis de personis idoneis ad hujusmodi regimen promovendis (3); Pius vero VI, Victorio Amedeo Regi *jus nominandi personas idoneas* ad Ecclesias cathedrales vacantes concessit (4).

(1) Bul. *Ad Sacram* Nicolai V, quæ nuperrime in utilitatem Ecclesiæ fuit explicata in Conventione inter Pium IX et Franciscum Josephum imperatorem Austriæ anni 1855, in qua sic dispositum fuit: *Majestas sua Cæsarea in seligendis episcopis, quos vigore privilegii Apostolici.... canonice instituendos præsentat, seu nominat, imposterum quoque Antistitum in primis cumprovincialium consilio utetur.* Cit. Conv. art. 19. — (2) In hoc Concordato primo Reipublicæ illius Consuli datur facultas nominandi Episcopos, reservata Pontifici eorumdem institutione. Id. Conc. art. 4 et 5. — (3) Uti habetur in ejus bul. *Etsi ex paternæ* an. 1451, quæ pluries inde ab aliis S. Pontificibus fuit confirmata, et aucta. — (4) Bul. *Alias Felicis* an. 1791. Quantum vero attinet ad alias nationes hæc tantum observamus: 1° In America septemtrionali Episcopi provinciales quosdam idoneos viros summo Pontifici commendant, a quo dignior Episcopus constituitur. 2° In Russia Pontifex et Imperator *communicatis consiliis* designant episcopum, qui deinde a Papa canonicam institutionem recipit. Concord. int. Pium IX et Nicolaum I, an. 1847, art. 12. 3° In Borussia Capitula Cathedralia sibi Episcopum eligunt. Litteræ Apost. Pii VII, an. 1821, quæ incip. *De salute animarum.* 4° In Belgio Capitula eligere poterant episcopum. Concord. int. Leonem XII et Guilielmum I, an. 1828, art. 4. 5° In Anglia, post feliciter restitutam a Pio IX ecclesiasticam hierarchiam, Capitula tres eligunt idoneos viros, quos Episcopis provincialibus præsentant, ut hi proprium emittant votum, quod S. Pontifici pro collatione exhibetur. 6° In Regno Neapolitano Rex nominabat Episcopos, et Pontifex eos confirmabat, et mittebat. Concord. int. Pium VII et Ferdinandum I, an. 1818, art. 24. 7° In regionibus infidelium, et in vicariatibus Apostolicis solus Papa Episcopos et vicarios apostolicos constituit, et idem in Romana ditione observatur.

152. Qui Episcopus creatus fuit, gravissimum onus subit angelicis humeris formidandum, ut loquuntur Patres

Concilii Tridentini; nam constituitur ad regendam Ecclesiam Christi sanguine acquisitam, et ad æternam salutem subditis potentissime procurandam: qua in re duplex est maxime periculum, internam nempe animi familiam negligendi, dum externa subditorum curatur, et peccandi per omissionem propriorum munerum, dum vitiorum punitio displicet, et longas molestias affert; unde *nemo sapiens læto creatur animo.*

Præcipua Episcoporum officia sunt: Primo, tenentur in propria diœcesi residere, et levamen non datur, nisi ad duos, vel tres menses in anno absque gregis detrimento (1), extra majores festos dies (2), concurrente aliqua justa causa, uti foret christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas (3); aliter incurrunt in pœnas a jure inflictas (4).

(1) Tres menses sumuntur sive continui, sive interpolati. Bul. *Ad universæ* Benedicti XIV. Primo vero anno, quo Romæ consecrantur habent præterea Episcopi licentiam Romæ commorandi ad mensem post eorum promotionem ex indulto Urbani VIII, quod tempus ex necessitate a Cardinali Vicario prorogari potest ad alios quadraginta dies, et ultra, ut insinuatur in citata bulla. Habent insuper pro visitatione Liminum Apostolorum quatuor menses, si existant intra montes, vel mare, et septem menses si existant extra. Sed nequeunt absentiæ permissa tempora conjungere, ut clare explicat per suos casus particulares Benedictus XIV, in citata bulla *Ad universæ*, § *Cum vero.* Hinc nequeunt tres menses unius anni conjungere cum tribus mensibus alterius anni, neque tres menses ordinarios cum quatuor, aut septem mensibus visitationis Liminum Apostolorum, neque cum alio tempore ex alia causa a sacra Congregatione forte concesso. — (2) Ideo dicitur extra majores festos dies, quia his diebus præsertim tenentur eorum oves pascere; nam si oves non pascant, proprium officium non implent, neque censentur esse præsentes. Arg. cap. 6, de cler. non resid. — (3) Ita Trid. sess. 23, c. 1, de ref. quod tamen noluit definire, Episcoporum residentiam esse de jure divino, uti certum videtur, et est communiter admissum; cum præcepto divino injunctum sit Pastoribus oves suas pascere, et rite pascere nequeant, nisi resideant. Sed difficultas est, an Episcopi ex justa causa a sua diœcesi discessuri debeant aliquam obtinere licentiam? Quidam negant petendæ veniæ necessitatem, quia Tridentinum hoc remittit Episcoporum conscientiæ, dum dicit: *Ut id ex æqua causa fiat, et absque ullo gregis detrimento, quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquere, quam sperat religiosam et timoratam fore.* Card. Soglia in Inst. jur. priv. § 6. Alii affirmant, licentiam peten-

dam esse *a Beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente, ab Episcopo suffraganeo antiquiore residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit in scriptis.* Trid. ibid. Alii demum censent a Papa omnino licentiam petendam esse, quia Urbanus VIII, in bulla *Sancta Synodus* statuit, ne episcopi discedere possent a suis diœcesibus sine licentia Papæ data per breve, vel litteras missivas, quod renovatum fuit a Benedicto XIV, in Bul. *Ad universæ.* Ex his Giraldus concludit, derogatum fuisse præcitato Tridentini decreto quoad Metropolitanum, et antiquiorem provinciæ Episcopum. Ad citatum Trid. cap. in not. 1. Hanc sententiam sequendam credimus, cum agitur de absentia notabili; nam cum agitur de absentia ad breve tempus, ex. gr. ad hebdomadam, aut mensem, recursus ad Papam non videtur necessarius, neque præceptus, quia ex ipso Tridentino *qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, cum statim sint reversuri.* Trid. ibid. — (4) Pœnæ non residentium consistunt præsertim in quibusdam privationibus, qualis est: 1ª privatio fructuum Episcopatus pro rata temporis absentiæ. Trid. sess. 23, c. 1, de ref. Nihilominus plures moralistæ asserunt, absentem posse in conscientia sibi retinere tertiam partem propter alia munia episcopalia, quæ etiam in absentia adimplet. Giraldus ad d. cap. Trid. n. 4. 2ª Privatio facultatis testandi. Bul. *In Suprema* Pii IV; 3ª privatio gratiæ alternativæ in provisione beneficiorum juxta Regulam IX Cancell. Gonzalez ad d. reg. § 5 n. 3, et seqq. 4ª privatio omnium, et singulorum privilegiorum, et indultorum *quæ forsan ipsis tamquam Pontificio solio assistentibus concessa fuerint.* Bul. *Ad universæ* Benedicti XIV. Insuper in quibusdam casibus datur interdictum ab ingressu in Ecclesiam, a quo solus Papa dispensat, quam pœnam ipso facto incurrit Metropolitanus, et antiquior provinciæ Episcopus, si ille intra tres menses non denunciet S. Sedi absentiam suffraganeorum, et iste absentiam Metropolitani, Bul. *De Salute* Pii IV; bul. *Sancta Synodus* Urbani VIII, et Trid. sess. 6, c. 1, de ref. Aliæ quoque dantur pœnæ, ut patet ex citatis juribus.

153. Secundo, tenentur Jesu Christi Evangelium populo nunciare per se ipsos, si impediti non sint, vel si ita sint impediti, saltem per idoneos viros; quod quidem munus dicitur præcipuum Episcoporum, quo non adimpleto, districtæ subjacent ultioni, ut graviter sanciverunt Tridentini Patres (1).

(1) Sess. 5, c. 2, de ref. Hoc munus adeo proprium est episcopi, ut nullus clericus sive sæcularis, sive regularis etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo, possit prædicationis officium obire. Trid. sess. 24, c. 4, de ref. Unde in opere constitutionum apostolicarum episcopus vocatur *Magister Verbi.*

154. Tertio, tenentur sacramenta Confirmationis, et Ordinis sollicite ministrare (1), olea sancta conficere in die Cœnæ Domini (2), Missam frequenter, et saltem diebus festis pro populis sibi commissis applicare (3), curam, et defensionem pauperum suscipere (4), Monialium regimini, et clausuræ sedulo invigilare, sontes clericos punire, pacem fovere, Religionem quanta maxima possunt vi et alacritate defendere, et ecclesiis adsistere: Nam sacri canones mandant, ut *Episcopus, si infirmitate non fuerit impeditus, Ecclesiæ, cui proximus fuerit, die Dominico deesse non debeat* (5).

(1) Quare graviter peccat episcopus, si longo tempore differat sacramentum Confirmationis ministrare. Longum autem tempus efficiunt octo, aut decem anni. S. De Ligorio l. 6, n. 175. — (2) In hoc tamen notandum, quod Pius VI, dedit Galliæ episcopis facultatem olea prædicta conficiendi absque numero requisitorum Presbyterorum et extra diem Cœnæ durantibus regni Gallicani calamitatibus. Brev. 4 maii 1791, incip. *Quo luctu.* Theiner docum. ined. t. I, pag. 97. — (3) Omnibus sane curam animarum gerentibus commissum est pro his sacrificium offerre. Trid. sess. 23, c. 1, de ref.; quod declaratum fuit absolute habere locum singulis diebus festis, etiamsi festa forte fuerint suppressa, ut nuper definivit Pius Papa IX, in sua Encyclica ad omnes orbis episcopos 3 maii 1858. Insuper, ut notat Fagnanus, episcopus quolibet die Dominico debet in propria ecclesia præsens esse, et saltem semel in hebdomada celebrare, nisi legitime sit impeditus, in cap. *Dolentes* de celeb. mis. n. 15, quin immo Bonifacius VIII, insinuat, episcopos debere quotidie celebrare, vel saltem audire missam, *sine qua eos transire non decet absque rationabili causa ullam diem.* Cap. fin. de privil. in 6. — (4) Dist. 87, per tot. — (5) Can. 4 de cons. dist. 3.

155. Quarto, tenentur ex jure propriam visitare diœcesim unoquoque anno, et si satis late pateat saltem infra biennium, per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per Vicarium, vel alium deputatum Visitatorem (1). In qua visitatione (2) debent inquirere, an Ecclesia reparatione indigeat, an ejus reditus rite administrentur, an pia legata adimpleantur, an rite Sacramenta ministrentur, missæ, officia divina celebrentur, et præcipue an clerici ad sacrorum canonum normam vitam degant; quibus discussis, et fidelibus ipsius ecclesiæ convocatis, debent docere illos, *ut errores fugiant idolorum, vel diversa*

crimina, id est homicidium, adulterium, perjurium, falsum testimonium, et reliqua peccata mortifera, et quod nolunt sibi fieri, alteri ne faciant, ut credant resurrectionem omnium hominum, et diem judicii, in quo unusquisque secundum opera sua recepturus est; et alia similia facere, quæ a sacris canonibus præcipiuntur (3).

(1) Trid. sess. 24, c. 3, de ref. Insuper episcopus potest eodem decurrente anno iterum diœcesim visitare; sed non potest iterum eodem anno procurationem exigere, ut definivit S. Congregatio, teste Benedicto XIV, de synod. l. 10, n. 10. Si biennio completo, visitationem non absolverit, tenetur curare, ut quantocius perficiatur; et certe non videtur immunis a culpa, si, impedimento cessante, ad longum tempus eam differat. Hac de re Fagnanus observat ex auctoritate S. Congregationis Concilii, nullum fuisse tempus ad complendam visitationem præfixum, sed tempus relictum fuisse arbitrio episcopi, quod tamen debet esse moderatum, et discretum. Similiter observat, debere episcopum visitationem incontinenter prosequi, nec ad extraneos actus divertere; sed quamprimum, justo impedimento cessante, ut perficiatur incumbere, in cap. *Conquerente* de offic. ord. n. 35. In Gallia, ut testatur auctor Præl. jur. can. p. 1, art. 6, § 158, mos est episcoporum diœcesim dividere in tres, aut quatuor partes singulis annis ordinatim percurrendas, et inter quatuor, vel quinque annos visitationem absolvere. Insuper episcopus, si potest debet visitare per se; nam ipsi peculiaris Spiritus Sancti gratia, et charismatum dona fuerunt promissa. Ex quo fit, ut oves proprii pastoris multo libentius, quam manu vicarii salubria alimenta petant, et lætiori animo suscipiant, tamquam de manu Domini, cujus in episcopis suis venerantur personam. Ita Leo XII, in Encycl. 3 maii 1824. Si tamen, necessitate cogente, visitet per alium virum dignum, hic medietatem tantum procurationis poterit recipere, quod obtinet etiam in Vicario Capitulari diœcesim visitante. Richter ad sess. 24, c. 16, de ref. n. 14. Quid sit procuratio dicemus infra. Monacellus p. 1, t. 12, for. 9. n. 3. — (2) Typum, seu compendiosam descriptionem visitationis ecclesiasticæ inter alios refert Fagnanus in cit. cap. n. 50; in qua comprehenduntur loca, res, munera, et personæ cum eorum omnibus connexis in visitatione examinandis. — (3) Can. 10 et seqq. c. 10, q. 1. Tridentinum hæc ipsa inculcat statuens, episcopos debere *sanam, orthodoxamque doctrinam inducere, bonos mores tueri, pravosque corrigere, populum cohortationibus ad religionem, pacem, et innocentiam accendere.* Sess. 24, c. 3, de ref. Et ut visitatio bene vertat in omnibus, episcopus in itinere, in domibus etiam laicorum, a quibus hospitio recipitur, potest erigere altare gestatorium, sive portabile, ibique sacrum facere. Benedictus XIV, bul. *In supremo.*

156. Episcopus potest auctoritate ordinaria, vel tamquam Apostolicæ sedis delegatus visitare omnes ecclesias

sæculares suæ diœcesis, ipsamque cathedralem una cum personis, beneficiis, sacrariis, reliquiis, aliisque ad Religionem, et divinum cultum pertinentibus (1); ecclesias regulares curatas in iis, quæ animarum curam respiciunt (2), quod limitatur, si in conventu ecclesiæ curatæ Generalis Ordinis ordinariam residentiam habeat (3); ecclesias monialium, earumque monasteria, etiamsi Regularibus subjecta sint, in iis quæ ad clausuram pertinent (4); Hospitalia, aliaque pia loca, modo non sint sub immediata Regum protectione posita (5); virginum, et mulierum conservatoria, quæ episcopali vigilantiæ a S. Sede relinquuntur, etiamsi eorum administratores laici sint, et in reliquis foro laicali subjiciantur; ac demum confraternitates laicorum, quas ultimo citatum concilii decretum comprehendit, etiamsi in ecclesiis Regularium sint fundatæ, ex pluribus decisionibus S. Congregationis (6).

(1) Trid. sess. 6, c. 4. de ref. — (2) Trid. sess. 25, c. 11, de ref. — (3) Bul. *Firmandis* Benedicti XIV. — (4) Arg. cap. 5 sess. 25, Trid. de Reg. et ita pluries declaravit S. Congregatio. Moniales sibi subjectas episcopus visitat pleno jure, et ordinaria auctoritate. Clem. *Attendentes* de stat. monach. Item auctoritate apostolica visitat moniales immediate S. Sedi subjectas. Trid. sess. 25, c. 9, de Reg. Sed hoc intelligitur in spiritualibus tantum, non in temporalibus. Ventriglia de visit. § 1, n. 21. Exemptas vero, et regularibus subjectas visitat tantum quoad clausuram. Trid. cit. c. 9. Sed hic observandum, episcopum ingredientem clausuram, non posse secum in clausuram introducere plus quam octo personas graves, et maturas, secus in pœnam violantium clausuram incideret. Clem. cit. — (5) Trid. sess. 23, c. 8 et 9, de ref. — (6) Ita præsertim in una *Nucerina Paganorum* 23 jun. 1629, a Benedicto XIV citata, et confirmata. De synod. l. 13, c. ultim, n. 6. Non tamen potest visitare altaria earumdem congregationum, quæ in Regularium ecclesiis erecta sunt. Ventriglia de visit. § 1, n. 17. Quoad formam edicti visitationis videndus Monacellus part. 1, t. 5, for. 1 et 2.

157. Dum episcopus visitationem peragit omnia de plano, sine strepitu et figura judicii debet præcipere, quæ ad fidem sustinendam, moresque corrigendos spectant (1), quia non procedit, ut judex, sed ut pater et medicus (2). Propterea a decretis in visitatione sic factis, nisi modus excedatur (3), non datur appellatio ad effectum suspensivum, sed tantum ad devolutivum, ut dicunt Doctores,

hoc est, decreta sunt statim exequenda, et inde, si quis se credat ab ipsis læsum, querelam potest Superiori proponere, ut decreta emendentur (4). Si vero Episcopus in visitatione velit ordinem judiciarium sequi, causa prædicto privilegio non fruitur; sed in terminis juris communis manet appellabilis (5).

(1) Salvæ tamen semper esse debent legitimæ defensiones, quæ proveniunt a jure naturali, et quæ a nemine auferri possunt. Fagnanus in cap. *Dilectus* de Rescript. n. 33. — (2) Hinc pœnæ ordinariæ in jure contra delicta sancitæ regulariter non sunt in visitatione infligendæ: nam damnatio ad pœnam ordinariam semper exigit terminos substantiales judicii, qui non nisi difficiliter possunt in visitatione observari. Quare Innocentius IV præscripsit, ut Episcopus in visitatione procedat *absque coactione et exactione qualibet juramenti..... ad emendationem per salubria monita, nunc levia, nunc aspera juxta datam sibi a Deo prudentiam.* Cap. *Romana* § *Sane* de censib. in 6. Et S. Congregatio concilii a capitulo Segobicensi interrogata, ad quæ genera pœnarum posset se Episcopus in visitatione extendere? Respondit, posse imponere pœnas non quidem ordinarias, sed eas tantum, quæ morum correctionem et emendationem respiciunt. Eadem S. Congregatio in aliis decisionibus insinuavit causas ordinarias esse extra visitatione regulariter tractandas, ita ut in visitatione neque inquisitio specialis, neque regularis processus habeat locum. Fagnanus in cap. *Cum dilectus* de rescript. n. 44. Unde Episcopus in visitatione non debet inquirere in specie super delictis Rectoris, sive Parochi, sed tantum super statu generali Ecclesiæ. Monacellus p. 1, t. 5, f. 2, n. 57; neque debet cum fide recipere cartulas, quas sæpe rustici contra suos Parochos offerunt ex odio potius, quam rei veritate, denunciando figurata delicta. Ventriglia de visit. § 2, 24. — (3) Fagnanus in d. cap. n. 30. — (4) Trid. Sess. 24 c. 10, de ref.; et Benedictus XIV in bul. *Ad militantis*, in qua catalogum præbet causarum ad effectum suspensivum appellationem non admittentium. — (5) Ventriglia putat hoc posse habere locum, cum gravis est orta contra visitatos infamia et scandalum, vel adest præjudicium tertii. De visit. § 2, n. 21.

158. Quinto, tenetur, completa visitatione, synodum diœcesanam cogere, qua abusus excludantur, et crimina puniantur; disciplina et mores, pietas et religio in pristinum fervorem reducantur (1). Sexto, demum tenetur his omnibus peractis, statum Ecclesiarum suarum S. Pontifici significare, ut de Apostolica auctoritate necessitatibus, et indigentiis queat occurrere. Idcirco inducta est visitatio Sacrorum liminum Apostolorum, quam Italiæ

Episcopi unoquoque triennio perficere debent, et si legitimo detineantur impedimento, hoc jurisjurandi religione confirmantes, Romam virum ecclesiasticum opportuno mandato instructum mittere compelluntur, qui ipsorum vices gerat (2).

(1) Ordo servandus in hac Synodo describitur a Pontificali Romano; et modus exhibetur a Gavanto in Prax. diœces. Synod. — (2) Episcopi Galliarum, Germaniæ et Hispaniæ unoquoque quadriennio, alii Europæ et Africæ unoquoque quinquennio, et cæteri orbis Episcopi unoquoque decennio ad hanc sacrorum Liminum visitationem tenentur.

159. Quanto gravius est onus Episcopis impositum, tanto major est potestas ipsis concessa, quæ dividitur præsertim in potestatem *ordinis*, et potestatem *jurisdictionis*. Ordinis potestatem immediate a Deo per consecrationem Episcopi consequuntur (1); quæ exercetur in confirmandis fidelibus, in ordinandis clericis, in conficiendo S. Chrismate, Sanctoque infirmorum Oleo, in consecrandis Ecclesiis, altaribus, etc. Potestatem vero jurisdictionis olim per confirmationem Episcopi consequebantur, et nunc per provisionem in Consistorio, vel missionem a S. Pontifice tamquam Christi Vicario factam, qua subditi ipsis assignantur (2).

(1) Dicimus *immediate a Deo,* quia cum hæc potestas sacramenta conficiat, gratiam sanctificantem causet, et characterem imprimat indelebilem, non nisi a Deo immediate provenire potest. Neque actio ministri consecrantis Episcopum impedit derivationem potestatis ab ipso Deo: nam minister operatur virtute et nomine Christi, cujus est instrumentum; ac proinde Christus est, qui proxime et immediate agit principaliter et virtute propria, ut ait Benedictus XIV, de Synod. l. 1, c. 4, n. 1. — (2) Disputatum diu multumque fuit a Doctoribus et in ipsis sessionibus præparatoriis ad Tridentinum, an potestas Episcopalis jurisdictionis sit a Deo immediate, vel mediate per summi Pontificis ministerium? Qui immediatam, pro Episcopis, qui vero mediatam affirmant, pro Papa decertant: illi pro collegio: isti pro collegii capite. Certum est, ex divina institutione esse Papæ primatum et episcopatum; sed hunc esse illi ex divina institutione subordinatum. Apostoli enim subjiciebantur Petro et non poterant neque ecclesias fundare, neque Episcopos creare, nisi in unione et subjectione Ecclesiæ Romanæ et Petri. Ex quo sequitur, Papam esse intermedium natum et obligatum inter Deum, qui dat, et Episcopum,

qui recipit potestatem. Phillips de jure eccl. § 24; et episcopum habere potestatem immediate a Deo quoad originem et vim, ac mediate a Papa quoad exercitium et effectum. Hæc resolutio Papæ primatum servat, et unitatem Ecclesiæ: nam per eam Episcopi non sunt *corregentes* et independentes, ut possint per se in aliqua civitate ecclesiam constituere; et servat pariter nativam et propriam Episcoporum potestatem; nam per eam non constituuntur Vicarii, aut Delegati Papæ; sed manent ordinarii Ecclesiæ ministri, et Patres a Papa dependentes. Bened. XIV de Synod. l. 1, c. 4, n. 2. Devoti Inst. jur. can. in proleg. c. 2, § 20, in not., et Soglia inst. jur. pub. § 55.

160. Potestas jurisdictionis Episcopis competens duplex est, nempe *ordinaria*, propter quam ipsi Ordinarii appellantur, quæ episcopali officio ex jure communi inhæret; et *extraordinaria*, quæ, necessitate suadente, officio episcopali extra ordinem tum consuetudine, tum lege scripta, tum etiam privilegio fuit adjuncta, in qua Episcopi procedunt tamquam Apostolicæ Sedis delegati. Cum enim S. Pontifex ubique non sit, et ubique fere negotia incidant, quæ illico summi Pontificis manum desiderant; ideo in iis quandoque Episcopi delegati constituuntur Summi Pontificis, ut ea peragant, quæ jure ordinario nequirent attingere.

Potestas ordinaria ab episcopis exercetur in ferendis legibus, quæ sacris canonibus non adversentur (1), in cognoscendis causis ad forum ecclesiasticum pertinentibus, in denunciandis censuris, in conferendis beneficiis vacantibus, exceptis reservatis et affectis, in approbandis Confessariis, in regendis monialibus non exemptis, in concedendis indulgentiis unius anni in dedicatione Ecclesiæ, et quadraginta dierum in ejus anniversario, et in qualibet alia opportunitate (2), et in aliis pluribus faciendis, de quibus alibi suis in locis agitur (3).

Potestas vero extraordinaria ab episcopis exercetur in omnibus illis causis, in quibus a concilii Tridentini sanctionibus in decretis de reformatione Apostolicæ Sedis Delegati constituuntur, ut cum obreptionis causa rescriptum gratiosum non admittunt, quo publici delicti reus pœnæ inflictæ, vel infligendæ remissionem obtinuit (4), cum a beneficiis canonicorum tertiam redituum partem sepa-

rant, ut eam in distributiones quotidianas convertant, si his Ecclesia careat (5), cum Ecclesias sæculares exemptas nullius diœcesis visitant (6), cum procedunt adversus clericos concubinarios ad suspensionem ab administratione, vel ad privationem beneficiorum (7), et præcipue cum procedunt adversus Regulares extra claustra degentes (8), vel docentes errores ab Ecclesia damnatos (9), vel peccantes contra decretum Tridentini de observandis et vitandis in celebratione missæ (10). Porro in his, aliisque pluribus causis in genere, et in specie contra Regulares, quas omnes hic afferre non vacat, episcopi S. Sedis Delegati habentur (11).

Similiter hæc eadem potestas ab Episcopis exercetur, ubi in casu alicujus magnæ et urgentis necessitatis (12), vel consuetudinis legitimo modo præscriptæ (13), in lege Pontificis, vel in canone concilii generalis dispensant, ubi absolvunt a casibus et censuris papalibus Romam se conferre impeditos, et ubi aliquod negotium sibi specialiter a Summo Pontifice commissum pertractant (14).

(1) Episcopus est custos et adjutor sacrorum canonum, quibus et ipse subjicitur; ac proinde nequit legem a Concilio Generali, vel a Papa sancitam abrogare, aut relaxare, aut contra ipsam agere. Superior quippe, ut ait Benedictus XIV statim ac aliquid per suam legem præscribit, aut prohibet, illud subtrahit ab ordinaria potestate inferioris, cui propterea nequit obluctari, nisi velit suam voluntatem anteponere voluntati superioris et ejus superioritatem, et obedientiam excutere, quam intolerabilem insolentiam reprehendit Nicolaus I, in can. *Inferior* dist. 21. Benedictus XIV de Synod. l. 9, c. 1, n. 6. Quod dicimus de lege superioris extenditur etiam ad consuetudinem generalem, quam non potest Episcopus tollere. Id. l. 11, c. 14, n. 10. Ac præsertim debet Episcopus cavere, ne quid in legibus suis proferat, quod juribus Apostolicæ Sedis præjudicium afferat, aut ejusdem auctoritati sit injuriosum. Id. l. 9, c. 1, n. 1; et l. 12, c. 1, 2 et seqq. — (2) Cap. 14 de pœnit. et remis. — (3) Circa quæstiones morum et fidei, quæ sub ordinaria episcoporum potestate cadere possunt cum card. Soglia sententiam Joannis Gersonii hic opportunum afferre putamus, quæ pro episcoporum norma hæc habet: « Aliquæ » sunt doctrinæ palam hæreticæ apud omnes; aliæ dubiæ simplici» bus, sed manifestæ sapientibus et peritis; tertiæ veluti neutræ ha» bentes pro se Doctores cum rationibus in utramque partem pro» babilibus, nec in una tantum diœcesi, vel paucis, sed apud omnes » christianos, aut longe plurimos. Est ergo veritas, quod in primis » et secundis auctoritas inferiorum prælatorum se extendit, et in

» suos tantummodo; in tertiis vero numquam, quoniam merito di-
» cuntur majores causæ fidei propter difficultatem decisionis cum
» periculo scandali; ideo sunt ad Sedem Ecclesiæ, vel ad Sedentem
» in ea referendæ. » Inst. jur. pub. § 50. Monet præterea Benedictus XIV non debere Episcopum sibi arrogare partes judicis inter gravissimos secum contendentes Theologos De Synod. l. 7, c. 11, n. 2; et in Synodo quando Theologi dissident inter se non debere neutri parti se addicere eod. l. c. 15, n. 7 et 13. — (4) Sess. 13, c. 5. Idem obtinet, cum Episcopi ex justa causa in casu speciali interdicunt clericis, ne brevibus privilegiorum quorumdam a S. Sede obtentorum utantur. Benedictus XIV de Synod. l. 13, c. 10, n. 12. — (5) Sess. 21, c. 3. — (6) Sess. 24, c. 9. — (7) Sess. 25, c. 14. — (8) Sess. 6, c. 3. — (9) Sess. 5, c. 2. — (10) Sess. 22. — (11) Hanc circa materiam quidam antiquiores scriptores veram et indubitatam sequentem tradebant propositionem: *Quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias, quæ totius Ecclesiæ statum respiciunt, uti fidei articulum definire, potest episcopus in sua diœcesi, nisi specialiter Papa sibi illud reservavit.* Sed hæc propositio omni caret probabilitate thesis. Nam Papa in omni lege ecclesiastica posset dispensare, eidem derogare, vel immutare, aut abrogare tam in provincia Romana, quam extra, licet hoc sibi non reservaverit, quod includitur in jure sui primatus. Sed hoc facere nequit episcopus etiam in sua diœcesi. Insuper Episcopus regitur jure communi, sive legibus a Pontifice, et Generalibus conciliis conditis, a quibus semper ligatur donec a Papa solvatur; neque ipse potest legem superioris tollere, aut in ea dispensare. Ergo Episcopus nequit prædicta propositione uti, et non potest facere in sua diœcesi quidquid facit Pontifex in toto orbe. Clem. *Ne Romani* de elect.; Benedictus XIV de Synod. l. 9, c. 1, n. 5; Auctor Prælect. jur. can. tom. 1, § 154. — (12) Quæ sit gravis necessitas non est facile determinare; sed tanta requiritur, ut casus papalis fiat episcopalis. Hac de re ita loquitur Reiffenstuel: « Episcopus potest dispensare in constitutionibus Apostolicis, et de-
» cretis concilii Generalis ex causa magnæ necessitatis, vel evidentis
» utilitatis de novo emergente, sitque periculum in mora, nec fa-
» cile ad summum Pontificem recurri possit..... Ratio est, quia in
» tali casu, ex rationabiliter præsumpta voluntate summi Pontificis,
» censetur Episcopus habere commissam sibi potestatem dispensandi:
» hoc enim videtur exigere pastorale officium Episcoporum, ne a-
» lioquin oves ipsi concreditæ in casu urgentis necessitatis destitue-
» rentur necessariis auxiliis. » De constit. n. 470. Non tamen hæc facultas dicenda est ordinaria, quia perpetuo officio episcopali affixa est, sed extraordinaria, quia ex præsumpta Pontificis commissione manat: aliter Episcopi dicendi forent agere ex potestate ordinaria cum procedunt tamquam delegati Apostolici ex delegatione sibi facta etiam a Tridentino, quod est falsum, licet illa delegatio muneri episcopali perpetuo sit affixa. — (13) Ut tamen Episcopus queat huic consuetudini inniti, debet centum annos excedere, et ita legitime firmata esse, ut nihil umquam contra eam auditum, dictum, aut factum sit, et ut in ea privilegium Apostolicum præsumi debeat. Bul.

Benedicti XIV *Inter multa.* Attendi insuper debet, ne per eam dirumpatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, et ne per eam præjudicium inferatur potestati summi Pontificis, quia nervus ille nulla omnino consuetudine potest abrumpi. Cap. 5 de consuet. et contra papalis potestatis plenitudinem nulla juvat possessio. Cap. 2, de post. præl. Soglia de jur. pub. § 21. — (14) V. Reiffenstuel de hæret. n. 378 et seqq.

161. Episcopis ratione oneris, quod gerunt, ac potestatis, quam pro fidelibus exercent, maximus ab omnibus debetur honor, et obedientia tamquam patri, et sponso Ecclesiæ, cujus quisque gloriatur esse filius. Sed hæc maxime a clericis, et sacerdotibus illi præstanda, cui in ordinatione solemniter professi sunt reverentiam, et obedientiam. Eisdem debentur quoque vitæ temporalis subsidia, et illa præcipue, quæ a lege diœcesana promanant, cujusmodi est jus exigendi *procurationem*, *cathedraticum*, et subsidium *charitativum.* Procurationis nomine intelliguntur victualia, aut quædam pecuniæ summa, quæ ab Ecclesiis visitatis datur episcopo visitanti, ut victualium locum teneat. Cathedratici nomine intelligitur tributum, quod a beneficiatis in honorem cathedræ episcopalis in synodo diœcesana persolvitur, unde etiam *synodaticum* appellatur. Demum subsidium charitativum consistit in moderata pecuniæ exactione, quam Episcopus a beneficiatis suis ex manifesta et rationabili causa requirit, ut ad reparandas expensas in sua promotione, et consecratione factas, ad solvendum æs alienum episcopatus, et ad necessarium præparandum commeatum, si ex causa publica et necessaria debeat Episcopus adire Summum Pontificem, aut Regem, aut Concilium (1).

(1) De his agitur in tot. tit. de cens. exact. et procur. dispositive per canones, et interpretative per Doctores; et a Benedicto XIV, de Synod. l. 5, c. 6 et 7.

162. Quoad procurationem tamen observamus, Episcopos a visitatis nihil omnino accipere posse, nec etiam munus qualitercumque oblatum, præter victualia (1) frugaliter et moderate pro temporis tantum necessitatem ministranda, ita tamen ut visitati habeant optionem vic

tualia, vel pecuniam exibendi, et visitatores alii ab Episcopis deputati habeant æque victualia, vel medietatem summæ episcopis exhiberi solitæ (2). Item observamus, episcopos non posse exigere procurationes ab Ecclesiis vere pauperibus (3), ab ecclesiis cathedralibus, et ab omnibus Ecclesiis civitatum, in quibus ipsi habent sedem (4), a pluribus Ecclesiis una die visitatis (nam unica procuratio hoc casu a Pontifice conceditur (5),) ab oratoriis privatis (6), et generatim non posse procurationes petere, si in diœcesi numquam fuerint exhibitæ (7).

(1) Hæc victualia, vel eorum loco moderata pecuniæ summa episcopo exhibita procurationis nomine continetur, quam semel tantum in anno recipere potest episcopus, licet visitationem iterare velit. S. Cong. Conc. 18 septemb. 1682, et 1 jun. 1733. — (2) Trid. sess. 24, c. 3, de ref. et S. Cong. in una *Amalphitana* 18 jul. 1699, pluries confirmata. — (3) Arg. can. 7, c. 10, q. 3. — (4) S. Cong. rel. a Fagnano in cap. *Venerabilis* de cens. et exact. n. 15. — (5) Cap. 3, eod. in 6. — (6) Cap. ult. eod. — (7) Trid. sess. 24, c. 3, de ref.

TITULUS XVII.

DE VICARIIS EPISCOPORUM.

Summarium: 163. Quot sint vicariorum species? — 164. Quæ vicarii generalis jurisdictio? — 165. An episcopus teneatur vicarium assumere, an possit plures assumere, et deputare Provicarium? — 166. Quomodo episcopus vicarium assumat? — 167. Quem possit assumere? — 168. Vicarius generalis generale debet habere mandatum. — 169. Quæ peragere nequeat sine speciali mandato? — 170. Quæ nullo modo queant illi committi? — 171. Hujus jurisdictio est ordinaria, non delegata. — 172. Consectaria hujus jurisdictionis. — 173. Quomodo officium vicarii cessèt? — 174. Vicarius Foraneus quis dicatur, et quod gerat officium?

163. Vicarius est, qui in alterius locum suffectus, ejus vices gerit, quod juris utriusque definitione firmatur ex xonspirantibus Codicis Justinianei, et Decretalium titulis ce officio Vicarii. Attamen hæc gestio ex jure canonico del ad divina celebranda officia, vel ad jurisdictionem evercendam committitur: in prima specie habemus Vicarios beneficiales, seu ut alii dicunt Vicarios in divinis,

de quibus fere agitur in toto titulo de officio Vicarii, qui ad regendum beneficium, vel parœciam loco rectoris, vel beneficiati principalis ad tempus, vel in perpetuum constituuntur; et si in perpetuum sint constituti, veri sunt beneficiati (1). In secunda autem specie habemus Vicarios jurisdictionis, qui alterius jurisdictionem voluntariam, et contentiosam in foro externo exercent; cujusmodi sunt Metropolitarum, et Episcoporum Vicarii, qui non beneficium, sed tantum officium cum dignitate conjunctum habere dicuntur.

Ex canonum sententia Episcoporum Vicarii alii sunt *nati*, et alii sunt *dati*. Vicarii nati erant Archidiaconi, et Archipresbyteri, ita ut hi ab illis dependerent (2). In primæva Ecclesiæ disciplina, dum Presbyteri sacris ministeriis vacabant, Archidiaconi Ecclesiæ bona cum pecunia administrabant, postea lites inter fideles exortas dirimebant, populo imperitabant, et ministeria cum mercedibus assignabant; quibus elasteriis arte tractatis eorum quidam primam dignitatem captare tentabant, dum aliis satis erat, acquisitam jurisdictionem veluti sibi ordinariam mordicus vindicare (3). Sed hæc agendi ratio Episcopos excitavit, ut de minuenda Archidiaconorum auctoritate excogitarent, quod perfecerunt statuendo per diœcesis loca, et deinde in ipsa civitate Officiales Foraneos, et Vicarios Generales (4), qui sæculo XIII, fere ubique, loco Archidiaconorum, vices Episcoporum agere cœperunt. Hoc modo Archidiaconorum auctoritas consuetudine adeo imminuta fuit, ut nunc quasi extincta dici queat, et iisdem tamquam substituti habentur Vicarii ab Episcopis dati, ad quos integer refertur titulus sexti Decretalium de officio Vicarii.

(1) De his vicariis in sequenti libro sub tit. de benef. dismemb, — (2) Cap. 1 de offic. archid. cap. de offic. archip. — (3) Can. 14. 20 et 24, dist. 93. — (4) Cap. 1 de offic. ord. in 6.

164. Nunc propterea Vicarii ab Episcopis dati, vel electi in *Generales*, et *Foraneos* dividuntur. Vicarius Generalis ille est, qui eadem civitate residens (1), et in eodem cum Episcopo tribunali sedens ejus jurisdictionem

voluntariam, et contentiosam, in spiritualibus et temporalibus exercet (2). Ad spiritualia plura referuntur, uti est potestas ferendi censuras, instituendi in beneficiis, in votis et juramentis dispensandi. Ad temporalia vero alia multa referuntur, uti est potestas administrandi bona temporalia, eadem alienandi, locandi, permutandi, fructus ex iisdem colligendi, census et pensiones exigendi.

(1) Vocabulum *residens* ita interpretandum est, ut deceat, Vicarium Generalem in eadem civitate, in qua residet episcopus, habitare, ut communi diœcesis tribunali adsit. Sed hoc non obstat, quominus Vicarius Generalis in alia quoque civitate esse possit. Hinc Clemens XIV, de Vicario Generali agens sic ait. *Qui morari plerumque solet in loco, in quo episcopus degit.* Brev. *Circumspecta* 11 jun. 1771. In hoc sane mandat omnibus ordinariis ditionis Romanæ, quorum diœceses ad territorium Neapolitanum extenduntur, ut pro subditis hujus territorii, et in eorum civitatibus constituant Vicarium Generalem, qui eorum omnes causas civiles, criminales et mixtas cognoscat, et definiat. Simile privilegium concessit subditis Principatus Monæci quoad episcopum Ventimiliensem. Brev. *Dupliciter* 30 mart. 1772, et subditis Reipublicæ Genuensis quoad episcopum Derthonensem, et Aquensem. Brev. *Circumspecta* 5 mart. 1773. — (2) Dicimus *exercet;* nam Vicarius Generalis generaliter ab episcopo ad omnem suam jurisdictionem in diœcesi explicandam loco ipsius episcopi sub quibusdam bene visis limitationibus constituendus est; secus non esset Vicarius Generalis, neque ordinarius, neque haberet idem cum episcopo tribunal, et ab eo appellari posset ad episcopum, sicut appellatur a delegato ad delegantem. Nihilominus Vicariis suis potest episcopus inhibere, ne in genere quarumdam causarum, aut negotiorum ex. gr. in voluntariis, aut contentiosis jurisdictionem exerceant; quo casu, si inhibitione non observata, aliquid agant tamquam Vicarii Generales, gestum firmitatem habet, modo de re agatur, quæ ad officium Vicariatus pertineat.

165. Si diœcesis exigua sit, et Episcopus per se omnia peragere valeat, Vicarium Generalem sibi assumere in jure non cogitur; sin secus eligere Vicarium debet (1), ut diligentius, et commodius diœcesis negotia expediantur (2). Episcopus præter Vicarium Generalem, non vero ipse Vicarius Generalis, potest sibi eligere Provicarium Generalem, qui absente, vel impedito Vicario illa expediat, quæ ad officium Vicariatus pertinent (3).

(1) Tenetur episcopus sibi eligere Vicarium maxime in his casibus. 1° Cum habet populos diversarum linguarum, et expedit, ut e-

ligat in Vicarium aliquem Episcopum illius linguæ, quam ipse ignorat. Cap. 14, de offic. Ord. 2° Cum gravatur ægritudine, vel alio detinetur impedimento, quo casu dari solet, si petatur, a S. Sede Vicarius episcopus. Benedictus XIV, de synod. l. 13, c. 14, n. 4 et 9. 3° Cum in sua diœcesi non residet, ne ipsa diœcesis sua destituatur ordinaria cura, quo pariter a S. Sede dari solet episcopus in Vicarium, qui in jure dicitur episcopus suffraganeus. Id. ibid. 4° Cum agitur de duabus diœcesibus sub uno episcopo æque principaliter, aut accessorie unitis, ut Monacellus definitum tradit a S. Congregatione Concilii in una *Geruntinen.* et *Cariaten.* 2 octob. 1706, in append. ad part. 2, decis. 4, adnot. 1. 5' Denique cum diœcesis valde extensa est, et plurima negotia habet, quæ per unum episcopum nequeunt expediri. Si vero, quando necessarius est Vicarius Generalis, episcopus idoneum non eligat, S. Pontifex dat Vicarium Apostolicum, quem episcopus ab officio amovere non potest. — (2) Melius forte erit, ut unum tantum idoneum eligat Vicarium, quia difficile erit, ut duo simul eamdem rem, et eodem modo in solidum possideant. Cap. 9, de prob. Attamen si episcopus habeat diœcesim sub diversorum Principum dominatione, Doctores tradunt, ipsum posse in utriusque dominationis territorio Vicarium Generalem constituere, sicut jam innuimus, quod confirmatum fuit in instructione Benedicti XIV, an. 1742, in qua cautum est, quod si quis populus, vel provincia Sardiniæ Regibus subdita in diœcesi reperiatur extranei episcopi, hic ibi debeat suum constituere Vicarium Generalem. — (3) Provicarii titulus olim non erat in usu; primam ejus mentionem invenimus penes Vicentium Petra in suis commentariis ad const. 1, S. Leonis magni sect. 2, n. 83. In jure invenimus *Vicedominum,* qui ab episcopo ad causas tractandas proponebatur, can. 2 et 3, dist. 89, *Vicesgerentem,* qui est Vicarius immediate Vicario Generali ab episcopo substitutus, et *Locumtenentem,* qui est Vicarius a Vicario Generali ex speciali episcopi facultate sibi substitutus. Leurenius de Vic. episc. c. 1, q. 3. Hoc tamen sæculo mentio fit Provicarii Generalis in Brevi *Postulabat* Pii VII, anno 1804, in quo Apostolica providentia Provicarius Generalis civitati Centumcellarum diœcesis Viterbiensis conceditur. Circa hoc possunt oriri questiones: 1° An a Provicario detur appellatio ad episcopum? Respondemus negative, quia Provicarius electus ab episcopo, vel de consensu episcopi, idem habet cum episcopo tribunal, sicut habet Vicarius Generalis; casus autem prædictus Centumcellarum non videtur obstare, quia ibi contrarium fuit declaratum, ut scilicet a Provicario detur appellatio ad episcopum Viterbiensem, nam idem non habent tribunal. 2° An Provicarius possit exequi Romanæ Ecclesiæ rescripta Vicario Generali commissa? Iterum negative respondemus; ipse enim: 1° non est Vicarius Generalis; 2° quando plures sunt Vicarii, eadem rescripta exequi tantum possunt a Vicario principali, qui solus esse potest delegatus S. Sedis Clem. *Etsi* 2, de rescript. et ib. Gloss.

166. Vicarium, sive Vicarios pro regimine diœcesis suæ deputat Episcopus per solam suam expressam volun-

tatem (1). Hæc facultas eidem competit ex jure per dispositionem tituli Sexti Decretalium de officio Vicarii, per conformes S. Congregationis decisiones, et per unanimes Doctorum sententias. Quin immo in hoc negotio secundum hodiernam consuetudinem neque indiget consensu, aut consilio Capituli sui (2). Sed quandoque constitutus Vicarius a S. Sede confirmatur, et quandoque Episcopo assignatur (3).

(1) Voluntas episcopi manifestanda est per scripturam, non ideo quod scriptura ad actus validitatem necessaria sit, sed ut constet, quousque Vicarii potestas extendatur in reservatis, quæ mandatum speciale requirunt, quæ non præsumuntur concessa, nisi probentur. Hinc ea, quæ ad officium Vicariatus pertinent, Vicario Generali competunt etiamsi non probet, ea sibi competere, quia præsumuntur. Idcirco Vicarius in capite decretorum suorum non tenetur exponere litteras commissionis suæ, quas quidem litteras ex communi doctorum sententia exponere debet alius quicumque delegatus; secus nulla est necessitas credendi, non enim præsumuntur. Unde scribit Monacellus: « Tutior ergo via est, quod Vicarius in principio sui of- » ficii coram Capitulo Cathedralis per cancellarium Litteras suæ de- » putationis pubblicare faciat, et deinde penes acta Cancellariæ per » extremum registrari curet. » Tit. 1, p. 1, n. 33, ubi affertur formula ipsarum Litterarum. — (2) Quoad dependentiam a Capitulo in deputatione Vicarii distinguendum est inter jus antiquum, et novum. Jure enim antiquo Vicarius constituendus erat ab episcopo nedum cum consilio, sed et cum consensu Capituli, quia hoc magnum est, et maximum diœcesis negotium. Cap. 4 et 5, de his quæ fiunt a Prælat. At jure novo ex consuetudine legitime præscripta solus episcopus Vicarium constituere potest. Sbrozzius de Vic. Episc. l. 2, q. 55, n. 14. — (3) De hoc videndus auctor anal. Jur. Pont. ser. 3, pag. 906.

167. Assumendus in Vicarium Generalem in Spiritualibus debet esse clericus saltem prima tonsura initiatus (1), non conjugatus, non bigamus, laurea, vel licentia in jure canonico donatus (2), ætatis annorum viginti quinque inceptorum, licet adhuc provectior ætas sit desideranda ad sapientiam et prudentiam tanto muneri necessariam firmandam (3). Sed si ordine presbyteratus non sit insignitus ea explicare nequit, quæ ad forum pœnitentiale referuntur, uti est absolutio a peccatis (4).

Ad Vicarii munus assumi nequit Rector, aut Professor Seminarii, ne abstrahatur a cura clericorum (5), et

regulariter Parochus, ne abstrahatur a cura animarum (6), Pœnitentiarius Episcopi, ne in officio audiendi confessiones delinquat (7), Regularis præsertim ex ordine mendicantium, ne habeat extra clausarum vagandi occasionem (8), Frater, aut Nepos Episcopi, ne videatur Episcopus jurisdictione gratificare suos, et demum Civis, ne propter partium studia subditis sit suspectus, ut definivit Benedictus XIII in Synodo Romana (9) his verbis. « Episcopi præterea in Vicarios Generales suos « fratres aut nepotes, aut propriæ Episcopalis urbis cives non eligant » (10).

(1) Laicus ecclesiastica negotia tractare non potest. Cap. 2, de judic. In Hispania tamen debet esse clericus sacro presbyteratus ordine insignitus. Bul. *Decet Romanum* Clementis VIII. — (2) Contra hanc assertionem aliqui dicunt, hoc nullibi in jure cautum inveniri. Sed reponimus, in jure etiam naturali cautum esse, Episcopi Vicarium debere esse idoneum. Quomodo erit idoneus, si juris peritus non sit? Attamen non est absolute verum, nullibi in jure reperiri cautum, quod vicarius Episcopi debeat esse juris peritus: nam Alexander III Abbati Cassinensi scribens ait: *Cæterum tuam prudentiam volumus non latere, quod non sunt causæ matrimonii tractandæ per quoslibet, sed per judices discretos, qui potestatem habeant judicandi, et statuta canonum non ignorent.* Cap. 1 de consang. et affin. Præsumptio autem hujus scientiæ stat in juris doctore, et non in alio quocumque. Insuper vicarius Capitularis ex dispositione Tridentini debet esse doctor; quare idem dicendum non erit de Vicario Generali, qui simile gerit officium, et habet jurisdictionem? Sacra vero Congregatio episc. et Reg. pluries declaravit, Vicarium Generalem episcopi esse debere licentiatum, vel doctorem in jure canonico, nec sufficere si sit Theologus. Ferraris verb. *Vicarius Generalis* art. 1, n. 38. Vicario enim Generali non licentiato, neque doctore in jure canonico, dandus est consultor, vel Assessor in causis, quod observari debet a Vicario Capitulari, si doctor similiter non sit. Cap. *Statutum* § *Assessorem* de rescript. in 6 Monacellus p. 1, f. 2, n. 27. — (3) In sacro enim eloquio scriptum est: *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* Job. c. 12. — (4) Quoad officia Vicarii Vid. Pellegrinum in prax. Vicar. in mon. gen. — (5) Bul. *Creditæ nobis* Bened. XIII. — (6) Pellegrinus l. c. n. 9, et Fagnanus ad caput *Ad hæc* de præb. et dignit. Si enim Parochus habet parochiam extra civitatem, res patet per se, quia non potest simul residere in sua parochia, et penes Episcopum in curia. Si autem parochia sit in ipsa civitate, adhuc obstat ratio occupationum diversarum, et veluti incompatibilium; sed magis obstant resolutiones S. Congregationis Concilii passim a Doctoribus citatæ. Unde ex solo Papæ indulto, certis observatis conditionibus, Parochus potest esse

Episcopi Vicarius. S. Cong. 16 novemb. 1835. Anal. Jur. Pont. ad an. 1857, pag. 2895. — (7) S. Cong. Epis. et Reg. 15 Jul. 1611, Ideo ad hoc gerendum officium Pœnitentiario necessaria est S. Sedis licentia, quæ dari non solet, nisi ad tempus limitatum, et cum onere ei deputandi substitutum in officio pœnitentiarii. S. Cong. 23 April. 1841. Anal. l. c. — (8) Clem. *Exivi* § *Proinde* de verb. signif. et ib. Gloss. Neque videtur, eos posse idoneos reddere licentiam superioris, quia Clemens V, omnibus Prælatis districte injungit, ne omittant monachos corrigere et compescere, quatenus ad curias non accedant. Clem *Ne in agro* § *Quia vero*, et ib. Gloss.; eaque datur ratio, quia monachus curialis ad totam religionis massam corrumpendam concurrit. Ad hoc confirmandum plures editæ sunt sacræ Congregationis Episc. et Reg. decisiones, quas refert Ferraris verb. *Vicarius Generalis* art. 1, n. 21 et Petra ad const. 6. Gregorii XI, n. 12 in tom. 4, ubi docet praxim, et Sacrarum Congregationum sensum improbare deputationem Regularium in Vicarios Generales, nisi in particularibus circumstantiis hæc deputatio a S. Congregatione Episc. et Regul. Episcopo permittatur. — (9) Tit. 8, c. 2. — (10) Diœcesani etiam ab officio Vicarii excludendi sunt, quos semper exclusit S. Carolus Borromæus eligendo exteros, et in hoc sensu pluries declaravit. S. Congregatio Episc. ut tradit Pellegrinus in prax. Vic. in 1 summ. n. 2. Ita docet Card. De Luca, etiamsi ipse Episcopus esset exterus. Ad Trid. disc. 31, n. 21 et Pignatellus tom. 9, consult. 162, qui ulterius tenet, jam constitutos Vicarios diœcesanos esse removendos, ne forte amicitia, propinquitate, familiaritate, gratia, aut metu jus violent. Hæc theorica a nuperrimis S. Congregationis decisionibus ita confirmata fuit, ut nullum relinquat dubium de certitudine conclusionis, etiamsi ageretur de canonico ecclesiæ cathedralis. Decisiones hujusmodi afferuntur ab Auctore Analectæ Juris Pontificii, qui pluribus in locis de hac re abunde pertractat, quique ex adductis S. Congregationis formalibus resolutionibus demonstrat, Sanctam Sedem quandoque indultum concedere, ut Episcopus queat habere diœcesanum pro exercitio jurisdictionis suæ solum ad tempus, ex. gr. ad annum, ad quinquennium, vel donec Episcopus personam idoneam extraneam reperiat, cum duabus conditionibus, ut vocetur Provicarius, non Vicarius, et ut se non ingerat in rebus, quæ suos propinquos, vel patriam respiciunt. Unde non sunt audiendi, qui cum Sbrozzio contrarium sentiunt, eo quod virtus Vicarii nota debet esse populo, et mores populi Vicario, et illi sunt reprehensione digni, qui hodiernis temporibus querelas emittunt, quod Episcopi in Vicarios Generales non diœcesanos, sed exteros sibi assumunt. His sane querimoniis palam fit, ut ait Bouix, non parum neglectum fuisse sacræ disciplinæ studium. Si enim vel obiter Canonistarum hac de re disceptationes introspectæ fuissent, non carpenda, sed laudanda potius ea Episcoporum agendi ratio videretur. De judic. p. 2, c. 3, § 1, q. 9.

168. Vicarius Generalis hoc nomine appellatur, quia ab Episcopo generale habet mandatum, vel commissio-

nem omnia faciendi, quæ ad regimen ordinarium diœcesis pertinent, quam ob rem Ordinarius dicitur. Non tamen omnia potest, quæ potest Episcopus. Sunt quidem multa, quæ speciale mandatum desiderant. Hinc si Episcopus in commissionis litteris hac utatur clausula: *Do Tibi potestatem omnia meo nomine exercendi, etiam quæ speciale mandatum requirunt*, adhuc res arduas, et magni præjudicii negotia Vicarius Generalis non posset expedire, quia in generali commissione non veniunt ea, quæ quis verosimiliter non esset in specie concessurus (1). At si quid arduum in generali commissione fuerit expressum, alia minora etiam ardua intelligitur concessa, quia dum Episcopus voluit majus, voluit et minus (2).

(1) Reg. 81. Jur. in 6. — (2) Arg. cap. 4, de procurat. in 6, et Clem. 2 eod.

169. Propterea in vim mandati generalis non potest Vicarius ea facere, quæ ordinis episcopalis exercitium respiciunt, ut est ordinare, Ecclesias consecrare, etc., licet ipse Vicarius sit in ordine episcopali constitutus, nisi datus quoque sit Vicarius in Pontificalibus, qui a Doctoribus dicitur etiam suffraganeus: non potest pœnam amotionis a beneficio, ab officio, aut administratione inferre (1): non potest a censuris absolvere, vel in irregularitatibus dispensare, in quibus absolvit, vel dispensat Episcopus in vim Trid. capitis sexti sessionis vigesimæ quartæ de reformatione: non potest conferre beneficia, licet queat a patronis præsentatos in beneficiis instituere, quia in collatione est actus liberalitatis, et donationis, in institutione vero actus tantum justitiæ: non potest beneficia unire, dividere, aut supprimere, et similia facere, quæ majora, et graviora sunt. Quare ut ejus potestatis limites apprime innotescant, vicariatus Litteræ sunt accurate inspiciendæ (2).

(1) Cap. 2 de offic. Vic. in 6. — (2) Alia sunt plura, quæ Vicarius Generalis absque speciali mandato peragere nequit, quorum catalogum texere nobis negotium nimis longum foret; propterea lectorem remittimus ad Canonistas in tit. de offic. Vic. et præsertim ad Benedictum XIV, de Synod. 1, 2, c. 8, n. 2; ad Bouix de judic. p. 2, c. 4, § 2, et ad Pellegrinum in prax. Vic. p. 1, sect. 2.

170. Quædam tamen sunt, quæ nullo modo potest Episcopus Vicario suo delegare. Delegare enim non potest: 1° Ea quæ ad ordinem episcopalem referuntur, si Vicarius simplex sit sacerdos, cujusmodi est benedicere Abbates, et sacra paramenta (1); virginibus monialibus consecrationis velum conferre (2), et reconciliare post pollutionem Ecclesias consecratas (3): 2° Ea quæ pertinent ad dignitatem episcopalem, cujusmodi sunt functiones episcopales, et specialiter missæ conventuales, aut pontificales, quæ in absentia Episcopi ad primam capituli dignitatem pertinent (4). 3° Ea quæ Episcopo commissa sunt, in quibus electa fuit industria personæ. 4° Facultatem absolvendi ab hæresi occulta (5). 5° Decisionem, aut sententiam in causis Fidei, et hæresis (6). 6° Degradationem actualem et solemnem clericorum (7). 7° Decretum suspensionis ex informata conscientia (8).

(1) Monacellus p. 1, t. 1, f. 1, n. 50. Pro benedictione sacrorum paramentorum dari nunc solet episcopis facultas a Rituum S. Congregatione, ut possint eam simplicibus sacerdotibus delegare. — (2) Circa Monialium consecrationem videndus Benedictus XIV, in Inst. 85, in qua modum hujus consecrationis exponit. — (3) Ex nova S. Congregationis praxi datur petenti episcopo specialis facultas, ut queat delegare simplicibus sacerdotibus potestatem reconciliandi Ecclesias consecratas, et benedicendi campanas. — (4) Decret. S. Rituum Congreg. apud Gardellini. — (5) Hanc facultatem non habent episcopi in se, ut demonstrat Benedictus XIV, de Synod. l. 9, c. 4, sed delegatam a Tridentino, ita ut nequeant eam delegare eorum Vicariis. Sess. 24, c. 6, de ref. Bulla *Cœnæ* hanc Tridentini delegationem substulit. Nihilominus talis facultas solet ex S. Sedis indulto episcopis petentibus ad determinatum tempus concedi cum potestate eam subdelegandi eorum Vicariis Generalibus, et aliis sacerdotibus in casu particulari. Excipiuntur tamen semper hæretici publice dogmatizantes, circa quos habet episcopus tamquam fidei Inquisitor potestatem judicandi in suo tribunali, et hæreticos absolvendi, modo ea observentur, quæ pro hæresis abjuratione sunt præscripta. — (6) Citatæ causæ definiri tantum possunt per episcopum, ut eruitur ex decisione supremæ Inquisitionis in causa *Novariensi* 17 sept. 1856. Cujus enim ejusdem S. Congregationis Præfectus sub die 2 octob. ejusd. anni ad episcopum Novariensem scribebat, ipsum episcopum posse committere efformationem processus in causis fidei Vicario Generali, non vero causæ decisionem, quæ ab ipso tantum episcopo, tamquam Inquisitore nato, pronunciari potest. — (7) Cap. 2, de pœn. in 6 et Trid. sess. 13, cap. 4, de ref. — (8) Ratio est, quia hic procedendi modus est extraordinarius, et gravibus implexus dif-

ficultatibus, cum totum negotium in occulto agatur, et soli judicis conscientiæ innitatur. Giraldus ad cap. 1, sess. 13 Trid. de ref. in not. 2. Episcopus decretam *ex informata conscientiæ* suspensionem non potest manifestare nisi metropolitano in casu appellationis, uti habetur in constitutione Benedicti XIV *Cum illud.* Ideoque hujusmodi pœnas suo secreto quoad omnes est infligenda, ne sacerdos suspensus infametur.

171. Ea sententia, qua jurisdictio Vicarii Generalis affirmatur ordinaria, non delegata, verior est tum directe, tum indirecte. Nam Vicarius Generalis habet jurisdictionem Episcopi, et unum idemque cum ipso tribunal, sive auditorium (1), in quo ipsius Episcopi personam repræsentat (2). Idcirco Episcopi et Vicarii Generalis una eademque est jurisdictio, et in utroque ordinaria, cum ambo in communibus hujus jurisdictionis attributis unam referant personam moralem, et factum unius sit factum alterius (3). Insuper si Vicarii Generalis jurisdictio foret delegata, daretur appellatio a Vicario ad Episcopum, ut datur a delegato ad delegantem; at a Vicario non appellatur ad Episcopum, quia idem esset ac ab eodem ad eumdem appellare (4); immo nec valeret consuetudo appellandi (5). Jurisdictio itaque Vicarii Generalis non est delegata, sed ordinaria; quod intelligimns de jurisdictione communicata per primum mandatum, licet multa specialium commissionum capita contineat, et de jurisdictione communicata imposterum per aliud speciale mandatum, modo hoc datum sit Vicario tamquam Vicario, vel ratione vicariatus; quo casu concessiones uniuntur, et quod de uno connexorum statuitur ad aliud connexum extenditur (6). Sed si Episcopus quid Vicario suo committat independenter a vicariatu, seu seorsim tamquam extraneo, prædictæ rationes cessant, et jurisdictio remanet delegata, in qua a Vicario ad Episcopum appellatio admittitur.

Neque hanc nostram conclusionem enervat contrariorum argumentum, quod jurisdictio ordinaria datur a lege; sed jurisdictio vicarii datur ab homine, seu ab Episcopo, cujus vices gerit: nam falsum est, jurisdictionem Vicarii ex integro provenire ab homine: equidem provenit ab homine, quatenus Vicarius debet ab Episcopo nominari, sed

nominatus jurisdictionem habet ex jure. Hinc non agit vices alterius tantum ex commissione, sed, præsupposita commissione, in proprio officio, et ex juris dispositione vice alterius fungitur, ut patet ex toto titulo de officio Vicarii in Sexto Decretalium (7). Firmum itaque semper manet, Vicarii Generalis jurisdictionem esse ordinariam, vel mandatam, ut alii dicunt, quæ ordinariæ assimilatur.

(1) Cap. 2, de consuet. in 6. — (2) Cap. 3, de appel. in 6, et ib. Gloss. quæ notat officialem episcopi esse ordinarium, non delegatum. — (3) Quare episcopus rescindere nequit sententiam a suo Vicario prolatam, quæ in jure nulla non sit, et in aliquo casu imputatur episcopo delictum Vicarii in administratione commissum, ac damna illata per eum sunt quandoque reparanda. — (4) Cit. cap. 3, de appel. in 6. — (5) Cit. cap. 2 de consuet. in 6, ubi Pontifex sic loquitur: « Non putamus, illam consuetudinem quantocumque » tempore de facto servatam, consonam rationi, ne ab eodem ad » se ipsum, cum sit idem auditorium utriusque, appellatio interpo- » sita videatur. » — (6) Cap. 3, de const. — (7) Neque prodest adversariis objicere principium, quod duo simul eamdem rem, et eodem modo in solidum possidere non possunt. Cap. 3, de probat. nam episcopus, ejusque Vicarius eamdem jurisdictionem possident, sed non eodem modo. Episcopus possidet principaliter, et per quasi-dominium; Vicarius vero tantum accessorie, et per usum. Neque similiter illis prodest opponere, jurisdictionem ordinariam morte concedentis non solvi, sed jurisdictionem Vicarii morte Episcopi solvi. Nam jurisdictio ordinaria morte concedentis non solvitur, si non est cum ejus jurisdictione connexa; sed solvitur, si est connexa, et unita, quia accessorium debet sequi suum principale.

172. Hæc resolutio plurium est fœcunda deductionum; etenim cum jurisdictio Vicarii Generalis sit ordinaria, potest eam aliis delegare, causæ specialis cognitionem alteri committere, et sibi ex causa ad modicum tempus Vicarium substituere, quod non posset, si ejus jurisdictio foret delegata, cum ex juris principio delegatus non valeat subdelegare, nisi sit delegatus a Principe, qui ob delegantis dignitatem potest adhuc subdelegere.

Similiter cum Vicarii jurisdictio sit ordinaria, non tenetur suarum litterarum exemplum exhibere, ut quis citatus ad suum tribunal sui copiam facere teneatur, ad quod certe obligatur delegatus, aliter citatus in judicium venire non cogitur, quia nemo delegatus creditur, nisi delegationem probet (1).

Cum demum hæc jurisdictio sit ordinaria, et cum episcopali jurisdictione identica, appellatio a Vicario ad Episcopum non admittitur. Sed nihilominus coram Episcopo potest agi de nullitate sententiæ a Vicario Generali prolatæ (2); potest Episcopus causam ad se evocare, et de interlocutoria cognoscere, quia quousque negotium in episcopali audientia manet, ad Episcopum spectat videre, an Vicarius suo munere recte fungatur.

(1) Cap. 31, de off. et pot. deleg. — (2) Quia cum prolata sit contra canones, suspensa manet, et appellatione non eget. Cap. 1 de sent. et re jud.; et quia judex, qui nullam tulit sententiam, suo non est functus officio. Nihilominus nullitas sententiæ ex consuetudine solet a superiori per appellationem declarari. An. Reiffenstuel de appel. n. 31.

173. Vicarii Generalis jurisdictio deficit ex parte ipsius per mortem, et renunciationem sive expressam, sive tacitam, ut si a loco Vicariatus egrediatur animo non revertendi; ex parte vero Episcopi deficit: per ejus mortem, renunciationem, translationem, depositionem, suspensionem (1), et mandati revocationem (2). Nam quocumque modo jurisdictio in Episcopo cesset, eodem cessat statim in ejus Vicario, licet res non sit amplius integra. Nihilominus gesta per Vicarium ignorantem Episcopi mortem valida censentur (3).

(1) Idem dicendum si sit excommunicatus non toleratus. — (2) Circa mandati revocationem observamus cum Ferraris in ea semper habendam esse rationem causæ, quæ eam suadeat; alias si remotio fieret sine gravi causa, Vicarius posset per S. Congregationem Episcoporum in suum officium reintegrari. Causæ autem justæ habentur sequentes: 1ª Est, si de Vicario audiantur multæ querelæ. S. Cong. Episc. in *Spalatrensi* S. Feb. 1601. 2ª Est, quando non bene gubernat, nec certiorem facit S. Congregationem de causis magni momenti, in defectu, vel absentia Episcopi S. Cong. Episc. in *Agrigentina*, et in *Tranensi* 3 decemb. 1601. 3ª Si scribat irreverenter ad sacram Congregationem, ejusque Dominos Officiales. S. Cong. Episc. in *Reatina* 3 sept. 1601. 4ª Si aliquem S. R. E. Cardinalem vebita reverentia non tractet. S. Cong. Episc. in *Savonensi* 19 noqemb. 1655. 5ª Si careat circumspectione et prudentia, licet in reliduis idoneus esset. S. Cong. Episc. in *Placentina* 11 sept. 1601. 6ª Si excommunicatus existat. S. Cong. in *Placentina* 18 jun. 1649. 7ª Si mandatis S. Congregationis obedire renuat. S. Cong. Episc. in *Par-*

mensi 17 aug. 1643. 8ª Si oriundus fuerit ex eadem civitate vel diœcesi S. Cong. in *Ostunensi* 28 jul. 1857, et in aliis pluribus. Ferraris verb. *Vicarius Generalis* art. 4, n. 29. Eadem habet Pellegrinus in Prax. sect. 2, subsect. 6, n. 4 et seqq. Notat tamen ibi n. 14, quod, excommunicato Vicario, non cessat jurisdictio in Provicario, modo hic habeat jurisdictionem ab Episcopo, non a Vicario (3). Vicarii Generales habendi non sunt, ut veri Prælati, quia non nativa, sed dativa jurisdictione pollent; neque sunt capitulo cathedrali superiores, quia capitulum ipso jure episcopalem jurisdictionem habet in habitu, sede plena, et in actu, sede vacante; Vicarii vero sunt tantum jurisdictionis episcopalis ministri. Nihilominus regulariter in conventibus præcedentiam habent supra capitulum, modo canonici sint in simplici veste chorali, et non sacra, et Vicarii habitum vicarialem gerant, quod contingit in synodo diœcesana, in qua Vicarius Generalis assidere debet post Episcopum. Benedictus XIV de Synod. l. 3, c. 10, n. 2, quod contingit etiam in choro ex pluribus decisionibus S. Congregationis Rituum, apud Gardellini. Quoad habitum vicarialem hæc tradit Benedictus XIV: Vicarius in Synodo vestes defert, quibus per urbem incedere debet; de Synod. l. 3, c. 11, n. 8. Sed Barbosa habitum vicarialem reponit in mantelletto nigro cum subtana. Sum. decis. apost. collect. 724. Sacra vero Congregatio Rituum definivit, habitum vicarialem consistere in subtana cum mantello, et bireto, et si non est Pronotarius Apostolicus, ei non licere uti subtana cum cauda et mantelletto. Gardellini sub. n. 3085.

174, Præter Vicarium Generalem Episcopi sibi eligunt Vicarios Foraneos. Horum origo antiquissima est, et a Corepiscopis repetenda, vel ab archipresbyteris et archidiaconis ruralibus. Cum enim archipresbyteri et archidiaconi civitatenses erant Vicarii nati Episcoporum in urbe; archidiaconi et archipresbyteri rurales erant eorum Vicarii in pagis, et oppidis, in quibus tamquam in parvis episcopatibus jurisdictionem exercebant. His archipresbyteris, et archidiaconis decursu temporis Vicarii Foranei cum minore jurisdictione fuerunt substituti (1). Vicarius Foraneus nunc est, qui ab Episcopo in aliquo diœcesis pago, aut oppido constituitur, ut in eo jus dicat in quibusdam levioris momenti causis, et jurisdictionem exerceat ad certos dumtaxat actus limitatam (2). Ideo vero dicitur Foraneus, quia foris, sive extra locum, in quo sedem habet episcopus, ejusdem jurisdictionis particulam exercet.

Vicarius Foraneus in pluribus differt a Generali: nam Generalis potest esse litterarum Apostolicarum executor, quia est in dignitate constitutus, non item Foraneus, qui

nullam habet dignitatem (3): Generalis idem habet cum Episcopo consistorium, Foraneus diversum: a Generali non appellatur ad Episcopum, ad quem a Foraneo legitime appellatur: Generalis jurisdictio est ordinaria, Foranei e contra delegata, ut omnes fatentur Doctores.

Modica Vicarii Foranei jurisdictio in eo præsertim consistit, ut inquirat de vita et moribus clericorum, ut videat, an Parochi proprii ministerii partes impleant, et vigilet, ne errores, aut scandala in gregem sibi subditum irrepent, de quibus omnibus pro nata occasione debet admonere Episcopum (4).

(1) Benedictus XIV de Synod. l. 3, c. 3. De archipresbytero rurali hæc legimus in cap. 4 de off. archip.: « Ut singulæ plebes ar» chipresbyterum habeant. Propter assiduam erga populum Dei cu» ram singulis plebibus archipresbyteros esse volumus, qui non so» lum imperiti vulgi sollicitudinem gerant; verum etiam eorum presby» terorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspe» ctione custodiant, et qua unusquisque industria divinum opus » exerceat, Episcopo suo renuntient: nec obtendat Episcopus, non » egere plebem archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat; » quia etsi valde idoneus sit, decet tamen, ut partiatur onera sua, » et sicut ipsi matrici præest, ita archipresbyteri præsint plebibus, » ut in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo. Cuncta tamen ad Epi» scopum referant, nec aliquid contra decretum ejus ordinare præ» sumant » — (2) Benedictus XIV cit. loc. — (3) Clem. 2, de rescript. in 6. — (4) De cætero majores, aut minores habet facultates, juxta diœcesis statuta, et consuetudines. Quoad diœcesim Genuensem hæc Vicarii Foranei jura, et officia descripta sunt in cap. 17, diœcesanæ Synodi Emin. Tadini. In jure vero communi ultra citatum caput officia archipresbyteri Foranei possunt colligi ex sequenti decisione S. Congregationis Concilii relata a Barbosa de canon. c. 6, n. 32. Quæsitum enim fuit, 1° an quidem archipresbyter plebanus Materanensis possit sumere informationes super matrimoniis a forensibus contrahendis, et i las trasmittere Ordinario pro gratia obtinenda? S. Congregatio respondit: *Posse quidem sumere informationes super matrimoniis a forensibus contrahendis extrajudicialiter, et non in figura judicii, nec cum receptione testium formaliter, cum ista non possint fieri absque jurisdictione, quam archipresbyter ipse non habet.* 2° An possit sibi inobedientes in ejus officio coercere, eisque pœnam injungere? Et respondit: *Non posse inobedientes coercere, nec eis pœnam injungere, cum corrigere et imponere pœnas absque jurisdictione esse non possit, quam archipresbyter non habet, licet habeat facultatem eos admonendi, ut munera eis injungenda præstent, et facienda suo loco et tempore faciant, prout decet; in casu inobedientiæ habent facultatem referendi omnia Episcopo ad effectum, ut contra eosdem,*

prout illi visum fuerit expedire, procedat. 3° An possit jurgia inter sacerdotes et clericos orta in sua Ecclesia componere, et excitantem clamorem in choro, vel in sacraria punire? Et respondit: *Posse amicabiliter, et prout decet bono religioso, jurgia inter sacerdotes, et clericos orta in sua Ecclesia componere; sed non per viam juris: excitantes autem clamorem, vel discordias seminantes in choro, vel in sacrario posse quidem admonere, ut a prædictis desistant, sed non propterea eos punire posse.* S. Cong. Conc. 11 decemb. 1598.

TITULUS XVIII.

DE CAPITULIS CANONICORUM.

SUMMARIUM: 175. Capitulum quid, et quotuplex? — 176. Canonici tenentur in sua Ecclesia residere. — 177. Tres tantum vacationis menses illis conceduntur. — 178. Quomodo puniantur absentes? — 179. Tenentur choro deservire. — 180. Missas conventuales celebrare, et unam pro benefactoribus applicare. — 181. Episcopum associare, et comitiis capitularibus interesse. — 182. Fidei professionem emittere. — 183. Fructus beneficii, et distributionis quotidianæ canonicis assignantur. — 184. Quæ sint justæ absentiæ causæ ad percipiendos fructus? — 185. Distributiones dantur tantum canonicis in choro præsentibus. — 186. Neque possunt a præsentibus absentibus condonari. — 187. Quæ sint justæ absentiæ causæ, ad percipiendas distributiones quotidianas? — 188. Qui, et quot sint canonicorum gradus? — 189. A quo, et qui sint ad capitulum convocandi? — 190. Quomodo legitima deliberatio capitularis sumatur?

175. Capitulum dupliciter accipitur, pro loco nimirum, in quo clerici alicujus Ecclesiæ in unum conveniunt, et pro ipsa clericorum congregatione. Hoc altero modo acceptum capitulum est consistorium, vel senatus, aut collegium clericorum Regularium, aut sæcularium alicujus claustri, vel Ecclesiæ, ubi arca servatur communis reditus et titulos continens, commune institutum, habitus, syndicus et sigillum. Idcirco capitulum dividitur in regulare, et sæculare, prout ex regularibus, vel sæcularibus clericis componitur. Hoc postremum subdividitur in cathedrale, et collegiatum, prout spectat ad Ecclesiam cathedralem, vel ad Ecclesiam simpliciter collegiatam. De capitulis tantum sæcularibus agimus.

Sæculare capitulum ex canonicis sæcularibus conflatur. Canonici sic appellantur a canone, seu a regula, quam

debent in Ecclesiæ famulatu observare, qui ex moderno loquendi usu in Regulares, et sæculares dividuntur, quia illi sub cura Abbatis in communi vivunt in claustris; hi vero in sæculo separatim sub Episcopi cura, postquam ab illis desciverunt, a quibus eorum originem repetunt (1).

(1) Circa canonicorum originem, prætermissis quorumdam opinionibus, illud tradimus, quod in Pontificiis monumentis reperimus expressum, canonicos nempe Regulares S. Augustini nuncupatos in primordiis Ecclesiæ a Religiosis Christi Discipulis fuisse institutos, eosque originem habuisse ab Apostolis. Benedictus XII in bul. *Ad decorem,* et S. Pius V in bul. *Cum ex ordinum.* Inde ex ecclesiasticis historiis abunde constat, canonicos vitam duxisse communem, quam in oriente jamdiu admissam, in occidentem detulit S. Eusebius Vercellensis Episcopus, quamque postea S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Martinus Turonensis, aliique Episcopi probarunt. Canonici in communi viventes, et in deterius abeuntes, sæculo Ecclesiæ octavo a Chrodogango Metensium Episcopo in Gallia accuratiorem acceperunt regulam, in Synodo Aquisgranensi auctam, ob quam assimilabantur monachis, licet religiosa vota non emitterent. In vim hujus regulæ qui ad canonicalem statum contendebant, durum debebant exigere novitiatum sub Præpositi cura, et institutione Scholastici. Benedictus XIV de Synod. l. 11, c. 3. n. 3 et seqq. Sed hæc vita communis a sæculo X, quibusdam in locis despici cœpit, cum nonnulli levamen, seu libertatem quærebant, non disciplinam, ut singulariter, sive sæcularitер vivere possent, et sæculo XII, ubique pene antiquata fuit, quam instaurare conati sunt S. Petrus Damiani in Italia, S. Ivo Carnotensis in Gallia, et S. Ecbertus Eboracensis in Anglia. Ex quo factum est, ut qui inter Canonicos antiquam vitam communem instauratam retinuerint, canonici Regulares, et qui seorsim a vita communi in sæcularibus domibus manere exoptaverint, canonici sæculares fuerint nuncupati, quos leviter objurgat S. Ivo in epist. 60, quia refrigescere passi sint charitatem, quæ omnia vult habere communia, et regnare cupiditatem fecerint, quæ non quærit, quæ Dei sunt, et proximi, sed ea tantum, quæ sunt propria. Quantæ felicitatis esset pro se, proque Ecclesia vita Canonicorum communis dici vix potest, quando in capite, sive Episcopo, et membris unum erat refectorium, et dormitorium, una mensa a divina benedictione, divino sonante Lectoris eloquio, exhilarata, una mensura cibi et potus pro necessitate, non pro voluptate, concessa, una mens ex omnium doctrinis illustrata, et unum cor ad profectum Religionis ex omnium piis desideriis inflammatum. At canonici ad vitam singularem conversi, excepta hac exteriori vitæ communis disciplina, omnia proprii instituti essentialia retinuerunt, et retinere debent, uti continuo sacri canones præscribunt. Scarfantonius ad Ceccoperium tit. 2, n. 17.

176. Regula canonicorum postulat, ut ipsi nedum communia clericorum teneant, cum ex canonicis sumi debeat exemplum, quod universo clero proponatur (1), et clerici omnes ante oculos sibi ponant necesse sit vitæ rationem, quam canonici sequuntur (2); sed etiam ut peculiaria sibi a lege imposita officia servent. Et primo, tenentur observare decretum concilii Tridentini de residentia, his verbis conceptum: *Præterea obtinentibus in iisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt; alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrarum canonum constitutiones procedatur* (3).

Sequitur ex hoc decreto, ecclesiarum cathedralium Canonicos debere per novem menses in eorum Ecclesiis residere, nisi longius servitii tempus requirant ipsarum Ecclesiarum constitutiones, et consuetudines, quæ etiam post Concilium sunt observandæ; minus vero servitii tempus omnino reprobatur, etiam causa statuti, aut consuetudinis utut immemorabilis, quæ tantum ex Summi Pontificis indulto posset sustineri.

(1) Propterea ut quis in album Canonicorum assumi possit, debet: 1° Habere ordinem canonicatui adnexum, vel saltem capacitatem ad illum intra annum recipiendum, et consequenter etiam ætatem ad illum intra annum assequendum: excipitur tamen casus, in quo agatur de canonicatu Ecclesiæ Collegiatæ, cui nullus sit adnexus ordo, quia tunc ætas quatuordecim annorum sufficit. Trid. Sess. 24, c. 12; et Sess. 23, c. 6, de ref. 2° Debet eximia integritate vitæ, morum, et fidei pollere, ad quam probandam a Tridentino cogitur ad solemniter professionem Fidei emittendam. Trid. cit. cap. 12. 3° Debet in S. Theologia, et Juris canonici scientia excellere, ut fidem, bonosque mores promovere possit. Hinc ipsum Tridentinum hortatur, ut *dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus Ecclesiis, et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia,*

vel Jure canonico. Trid. cit. cap. — (2) Benedictus XIV, Inst. 107, n. 4. — (3) Trid. Sess. 24, c. 12, de ref.

177. Sequitur juxta superius dicta, eisdem dari tantum tres vacationis menses, qui efformantur a nonaginta diebus continuis, vel interpolatis, modo simul canonici non absint ultra tertiam partem, quia hi tres menses dantur canonicis, non capitulo, quod pro servitio Ecclesiarum semper adesse necesse est, et dummodo absentiæ in Adventu, vel Quadragesima, aut præcipuis anni festivitatibus non contingant. Quare ad hunc effectum, non computantur punctaturæ horarum, ut falso quidam sibi persuadebant; et ideo etiamsi quis absens ultra trimestre salvas haberet tres quartas punctaturarum partes, adhuc in Concilium delinqueret (1).

(1) Sic enim definivit S. Congregatio concilii die 17 junii 1594, quæ *censuit ad constituendum servitium novem mensium non esse colligendas punctaturas, quasi ii, qui novem punctaturarum ex duodecim, quæ ex servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio novem mensium debito satisfecerint; sed ipsos dies residentiæ, et servitii, sive continui fuerint, sive interpolati, numerandos esse, ut numerum compleant dictorum novem mensium.* V. Benedictus XIV, Inst. 107, n. 32. Anno tamen præcedenti eadem S. Congregatio respondens Episcopo Mutinensi petenti, an censendi forent absentes, qui non absunt a diœcesi vel civitate, sed ab Ecclesiæ servitio tot yicibus, ut trium mensium præscripta quantitas annuo spatio superetur? Statuit, *istos haberi pro absentibus.* Id. ibid. n. 33. Hæc sane decisio anterior est, cui per decisionem citatam posteriorem derogari videtur. Sed ulterius non videntur esse contrariæ, at potius conspirantes ad eumdem finem, nempe ad prohibendam omnino absentiam ultra tres menses. Prima revera ex calculo punctaturarum, quæ non excedant quartam partem punctaturarum totius anni, non liberat beneficiatum a servitio chori, quia cum punctaturæ dierum sint quandoque graviores, et quandoque leviores, beneficiatus posset interesse punctaturis gravioribus, et abesse levioribus, et sic habere vacationis tempus trimestre majus. Secunda vero ex calculo punctaturarum, quæ excedunt quartam partem punctaturarum totius anni, deducit, beneficiatum jam suæ vacationis tempus absumpsisse, quia sic præsumitur, et ordinarie contingit. Sed aliud est residere, et aliud servire: illud importat præsentiam in loco beneficii; hoc vero præsentiam in choro. Tres prædicti conciliares menses respiciunt residentiam ad incurrendas pœnas a concilio statutas in citato decreto, et ille tamquam residens habetur, qui etiam uni horæ in die intervenit choro, ut docet Fagnanus ad cap. *Licet* de Præbend. n. 56. Servitium vero chori

continetur in alio ejusdem Tridentini decreto, ut infra videbimus. Cæterum canonici per dictos tres menses a propria Ecclesia abesse possunt etiam sine licentia Episcopi, quam tamen debent illi expetere, et hic concedere, si velint extra diœcesim proficisci. Benedictus XIV, cit. Inst. 107, n. 35 et 36.

178. Sequitur ex eodem, Canonicos absentes a suis ecclesiis ultra prædictum tempus primo anno amittere medietatem fructuum præbendarum suarum ad ratam mensium, quibus abfuerunt, ex S. Congregationis decisione citata a Fagnano (1); item absentes secundo anno amittere omnes fructus; et similiter tertio anno absentes posse beneficii titulo privari ad formam juris ante Tridentinum constituti (2). Ex jure autem ante Tridentinum constituto contra injuste absentes potest episcopus per suspensionis, aut excommunicationis sententiam procedere; qua si nequeat eorum malitiam emolire, debet eos citare, ut sub pœna privationis beneficii intra tempus ab ipso statutum ad residendum revertantur, si locus agnoscatur, in quo absens moratur; si vero ignoretur, ter debet episcopus absentem per edictum citare; et si post sex menses ab ultima citatione non compareat, vel compareat quidem, sed residere injuste contemnat, potest illum beneficio privare (3).

Hinc, Tridentinum cum jure antiquo concordantes, adnotamus, episcopum contra absentem primis duobus annis posse procedere dando suspensionem ad formam juris antiqui, etiamsi ad formam Tridentini jam inceperit procedere, quia in hoc juris antiqui pœnæ non fuerunt per ipsum Tridentinum sublatæ; vel posse procedere ad formam ejusdem Tridentini dumtaxat ad fructuum privationem. Sed eodem tempore adnotamus, episcopum non posse devenire ad privationem beneficii, nisi post triennium absentiæ, post superius insinuatas citationes, aut edicta, et post lapsum sex mensium ab ultima citatione, aut edicto, quia in hoc jus anterius a Tridentino fuit correctum (4).

(1) In cap. *ex tuæ* de cler. non resid. n. 15. — (2) Ratio, ob quam primo anno amissio fit tantum ad ratam injustæ absentiæ, cum secundo fiat absolute quoad omnes fructus, etiamsi quis pro parte anni

extitisset præsens, hæc esse videtur, quia prima vice delinquenti magis parcendum, cum in delicto perseveranti pœna sit augenda. — (2) Cap. 8, 11 et 17, de cler. non resid. — (3) Ita demonstrat ex decisionibus S. Congregationis Benedictus XIV. Inst. 107, n. 37 et 38. Sed videndus est etiam Giraldus ad cit. cap. *Ex tuæ* de cler. non resid. Hic quæstio est inter Doctores, an privatio fructuum a Concilii decreto illata infligatur ipso jure, ita ut statim enascatur obligatio fructus restituendi Ecclesiæ, aut alteri pio loco; an vero infligatur tantum post condemnatoriam judicis sententiam. Reiffenstuel ad tit. de cler. non resid. n. 125 cum aliis pluribus docet, privationem inferri solummodo post condemnatoriam judicis sententiam, quia Patres Concilii utuntur verbo, *privetur,* quod pœnam ferendæ sententiæ, et non latæ evidenter continet, quia rem faciendam, et non factam indicat. Sed S. De Ligorio in Moral. l. 4, n. 129, docet, hanc privationem inferri ipso jure, darique in conscientia restituendi obligationem, quia postquam Concilii Patres adhibuerunt verbum *privetur,* subjunxerunt, *unusquisque dimidia parte fructuum, quos etiam ratione præbendæ, ac residentiæ facit suos.* Ideoque si ratione residentiæ beneficiatus facit fructus suos, non residendo suos non facit. Insuper hæc doctrina confirmatur ex bul. Benedicti XIV *Cum semper,* et a brev. ejusdem *Dilecte fili,* in quo Pontifex declarat, adsistentes, sive interessentes choro, et non canentes non facere fructus suos, ac restitutioni esse obnoxios: at si in choro non canentes non faciunt fructus suos, quomodo suos facere poterunt non interessentes et absentes? Ad hoc autem restitutionis onus tenentur quoque omnes beneficiati cum cura, vel sine cura animarum, immo et habentes præstimonia, vel præstimoniales portiones, vel beneficia absque servitio, qui horas canonicas Breviarii non recitarent, et quidem pro rata temporis amittunt beneficiorum fructus, ac possunt gravioribus pœnis puniri, si adsit contumacia, sicut statutum invenimus in bul. S. Pii V. *Ex proximo,* quæ confirmat aliud præcedens decretum concilii Lateranensis. S. De Ligorio in Moral. l. 3, n. 663 et seqq. et Anal. Jur. Pont. ad an. 1854, pag. 695.

179. Secundo, tenentur Canonici aliud decretum ejusdem Concilii observare de præsentia in choro, et in divinis officiis, his verbis conceptum: *Omnes vero divina per se, et non per substitutos* (1), *compellantur obire officia, et Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, adsistere, et adservire, atque in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare* (2). Ex tenore hujus decreti, quod ex præcedenti profluit, liquido patet, canonicos teneri choro deservire per se, non per substitutos, cum cæteris aliis choro deservientibus canere, ne tamquam muta simulacra propriis sedibus immorentur, et alia peragere, de quibus agit Benedictus XIV (3).

(1) Nihilominus S. Cong. Conc. in causa *Eugubina* censuit, sublatam non esse canonicis in civitate degentibus facultatem aliquando sese invicem substituendi, dummodo eodem tempore substituens, et substitutus eidem servitio adscripti non sint. Soglia Inst. jur. priv. § 21. Hoc. tamen jus non conceditur Coadjutoribus. Giraldus ad cap. *Dolentes* de celeb. miss.; neque illis, qui morantur extra civitatem. Hoc conceditur ex juxta causa, cum moderatione Episcopi, ne per nimiam frequentiam eo jure Canonici abutantur. Bened. XIV. Inst. 107, § 3. — (2) Trid. sess. 24, c. 12, de ref. — (3) Inst. 107, n. 24, et seqq. S. Carolus Borromæus hac de re ita Canonicos alloquebatur. « Vos, qui in cathedrali Ecclesia dignitates obtinetis, Canonici item attente, studiose, rite, pie, religiose divinas laudes » concelebrate, et psallite Deo in conspectu Angelorum, canentes » in cordibus vestris Domino. In choro nemo privatim, nemo tacite » officium recitet, sed omnes pariter quicumque adestis, senes cum » junioribus laudate nomen Domini in psalmis, hymnis, et canticis. »

180. Tertio, tenentur Canonici missas conventuales inter ipsum divinum officium celebrare (1), unam nimirum quotidie de officio currenti cum applicatione pro benefactoribus; alteram de feria, si præter festum eo die occurrat feria quadragesimæ, rogationum, quatuor temporum, aut vigiliæ; et etiam tertiam, si præter festum, et vigiliam occurrant rogationes, ut in pervigilio Ascensionis (2). Verum etsi duæ, vel tres missæ conventuales sint interdum celebrandæ; tamen unica tantum debet quotidie pro benefactoribus in genere necessario applicari (3).

(1) Cap. 11, de celeb. mis. — (2) Missa conventualis de Sancto celebranda est post tertiam, de vigilia post sextam, et de rogationibus post nonam. — (3) Sic definitum est in bul. *Cum semper* Benedicti XIV. Non excusat ab onere quæcumque consuetudo quæ dicitur abusus et corruptela. Id. ib.; et Parochus celebrans missam conventualem, non excusatur a Missa pro populo, quam debet celebrare et applicare per alium. Id. Inst. 107, n. 13 et seqq.

181. Quarto, tenentur Canonici Episcopum revereri, eumque associare, cum accedit, et recedit ab Ecclesia, et comitiis capitularibus interesse, nisi legitime excusentur, quod etiam tunc evenire potest, cum omnia in Capitulo sine lege, sine ordine, et sine modo geruntur (1); aliter non intervenientes delinquerent, et quidem graviter, si per notabile tempus a talibus comitiis per contemptum abessent. Hæc porro interventio ordinata est ad

spiritualia et temporalia Capituli, et Ecclesiæ negotia rite definienda, ex quo utriusque bonum et felicitas pendet.

(1) Barbosa de Canon. cap. 4, n. 4.

182. Quinto demum, tenentur Ecclesiæ Cathedralis Canonici infra duos menses a die adeptæ possessionis præbendæ coram Episcopo et Capitulo fidei professionem personaliter emittere, alioquin fructus præbendæ ipso jure amittunt (1), licet aliud obtineat circa distributiones quotidianas, ut animadvertit Benedictus XIV (2). Hoc tamen onus Ecclesiæ simpliciter Collegiatæ Canonicis, et Dignitatibus a jure communi non imponitur, nisi curam gerant animarum, uti a S. Congregatione decisum refert Garcia (3).

(1) Trid. sess. 24, c. 12, de ref. Fructus sic amissi accrescunt capitulo. Ceccoperius l. 4, t. 10, n. 3. — (2) Inst. 60, n. 15. — (3) De benef. p. 3, c. 3, n. 11.

183. His oneribus respondent commoda, quæ maxime in fructuum perceptione consistunt. Fructus autem beneficiorum duplicis sunt generis: alii dicuntur fructus annui, vel simpliciter fructus præbendæ, ut sunt redditus, proventus, et emolumenta, quæ procedunt ex bonis, seu juribus fixe, et perpetuo beneficio adnexis, quæque beneficii dotem constituunt; et alii distributiones quotidianæ appellantur, ut sunt proventus, qui percipiuntur pro certis oneribus missarum, anniversariorum, aliarumque functionum, quique in singulos dies, vel actus distribuuntur. Illi, Canonicis assignantur propter annuam in loco canonicatus residentiam; istæ, propter quotidianam in choro præsentiam. Et si in aliqua Ecclesia Collegiata distributiones nullæ sint, vel ita tenues, ut verisimiliter negligi possint, tertiam partem quorumcumque proventuum potest et debet Episcopus a præbendis avellere, et in distributiones convertere (1).

(1) Trid. sess. 21, c. 3; et sess. 22, c. 3, de ref. Has distributiones quotidianas Ivo Carnotensis primus instituisse dicitur, ut quos ad horas canonicas panis interni refectio non movebat, panis corporei

refectio provocaret. Sed Bonifacius VIII in cap. *Consuetudinem* de cler. non resid. eas sub lege universali constituit, ita ut qui non esset in choro eas recipere non posset, et si recepisset, earum dominium non acquireret, nec faceret suas, sed ad restitutionem teneretur.

184. Fructus annui integri debentur Canonico, qui continuo resedit, immo et ei qui non resedit, si ex justa causa abfuit. Justa autem absentiæ causa est: solatium animi per tres anni menses; servitium Episcopi, quod duo Canonici non curati, ipso requirente, in diœcesi administranda ei præbent, quod contraria consuetudine, aut juramento tolli non potest (1); studium sacræ Scripturæ, aut Theologiæ in aliqua catholica universitate studiorum, quod Doctores ad Jus Canonicum communiter extendunt ex identitate rationis, et ex Congregationis definitione; et officium Magistri in iisdem Facultatibus, sive scientiis (2). Qui his de causis absunt, fructus annuos percipiunt, quia juris fictione residere censentur: sed non percipiunt, distributiones quotidianas, quæ ex regula generali tantum præsentibus in choro assignantur, ut mox videbimus.

Hæc sane ita procedunt, si in Ecclesia sint et fructus præbendæ, et distributiones quotidianæ. Nam si nulli essent fructus præbendæ, et omnes redditus consisterent in distributionibus quotidianis, hæ forent in tres partes dividendæ, quarum duæ tenerent locum fructuum præbendæ, et tertia distributionum quotidianarum: et ideo primas duas partes lucraretur Canonicus justa ex causa absens, relicta tertia actu inservientibus, ne sibi sit inutilis præbendæ titulus, et ne actu inservientes debita frustrentur mercede (3).

(1) Cap. 7 et 15, de cler. non resid. — (2) Trid. sess. 5, c. 1, de ref. et cap. 5, de magist. — (3) Reiffenstuel in tit. de cler. non resid. n. 207.

185. Distributiones quotidianæ debentur Canonico, qui præsens in choro divinum officium rite peregit. Ita definivit Bonifacius VIII, in cap. unic. de cler. non resid. in 6. Idcirco absens etiam ex justa causa, ut in proxime enumeratis casibus, etiamsi esset Episcopi Vicarius Generalis, distributiones quotidianas non lucratur, quæ jure accre-

scendi in utilitatem præsentium cedunt ex decreto Tridentini (1), cui non obest aliud decretum ejusdem Concilii in posteriori sessione (2), in quo distributiones non attribuuntur Canonicis, sed Fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco: nam hoc posterius decretum, quod de dignitatibus, personatibus, et officiis tantum loquitur, intelligendum est non de distributionibus, quæ proveniunt ex mensa capitulari, sed de distributionibus quas prædicti habent proprias, et a mensa capitulari separatas (3).

(1) Sess. 21, c. 3, de ref. — (2) Sess. 22, c. 3, de ref. — (3) Fagnanus in cap. *Quia nonnulli* de cler. non resid. n. 11 et seqq.

186. Cæterum distributiones, quæ a non præsentibus amittuntur, nequeunt a præsentibus eis remitti, sive donari, quod licet durum videatur, dum interdicitur Canonicis sibi acquisita donare, tamen justum est, ne ex liberalitate, aut collusione Canonicorum Ecclesiæ servitium minuatur (1). Et ne efficax hæc providentia eluderetur, statutum fuit, ut in qualibet Collegiata Ecclesia duo deputentur Canonici, unus nempe ab Episcopo, et alius a Capitulo, olim *Obedientiales*, nunc *Punctatores* vocati, qui post emissum coram deputantibus juramentum fideliter suum gerendi officium, accurate adnotarent singulis diebus, singulisque divini officii partibus Canonicos absentes, quibus essent distributiones subducendæ (2).

(1) Trid. sess. 24, c. 12, de ref. — (2) Sic definivit S. Congregatio, teste Benedicto XIV, de Synod. l. 4, c. 4.

187. Regula statuta in citato capite Bonifacii VIII et a Concilio Tridentino confirmata, tres habet limitationes, ut in eodem capite legere est, nempe: in casu infirmitatis, in casu justæ et rationabilis corporis necessitatis, et in casu evidentis Ecclesiæ utilitatis, in quibus etiam non præsentes choro distributiones quotidianas proprias, et partem non præsentium jure accrescendi sibi debitam, lucrantur, eodem modo ac si in choro præsentes extitissent. Excipiuntur tamen illæ distributiones, sive emolumenta anniversariorum, quæ ex voluntate fundatorum

solum vere præsentibus dari debent, vel dari consueverunt (1).

Hic prima exceptio fit in eo, qui infirmitate detinetur, ne ad chorum accedat, etiamsi infirmitas in libere suscepta peregrinatione, vel rusticatione contigerit, modo dum sanus erat interesse consueverit, alias absentia non tribuitur morbo, sed voluntati (2). Nec quælibet invaletudo cum hoc effectu excusat a choro; sed illa tantum, quæ gravis est, non levis, quæque omnem interventum impedit, non aliquem (3). Etenim si canonicus potest in infirmitate negotiorum suorum satagere, non debet servitium Ecclesiæ negligere, cui se devovit; et si nequeat omnibus horis interesse, non excusatur ab illis, quibus potest interesse absque salutis detrimento. Nihilominus cæcus omnino excusatur, etiamsi partem officii queat recitare, quam memoria retinet (4).

Secunda exceptio fit in eo, qui habet justum et legitimum corporis impedimentum, ne ad chorum accedat, ut si quis sine mortis ab inimicis inferendæ periculo nequeat ad Ecclesiam accedere, si quis sit injuste excommunicatus, vel carceribus detentus, vel in exilium pulsus, cujus innocentia fuerit inde juridice agnita, et sententia inappellabili declarata, et si quis animarum cura non gravatus a sua Ecclesia recesserit, in qua vehemens grassatur pestis. Hi quidem omnes possunt distributiones quotidianas repetere, etiamsi non fuerint præsentes in choro (5).

Tertia exceptio fit in eo, qui evidentem Ecclesiæ utilitatem promovet, uti est Canonicus Theologus pro ea die, qua S. Scripturam legit, Pœnitentiarius pro eo tempore, quo confessiones audit, et Canonicus Curatus pro eo tempore, quo circa curam animarum occupatur: item Canonicus, qui ad Ecclesiæ, vel Capituli negotia tractanda Concilium generale, vel provinciale, vel diœcesanum, vel Pontificem, vel Regem, vel Magistratum adit, qui ab Episcopo in sui vicem ad invisenda limina Apostolorum mittitur, et qui ipsum Episcopum ad eumdem finem Romam accedentem comitatur (6): item demum Canonicus, qui ad spiritualia exercitia obeunda ad aliquam religiosam

domum se confert (7), et qui indultum habet a S. Congregatione concessum absentiæ a choro, ubi assidue et laudabiliter quadraginta per annos Ecclesiæ servitium præstiterit (8). Hi quidem omnes distributiones quotidianas percipiunt, quamquam absint a choro (9).

(1) Giraldus ad tit. de cler. non resid. sect. 358. Hæ distributiones manuales tantum inter præsentes dicuntur. Analect. Jur. Pont. ser. 5 pag. 1049. — (2) Id. cit. loc. — (3) Si tamen infirmitas permitteret beneficiato e domo exire, et aliquantisper deambulare ad sanitatem recuperandam, et non posset tuto absque salutis præjudicio choro assistere, non videntur illi distributiones negandæ. Id. cit. loc. — (4) Ita definitum fuit a S. Congregatione, teste Benedicto XIV, in Inst. 107, n. 28. — (5) Sic definitum fuit a S. Congregatione, teste eodem Pontifice in cit. Inst. n. 50 et seqq. — (6) Sed distributiones non lucratur absens Canonicus docens extra Ecclesiam theologiam, vel jus canonicum, Inquisitor, Examinator Synodalis, inserviens Episcopo privatim, aut publice extra missam pontificalem, comitans Episcopum in visitatione, et etiam Pœnitentiarius non audiens confessiones, etiamsi resideat in confessionario. Giraldus cit. loc. — (7) Id. ad tit. de cler. non resid. sect. 358, ubi affert decretum Clementis XI et Encyclicam S. Congregationis ad omnes Episcopos. — (8) Idem dicendum de clericis beneficiatis, qui ex dispositione Synodi Romanæ sub Benedicto XIII, per sex menses debent in seminario commorari. Hoc tamen ibi tantum viget, ubi dicta Synodus vim legis habet. Id. cit. loc. — (9) Ita pluries definivit S. Congregatio in eadem Institutione Benedicti XIV, citato n. 54 et seqq. Quando tamen ex aliqua justa causa dantur distributiones absenti, illud semper præ oculis habendum est, an, cum non erat impeditus, choro adsistendi consuetudinem habuerit. Nam in infirmitate non poterit Canonicus lucrari distributiones illarum horarum, quibus sanus adesse non consuevit. Hoc probatur ex sacræ Congregationis decisionibus, quæ declarando debitas distributiones juste impedito, solet addere clausulam: *dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire:* injustum enim est, infirmum lucrari distributiones, quas lucratus non fuisset sanus. Giraldus cit. loc.

188. In Capitulis plures inveniuntur canonicorum gradus: alii sunt *simplices* canonici, alii habent *officium*, alii *personatum*, et alii *dignitatem*. In dignitate sunt qui habent præeminentiam cum jurisdictione; in personatu qui habent præeminentiam absque jurisdictione; et in officio qui utraque carentes aliquo defunguntur peculiari ministerio, ut legendi S. Scripturam, aut excipiendi fidelium confessiones. Reliqui simplices dicuntur canonici, qui

adhuc in presbyteros diaconos et subdiaconos, solent distribui.

189. Capitulum convocandum est ab Episcopo, vel a digniore de capitulo, vel ab eo, ad quem de jure vel de consuetudine spectat (1). Ad capitulum omnes sunt invitandi canonici vocales, qui in ordinariis capitulis, diebus statutis habendis, vocantur tacite, cum dies interpellet pro homine; in extraordinariis vero, et in iis, in quibus de majoribus et gravioribus agitur, nominatim sunt vocandi (2): aliter si unus tantum per contemptum non vocetur, capituli vim evertere potest, si repugnet, vel eamdem magis confirmare, si ratam habeat (3). Contemptus autem resultat nedum ex actu negativo non vocandi, sed magis adhuc ex actu positivo inhibendi, ne canonicus ad capitulum accedat (4).

(1) Trid. sess. 25, c. 6, de ref. — (2) Id locum habet, cum sunt præsentes in civitate, vel in loco, ubi sita est ecclesia, ad quam pertinent: nam a dictis locis absentes non sunt absolute vocandi, nisi in contrarium stet statutum, vel consuetudo. Nihilominus in quibusdam casibus a jure determinatis vocandi sunt etiam absentes, modo reperiantur in Provincia, ut si ageretur de alicujus beneficii collatione, aut de cessatione a divinis. Scarfantonius ad Ceccoperium l. 4, t. 2, n. 49 et seqq. Alii autem adjungunt, idem servandum esse: 1° quando tractantur negotia ardua et magni momenti, uti sunt, alienatio bonorum capituli, et electio Vicarii Capitularis; 2° quando sumuntur deliberationes, quæ in singulorum præjudicium vergere possunt; 3° quando adest consuetudo, ut quibusdam actibus capitularibus absentes vocentur. Auctor prælect. jur. can. p. 2, n. 388, et Reiffenstuel ad tit. de iis quæ fiunt a major. etc., n. 10. — (3) Cap. 36, de elect. in quo legitur: *Plus in talibus consuevit contemptus unius obesse, quam plurium contradictio in præsenti.* — (4) Votum in Capitulo habent omnes canonici in sacris constituti. Trid. sess. 24, c. 4, de ref. qui ordinem receperunt, quem titulus ipsius canonicatus exquirit. Hi possunt dare votum per se, et etiam per procuratorem, modo ipsi sint vere impediti, et morentur in provincia, et curatorem deputent unum de capitularibus, qui poterit dare votum pro se, et pro absente, sed in favorem tantum unius, ne videatur suam conscientiam dividere. Cap. 46, de elect. in 6. Episcopus, et ejus Vicarius Generalis, si canonici non sint, non habent vocem in capitulo, nisi illis concedatur ex S. Sedis privilegio, quale fuit Episcopis Hispaniæ concessum a Pio IX, in recenti concordato. Si vero sint simul canonici, vocem habent, quando non agitur de re quæ eorum personas directe afficiat. Si enim de eorum interesse ageretur, nedum haberent vocem, sed insuper de aula capitulari egredi

deberent, ne per eorum præsentiam deliberationis libertatem impedirent. Vocem in capitulo servant canonici etiam pro suis propinquis intra tertium gradum, modo procedatur per secreta suffragia. S. Cong. Conc. in *Ferentina* 1834 et 1835. Ricther ad sess. 24, c. 12, de ref. n. 10.

190. In actibus capitularibus decisio majoris et sanioris partis attenditur: major dicitur quoad numerum, et sanior quoad consilium, quod ex ætate, dignitate, prudentia, et pietate æstimatur. Majoritas duplex est, nempe *absoluta* relate ad omnes, et *relativa* relate ad singulos (1). In hujusmodi decisionibus prima requiritur; nempe decisio capitularis debet habere majorem suffragiorum partem relate ad omnes præsentes, qui saltem duas tertias canonicorum omnium partes debent regulariter efformare. Hinc si canonici sint decem et octo, duodecim debent esse præsentes ad deliberandum, et septem saltem debent in unum convenire, ut decisio dicatur efficax: nam ibi majorem absolutam habemus partem, quæ et sanior fere semper præsumitur, nisi de contrario constet, cum præsumptio cedat veritati. Attamen si sermo sit de iis, quæ canonicis competunt, non ut collegio, sed ut singulis, sicut foret aliquid conferre ex proprio patrimonio, vel liberalitatem, sine causa necessitatis aut pietatis, ex bonis ecclesiasticis sibi obvenientibus facere, decisio majoris et sanioris partis non sufficeret; sed omnium requireretur consensus, quia negotium, quod tangit omnes, ab omnibus debet approbari (2).

Quod diximus de duabus tertiis partibus canonicorum, quæ debent ad decisionem concurrere, non habet locum, ubi iidem Canonici etiam vocati ad Capitulum injuste accedere recusent, aut ubi accedere nequeant; nam recusantes se faciunt a Capitulo alienos (3), et impotentia aliquorum non debet aliis, et Ecclesiæ præsertim obesse. Hinc in his casibus si tres tantum Canonici sint præsentes, tres possunt deliberare, immo et duo, et etiam unus, in quibus, vel in quo, Capitulum adhuc subsistere censetur (4).

(1) Hæc majoritas relativa sequenti explicatur exemplo: Supponamus canonicos in Capitulo votantes esse duodecim, et quinque

suffragium ferre pro Caio, quatuor pro Sempronio, et tres pro Lucio: pro Caio habebimus majoritatem relativam, quia ipse in votis vincit Sempronium, et Lucium. — (2) Hoc eruitur ex regula juris, quæ sic concipitur: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Cap. 29, de reg. jur. in 6. An. Reiffenstuel in tit. de his quæ fiunt a Prælat. n. 34, et in tract. de reg. jur. ad cit. reg. 29. — (3) Cap. 19, de elect. — (4) Scarfantonius ad Ceccoperium l. 4, t. 2, n. 16. Licet enim Capitulum non possit ab uno inchoari, quia tres saltem requiruntur ad Capitulum efformandum, potest tamen ab uno conservari.

TITULUS XIX.

DE CAPITULO ECCLESIÆ CATHEDRALIS.

SUMMARIUM: 191. Ecclesia Cathedralis commissa est Episcopo et Capitulo. — 192. Episcopus a Capitulo consilium aut consensum requirit. — 193. Quando consensum? — 194. Quando consilium? — 195. Jurisdictio episcopi transit in capitulum, dum sedes vacat, quod pluribus modis contingit. — 196. Capitulum eligere debet œconomum, et vicarium intra octo dies, et interim administrare. — 197. Quis assumendus sit in vicarium? — 198. In vicarium transit omnis jurisdictio ordinaria episcopi. — 199. Limitationes hujus regulæ.

191. Cum Ecclesia Cathedralis prima sit omnium ecclesiarum diœcesis, omnium matrix, sedes, cathedra, thronus Episcopi, et diœcesanæ communionis centrum, supra omnes speciales habet attributiones, tum sede plena, tum sede episcopali vacante. Hæc quidem Ecclesia, sede episcopali plena, habet caput in Episcopo, et membra in Canonicis (1). Ideoque Cathedralis propria Ecclesia est tum Episcopi, tum Canonicorum, sed magis illius, quam istorum. Ex quo sequitur, quod ejus regimen principaliter commissum sit Episcopo, et secundario etiam Canonicis, ita ut communi voluntate, et actione gubernetur (2).

Propterea, iis exceptis, quæ ad propriæ mensæ administrationem spectant, quæ olim erat inter Episcopum et Canonicos communis, et nunc divisa (3), Canonici absque Episcopi approbatione nil possunt innovare, maxime eorum, quæ ad divinum cultum, et ecclesiasticam

disciplinam referuntur, et vicissim Episcopus non debet aliquid novi gravioris momenti, inconsulto capitulo, edicere; quod probatur ex antiqua Ecclesiæ disciplina, et ex jure scripto: nam Alexander III, Patriarchæ Hierosolymitano scribens ita aiebat: *Novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, et fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, et illi membra esse probentur. — Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus et confirmationibus, et aliis Ecclesiæ tuæ negotiis, fratres tuos requiras, et cum eorum consilio, vel sanioris partis, eadem peragas et pertractes, et quæ statuenda sunt statuas, et errata corrigas, et evellenda dissipes et evellas* (4).

(1) Cap. 4, de iis quæ fiunt a Prælat. — (2) Arg. Cap. 12, de testam. Ideo ad pias fundationes in Cathedrali recipiendas requiritur consensus Episcopi, et Capituli. Scarfantonius p. 1, decis. 29. — (3) Post hanc divisionem Capitulum constituit corpus separatum: habet statuta, et insignia propria: habet bona, et officia particularia: habet syndicum, et sigillum proprium, conventus agit, et deliberationes sumit. Soglia Inst. jur. priv. § 52. — (4) Cap. 4 et 5 de iis, quæ fiunt a Prælat.

192. Hoc canonicorum consilium, quod debet Episcopus a suo Capitulo requirere illi divino monito est consentiens, ubi dicitur: *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis* (1). Sed hoc ipsum consilium modo importat simplicem consultationem, modo consensum. Si primum, tenetur expetere, sed non cogitur Episcopus Capituli consilium sequi; neque idcirco est supervacaneum: nam prodest ad causam melius cognoscendam, et ad præjudicatum avertendum judicium, cum juxta vulgi adagium, *plus videant oculi, quam oculus*. Si secundum, Episcopus tenetur expetere, et sequi Capituli sui consilium: nam hoc casu pertinet ad substantiam actus ille consensus, sive illa approbatio, quam debet Episcopus a suo Capitulo obtinere.

Jure Decretalium plures sunt casus (2), in quibus episcopi debent a capitulo suo vel consilium requirere, vel consensum obtinere. Sed moribus hodiernis eorum resolutiones praxi contraria, vel tacita Summorum Pontificum dispensatione raro observantur; immo non desunt, qui

dicunt, titulum Decretalium *De iis, quæ fiunt a Prælatis sine consensu capituli* ab aula recessisse. Sed quam insipienter id effutiant quidam, patet manifeste, si paulisper inspiciantur, quæ hac de re docet Benedictus XIV: « Profecto ambigi non potest, ait ipse, quin etiam hodie, » jure Decretalium, Canonici Ecclesiæ cathedralis sint con- » siliarii nati Episcoporum; adeo ut non liceat Episcopo » aliquid gravis momenti negotium aggredi, et deliberare, » inconsulto Capitulo (3).

(1) Eccles. cap. 32. — (2) De hoc videndi sunt Doctores ad tit. de iis quæ fiunt a Prælat. etc. — (3) De Synod. l. 13, c. 1, n. 5. Inter alios canonistas, quos ad hoc confirmandum possemus adducere, sufficiat doctrina Card. Soglia in suo opere Inst. jur. priv. § 22, qui hanc dat generalem regulam: *Ne quid Præsul in negotiis gravioribus sine Capituli consilio, aut consensu agat.* Insuper hæc consilii requisitio est rectæ rationi et juri conformis, maxime cum agitur de negotiis arduis. In decreto enim Gratiani habemus canonem, qui statuit, Episcopum, ad instar Roboami Regis, debere senatum suum habere, cœtum Presbyterorum, id est Seniorum, sine quorum consilio nihil gravis momenti agat. Can. 8, c. 16, q. 1. Non alia autem de causa populus Israel recessit a Roboamo Salomonis filio, nisi quia, relicto consilio seniorum, voluit sequi consilium adolescentium, qui nutriti fuerant cum eo. 3. Reg. c. 12. Quare laudandi maxime sunt hodierni Galliæ Episcopi, qui hoc consilium petunt ab eorum Capitulis, et habitum in publicis eorum litteris declarant, in quo sapienter summorum Pontificum praxim sequuntur, qui et Ipsi a Collegio Cardinalium consilium exquirunt.

193. Ex nostra sententia Episcopus etiam nunc debet Capituli sui consensum obtinere: 1° in iis statuendis, quæ ad divinum officium in Ecclesia celebrandum, et ad ministrorum regimen referuntur (1); 2° in augendis præbendis tenuibus per unionem beneficiorum simplicium, aut per aliarum præbendarum suppressionem (2); 3° in procedendo contra Canonicos in casibus determinatis a Concilio Tridentino (3); 4° in convertendis relictis pro peregrinis, infirmis, aliisque miserabilibus personis in alios pios usus, si in loco institutionis tales personæ non sint, aut perpaucæ reperiantur (4); 5° in constituendis examinatoribus synodalibus ex licentia S. Congregationis post annum ab ultima synodo (5); 6° in iis omnibus, quæ Capituli interesse aut commune, aut particulare respiciunt,

quæque statum afficiunt ipsius Ecclesiæ, ut sunt alienationes rerum, dignitatum institutiones, aut suppressiones, beneficiorum uniones, et erga alias Ecclesias subjectiones, vel obligationes; 7° in recipiendo Missali S. Pii V, quando prius aliud legitimum erat in usu (6).

(1) Trid. Sess. 24, c. 12, de ref. — (2) Id. ead. Sess. c. 15, de ref. — (3) Sess. 25 c. 6, de ref. — (4) Id. ead. Sess. c. 8, de ref. — (5) Benedictus XIV, de Synod. l. 4, c. 7, n. 9 et 10. — (6) Bul. *Quo primum* ejusd. Pont.

194. Similiter Episcopus debet Capituli sui consilium requirere: 1° in ferendis constitutionibus synodalibus, secus, ut illegitime editæ, suo carent robore, nisi defectus a S. Congregatione sanetur, ut docet Benedictus XIV (1), 2° in distribuendis ordinibus Canonicorum, ita ut saltem dimidia eorum pars Presbyteri sint, et cæteri Diaconi et Subdiaconi (2); 3° in iis explicandis negotiis, quæ ad clericorum Seminaria pertinent (3); 4° in substituendis judicibus synodalibus in locum demortuorum infra annum ab ultima synodo (4).

(1) De Synod. l. 13, c. 1. — (2) Trid. sess. 24, c. 12, de ref. — (3) Id. Sess. 25, c. 18, de ref. — (4) Id. Sess. 25, c. 10, de ref.

195. Sede vero Episcopali vacante, jurisdictio Episcopi transit in Capitulum Ecclesiæ cathedralis, quam per Vicarium a se delectum in universa diœcesi exercet, ita ut loco Episcopi ecclesiam regat, et administret. Sedes episcopalis vacat per mortem Episcopi; et hæc administratio incipit a sufficienti fati notitia, cum, si in longinquis Episcopus decedat, hucusque valide ejusdem Vicarius administret. Vacat per renunciationem, et translationem Episcopi; et administratio incipit a die, qua sufficienter cognoscitur, renunciationem, vel translationem fuisse a Summo Pontifice in Consistorio admissam, vel decretam (1). Vacat per Episcopi depositionem, et administratio incipit a die, qua sufficienter cognoscitur sententia, si pronunciata sit super pœna; nam si pronunciata tantum sit super crimine, administratio non incipit, nisi a deponente

petur, vel privationis declaratio sequatur, vel ab ipso jure imponatur (2). Cum ita sedes Episcopalis vacat, Capitulum in locum succedit ipsius Episcopi, nisi habeat Vicarium Apostolicum a Summo Pontifice, vel a S. Congregatione datum, quo casu Capituli successio et administratio excluditur, et ipse Vicarius Apostolicus jurisdictionem exercet (3).

(1) Bul. *Nobis nuper* Urbani VIII. — (2) Fagnanus in cap. *Qualiter* de accusat. n. 95 et seqq. — (3) Si vero episcopus fiat infidelium, vel hæreticorum captivus, vel in carcerem detrudatur, sedes non vacat, et ipse per litteras, perque Vicarium suum generalem regere Ecclesiam suam potest. Hoc probatur ex declaratione S. Congregationis producta a Benedicto XIV, de Synod. l. 13, c. 16, n. 10, et 11; et confirmatur ex litteris Gregorii XVI, datis die 9 maii, an. 1838, in causa archiepiscopi Coloniensis, in quibus leniter reprehenditur metropolitanæ capitulum, quod post archiepiscopi capturam ad electionem vicarii capitularis devenerat, licet in vicarium capitularem sibi assumpserit ipsum archiepiscopi Vicarium generalem, et ejusdem jurisdictio confirmatur non ut Vicarii capituli, sed ut Vicarii Episcopi. Hoc ipsum ab hodierna praxi roboratur: nam Aloysius Franzoni archiepiscopus Taurinensis, et Emmanuel Marungiu Nurra Archiepiscopus Calaritanus, per suos Vicarios generales suas archidiœceses regebant, dum e suis sedibus vi expulsi extra Sardiniæ regnum ad longum tempus vixerunt, ille scilicet Lugduni in Gallia, et hic Romæ. Nihilominus si in captivitate, vel in carcere ita arcte custodiretur Episcopus, ut nullam posset habere cum sua diœcesi communicationem, nullumque reliquisset vicarium, posset capitulum vicarium capitularem interim eligere, ut loco Episcopi administraret, donec alia a S. Sede daretur providentia, cui statim debet utrumque factum significari, cap. 3, de suppl. negl. Præl. in 6. Et idem videtur dicendum, si Episcopus in amentiam, vel furorem incidat, vel alio perpetuo morbo ita afficiatur, ut officium episcopale nullo pacto valeat exercere. Arg. cap. 1, de cler. ægrot. in 6. His enim in casibus sedes interpretative vacat, et, ni capitulum administret, nimis graviter potest lædi, et turbari Ecclesia, quia paria sunt, ut ait Reiffenstuel, non habere episcopum, aut habere inutilem.

196. Jurisdictio ab Episcopo in Capitulum devoluta diu a toto corpore exerceri non potest, quia experientia compertum est, communem administrationem confusionem parare; ideo tenetur Capitulum unum, vel plures œconomos constituere, qui rerum ecclesiasticarum, et proventuum curam gerant, et insimul infra octo dies post E-

piscopi mortem, vel renunciationem, etc., unum tantum Vicarium capitularem idoneum eligere (1), qui jurisdictionem in Capitulum transmissam exerceat: secus electio devolvitur ad Metropolitanum; vel, si ipsa Ecclesia Metropolitana sit vacans, ad Episcopum Provinciæ antiquiorem cathedra, non ætate; vel, si sit ipsa Ecclesia exempta, ad Episcopum propinquiorem (2).

Non potest quidem diu a toto canonicorum corpore acquisita episcopalis jurisdictio exerceri; sed hoc non impedit, quominus eadem jurisdictio per octo utiles prædictos dies a toto Capitulo, non a Præposito, vel ab ejus prima dignitate, valide et licite ante Vicarii capitularis electionem exerceatur. Et ideo non cogitur Capitulum, ut statim, habita vacationis notitia, suum Vicarium eligat; sed potest, licet ut plurimum non expediat, electionem usque ad ultimum diem differre. At semel legitime facta electione, omnis jurisdictio Capituli in electum Vicarium transit, ita ut nequeat limitari, vel dari ad tempus, aut revocari, nisi ex justa causa, et habita a S. Congregatione facultate (3). Quare jurisdictio a Vicario capitulari acquisita in eo viget, donec novus Episcopus litteras Apostolicas suæ missionis acceperit, easque Capitulo præsentaverit, a quo die incipit ministrare promotus, cui prius sub gravibus pœnis est interdicta diœcesanorum obedientia (4).

(1) In Gallia tamen plures eliguntur Vicarii Capitulares. Hæc consuetudo inducta fuit a paritate rationis: nam sicut Episcopi Galliarum sibi plures Vicarios Generales assumunt, ita Capitulum. Sed hæc ratio non est satis firma, quia, vivo Episcopo, adest caput, a quo diversi Vicarii reguntur; eo vero mortuo, Vicarii plures Capitulares destituuntur centro, et capite: nam capitulum, electo Vicario, omnem jurisdictionem in illum transfert: et ideo quando S. Congregatio interrogatur, quot possint eligi Vicarii capitulares, semper, sublata consuetudine immemorabili ante Tridentinum concilium, respondet: unus. Immo etiam ubi plures ex consuetudine eliguntur Vicarii, unus a S. Sede tamquam principalis, et caput habetur; quod constat ex Litteris Pii VI, datis Vicariis capituli Corisopitensis 30 jul. 1791, in quibus dictis Vicariis, pro tempore calamitatum illius Ecclesiæ, plures conceduntur apostolicæ facultates; sed Pontifex ita declarat: *Concessiones nostras non jam directe largiti sumus omnibus vobis Vicariis capitularibus: sed Tibi uni, dilecte fili, Ludovice Joan-*

nes Gilar' de Larcantel, i'a tamen, ut et aliis easdem delegandi fecerimus Tibi potestatem, prout in ipsis concessionum foliis expressum intelliges. Theiner docum. ined. t. 1, p. 103, edit. Paris, an. 1857. — (2) Trid. sess. 24, c. 16, de ref. — (3) Benedictus XIV, de Synod. l. 2, c. 9, n. 4; et l. 4, c. 8 n. 10. Ferraris verb. *Capitulum* art. 3, n. 42 et seqq. — (4) Extrav. *Injunctæ* de Elect. int. com. — Ideo SS. Pius noster Papa IX, suspensionem ipso facto incurrendam tulit, sibique reservavit, contra capitula, et conventus Ecclesiarum, et Monasteriorum, quæ novos Episcopos, vel alios Prælatos reciperent, antequam litteras Apostolicas de sua promotione ipsi exhibuerint. Hæc reservata suspensio ab beneplacitum S. Sedis est tantum a beneficiorum perceptione, ut idem Pontifex declarat in sua bulla *Apostolicæ Sedis* diei 12 Octobris 1869.

197. Ad Vicarii capitularis munus assumendus est clericus, saltem prima tonsura initiatus, qui ætatem habeat 25 annorum, qui saltem in Jure canonico sit Doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri potest idoneus (1). Dicimus *saltem*, quia si haberi posset Doctor in S. Theologia, et Jure canonico, melius esset Ecclesiæ consultum. Non tamen sufficeret, si esset tantum Doctor in Theologia; quia ut ait Fermosinus: « Viri Theologi, etsi litteratissimi sint, non satis Jurisprudentiæ praxim, et » theoriam callent, et quia proinde multoties ex capite, » pro arbitrio sententias proferunt, ac solent a veritate » et justitiæ tramite deviare (2). » Dicimus *vel alias idoneus*, quod ita interpretandum est, ut eligatur Doctor, etiamsi unus talis solummodo esset in Capitulo (3), et si nullus Doctor idoneus esset in Capitulo, vel extra, qui vellet Vicarii onus sustinere, ut eligatur non doctor, sed semper idoneus (4). Specialiter autem eligi in Vicarium capitularem nequit, qui a sæculari potestate ad ipsum episcopatum nominatus fuit (5).

(1) Trid. loc. cit. — (2) De Capit. Sed. vac. q. 9, n. 18. — (3) Doctor vel licentiatus tamen debet esse in aliqua publica et catholica universitate: nam ad hoc non sufficeret Laurea, vel Licentia data in universitate tantum sæculari, vel concessa a Principe per indultum gratiæ. — (4) Quod Doctor in jure canonico, si sit in Capitulo, vel etiam extra ad hoc munus paratus, sit eligendus, demonstrat Richter ex adductis totidem S. Congregationis decisionibus; alias non Doctoris electio sustineri nequiret. Ad Trid. sess. 24, c. 16, de ref. n. 4. — (5) Hoc probatur ex Brevi Pii VII, 4 decemb. 1810, ad Archidiaconum Florentinum, qui Ipsum consuluerat, an episcopus Nan-

ccensis, ad sedem Florentiæ per Napoleonem nominatus, posset eligi in Vicarium Capitularem? Pontifex respondit, nequaquam posse, ea præcipue de causa, quia ex Tridentini præscripto cum Vicarius debeat reddere rationes suæ administrationis Episcopo, supponitur, Vicarium esse debere personam a promovendo diversam. Alii similes casus referuntur a Card. Soglia. Inst. jur. priv. § 23. Cæterum in electione Vicarii caute procedendum est, ne S. Sedes electiones revocare, et de Vicario Apostolico, aut aliter debeat providere. Et de facto Pius VII revocavit electionem Vicarii capitularis factam a tribus canonicis Capituli Lugdunensis. Bul. nov. tom. II, pag. 37; et omnes electiones Vicariorum Capitularium factas sub Gallica dominatione in Regno Neapolitano. Id. Bul. t. 13, p. 425.

198. Quoad potestatem et jurisdictionem, quæ, sede vacante, devolvitur in Capitulum, et deinceps in Vicarium capitularem, regulam statuimus ita conceptam: *Capitulum, vel Vicarius Capitularis, sede episcopali vacante, succedit Episcopo in omnibus, quæ pertinent ad potestatem jurisdictionis ordinariæ tum in foro interno, tum in foro externo, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, iis exceptis, quæ in jure reperiuntur reservata.* Hæc regula, licet oppositores habeat, communiori vallatur Doctorum calculo, et satis firma et fundata in jure videtur, a quo statuitur, jurisdictionem Episcopi, ejusque administrationem in spiritualibus et temporalibus, sede vacante, in Capitulum ecclesiæ cathedralis transire, et ad ipsum Capitulum pertinere (1).

Regula loquitur de potestate jurisdictionis, ideoque non comprehendit potestatem ordinis, ut est consecrare ecclesias, confirmare fideles, ordinare clericos, etc. Nihilominus cum horum exercitium ex jurisdictionis potestate quoque dependeat, capitularis Vicarius potest quocumque tempore extraneum adhibere Episcopum ad hæc peragenda, excepta ordinum collatione, ad quam non potest litteras dimissorias dare, nisi post annum a die vacationis sedis, ubi de arctatis non agitur (2).

Regula loquitur de jurisdictione ordinaria, ideoque non comprehendit ea, quæ speciali, et personali privilegio fuerunt Episcopo concessa, quia *privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona* (3); et non comprehendit ea, in quibus Episcopus procedit tamquam

specialis S. Sedis delegatus (4), quia in his nulla est communio inter Episcopum et Capitulum, et nulla proinde debet esse successio (5).

Regula comprehendit ea, quæ pertinent ad forum internum, uti est approbare confessarios (6), absolvere a casibus Episcopo reservatis (7), vota non reservata commutare, et in illis casibus dispensare, in quibus Episcopus potestate ordinaria dispensat (8). Comprehendit ea quoque, quæ pertinent ad forum externum, ut est in criminosos inquirere, et causas cognoscere etiam matrimoniales (9); uti est visitare diœcesim, et synodum diœcesanam cogere post annum ab ultima celebrata synodo (10); ut est etiam condere edicta, quæ totam obligent diœcesim, quæque vim habeant in tempus quoque successoris Episcopi, nisi revocentur (11).

Similiter prædicta regula comprehendit ea, quæ spiritualia sunt, uti sententiam ferre excommunicationis, suspensionis, et interdicti; processus conficere super fama virtutum, et miraculorum servorum Dei (12), et modum horarum, divinique cultus convenienter Ecclesiæ legibus determinare. Denique comprehendit ea, quæ sunt temporalia, uti est executione demandare ultimas piorum benefactorum voluntates, ab earumdem administratoribus rationes exigere, statuere œconomos in parœciis vacantibus cum congrua assignatione fructuum, pro iisdem concursum indicere, et magis idoneum Summo Pontifici proponere, sive commendare (13), ut ab eodem parochiæ provisio fiat. Hæc et alia plurima tum spiritualia, tum temporalia potest Vicarius capitularis peragere, quia non est procurator Episcopi, ut Vicarius Generalis, sed successor, et in quantum succedit non est Episcopo inferior, sed æqualis.

(1) Cap. unic. de major. in 6, cap. 3, de temp. ord. in 6 et cap. 4, de suppl. negl. in 6. — (2) Trid. Sess. 7, c. 10, de ref. — (3) Cap. 7, de reg. jur. in 6. — (4) Taliter putatur facta delegatio, quando electa fuit industria personæ, et quando facultas data fuit ad tempus. Arg. decisionis S. Cong. Ricther ad Trid. Sess. 24, c. 10, de ref. mat. n. 123. — (5) Quæstio est inter Canonistas, an capitulum succedat in iis quæ sunt Episcopo a jure delegata, et præsertim a Tridentino? Affirmativam veram credimus sententiam, quia jurisdictio

per has delegationes communicata, et perpetuo muneri episcopali adnexa, auget, et extendit ipsam episcopalem jurisdictionem ad bonum diœceseos, et est veluti pars ejusdem, quæ novo jure visa est ad rectam diœceseos administrationem necessaria. Ideoque jurisdictioni ordinariæ conjungitur, ac proinde in ea capitulum succedit. Id concedunt auctores contrariæ sententiæ, quando in delegatione ponitur particula, *etiam,* hoc est, *etiam tamquam Apostolicæ sedis delegatus,* quia hoc casu, aiunt ipsi, facultas conceditur utroque jure delegato, et ordinario. At idem tenendum videtur, quamquam desit particula, *etiam:* nam S. Sedes non ignorat hanc inter Doctores controversiam, et patitur, hac jurisdictione Vicarios Capitulares uti. Revera Tridentinum concedit Episcopis, ut procedant tamquam Apostolicæ Sedis delegati in cognoscendo de obreptione, et subreptione Litterarum Apostolicarum. Sess. 13, c. 5, de ref.; in inquirendo de abusibus circa beneficiorum fructus, circa labem simoniæ, et sordidæ avaritiæ. Sess. 24, c. 14, de ref. Item Lucius III, in cap. 9, de hæret. constituit Episcopos S. Sedis delegatos ad hæreticos compescendos. Nonne hæc necessaria sunt pro bono Ecclesiæ regimine? Præsumendum ergo est, Ecclesiam et hæc voluisse Vicariis capitularibus committere, sine quibus diœcesim rite regere non potuissent. Barbosa jus eccl. l. 1, c. 32, et de canon. c. 42, n. 107. Scarfantonius ad Ceccop. l. 2, t. 4, animad. 2. Idem dicendum videtur de iis, quæ Episcopo competunt ex consuetudine, in quibus capitulum succedit: unde quando Episcopus per consuetudinem legitimam legi non tenebatur, nec capitulum tenetur; et vice versa quando Episcopus per eam consuetudinem ordinariam majorem habebat potestatem, eamdem habet capitulum. Idem similiter dicendum de privilegiis realibus Ecclesiæ concessis, in quibus ut hæres testatori, sic capitulum Episcopo succedit. Ratio horum est, quia consuetudines legitimæ, et privilegia realia Episcopi jurisdictionem extendunt in favorem Ecclesiæ et capituli, et unaquæque Ecclesia suas potest consuetudines rationabiles et probatas servare. — (6) Vicarius Capitularis potest confessarios suspendere, cum ejus sit destituere, cujus est instituere. — (7) Immo ex veriori sententia poterit Vicarius capitularis sibi quorumdam casuum absolutionem reservare; nam eamdem habet jurisdictionem ac Episcopus: sed hæc reservatio non poterit afficere Regulares, qui ab Episcopo habuerunt potestatem illimitatam. Aliud autem foret sentiendum, si habuissent tantum potestatem limitatam, in quo casu non videtur prodesse privilegium Clementis IV. Marchettus de Vic. cap. p. 2, t. 14, n. 10. — (8) Id. ib. n. 2. — (9) Ita ad rem scribit Leurenius: « Vicarius capitula» ris potest cognoscere causas judiciales, et etiam criminales. Nec » obstat Tridentinum Sess. 24, c. 20, quod causas matrimoniales » et criminales Episcoporum tantum examinationi, et jurisdictioni » relinquat; nam per illa verba solum excluduntur alii Prælati in» feriores, non autem capitulum, quod, sede vacante, non est infe» rius, sed par Episcopo. » De capit. sed. vac. q. 472. — (10) Benedictus XIV de Synod. l. 2, c. 9, n. 5. — (11) Engel in tit. ne sed. vac. n. 10. — (12) Benedictus XIV loc. cit. n. 3. — (13) Sa-

cra Congregatio pro norma Vicarii capitularis edidit instructionem quam referunt Fagnanus et Garcia, cujus hæc sunt præcipua capita 1° Vicarius capitularis obire debet omnia munia, quæ statuuntur a Tridentino Sess. 24, c. 18, de ref. in quibus nullam potest habere partem capitulum; 2° pro singulis parochiis debet concursum indicere; neque sufficit approbatio in aliis præcedentibus concursibus ad alias parochiales. Post hæc attribuit Vicario capitulari facultatem eligendi magis idoneum inter approbatos ab examinatoribus synodalibus, eumque summo Pontifici proponendi pro parochiæ collatione. Sed ex hodierna S. Datariæ praxi Vicario capitulari relinquitur tantum facultas proponendi, vel commendandi summo Pontifici, quem censet magis idoneum. Sic propositum, vel commendatum nequit parochiæ præficere, quæ de alio œconomo providenda est, donec a Papa collatio facta non fuerit. Cum Vicarius capitularis Romam mittit suam commendationem pro obtinenda parochiæ collatione, non est necesse, ut mittat omnia acta concursus, nisi a S. Sede petantur; sed sufficit, si mittat Litteras testimoniales, quæ contineant nomina omnium concurrentium, numerum votorum, quæ requiruntur pro approbatione, numerum votorum ab unoquoque obtentorum, et notam accuratam qualitatum, et requisitorum pro unoquoque concurrentium.

199. Verum regula limitatur in casibus a jure reservatis, in quibus Capitulum, ejusque Vicarius Episcopo non succedit, quorum præcipui sunt sequentes. Primo: Vicarius capitularis nequit beneficia conferre, quæ ad solius Episcopi collationem spectant (1), licet queat præsentatos a patronis in beneficiis jurispatronatus instituere (2), quia collatio ad gratiam pertinet, quæ generaliter est Vicario capitulari interdicta, institutio vero ad justitiam, quæ nulli est deneganda. Secundo: nequit res Ecclesiæ, aut episcopatus alienare, nisi de rebus agatur, quæ servando servari non possunt (3), et a fortiori nequit easdem res in suos, aut Capituli usus convertere. Propterea debet omnia emolumenta, et quoscumque redditus ex episcopatu, et ex jurisdictione, ac sigillo curiæ provenientes futuro Episcopo reservare, cui ex confecto inventario suo tempore rationem reddat (4). Tertio: nequit aliquid facere, per quod status Ecclesiæ, aut jura diminuantur Episcopi; immo his de rebus nequit litem movere, aut prosequi jam motam; nam quælibet inde ventura dispositio, aut sententia foret nulla, quia Episcopus futurus legitimo caret defensore, ut probatur ex toto titulo Decretalium, ne sed. vac. aliq. innov.

Officium Vicarii capitularis cessat, cum præsentantur Capitulo novi Episcopi apostolicæ Litteræ provisionis (5), et postea ipse debet suæ administrationis rationes novo Episcopo reddere, et subire syndicatum (6).

(1) Cap. 2, ne sed. vac. quod verum est nedum de beneficiis curatis, sed etiam de simplicibus. — (2) Cap. 1, de instit. in 6. — (3) Can. 42 et 44, c. 12, q. 2. Quod dicimus de rebus, quæ servando servari non possunt, dicendum est de rebus Ecclesiæ, quæ comprehenduntur sub capitulo *Terrulas* 53, c. 12, q. 2. Et idem secundum Marchettum dicendum est, quando agitur de magna necessitate, in qua Capitulum potest mutuam pecuniam accipere. De Vic. Capit. p. 2, t. 27. — (4) Clem. *Statutum* de elect. — (5) Extrav. *Injunctæ* de elect. int. com. — (6) Quæ hic de Vicario Capitulari summatim exposuimus, cum aliis ad rem pertinentibus uberius explicamus in alio nostro libro, cui titulus: *Theorica et Praxis Regiminis Diœcesani, præsertim sede vacante*, *Paris 1876*, ad quem lectorem remittimus.

TITULUS XX.

DE PRÆLATIS INFERIORIBUS, ET PAROCHIS.

SUMMARIUM: 200. Tres sunt species inferiorum Prælatorum. — 201. Quæ sit potestas Prælatorum vere *nullius*? — 202. Quis sit Parochus, et quid Parochia? — 203. Quando sint institutæ parochiæ? — 204. Parochus unus et perpetuus regulariter est constituendus. — 205. Parochi potestas est ordinaria, et episcopo submissa. — 206. Quæ sint jura parochi? — 207. Quæ sint ejus onera? — 208. Tenetur diebus festis missam celebrare pro populo et prædicare. — 209. Sacramenta ministrare, et se exemplum bonorum operum præbere. — 210. In parochia residere, et suas functiones peragere.

200. Prælati inferiores medium quoddam constituunt inter Episcopos et Parochos, quorum alii *Regulares*, et alii *Sæculares* dicuntur. Horum Prælatorum, qui Abbates quoque nuncupantur, tres sunt species, quæ ita describuntur a Benedicto XIV (1). « Prima est eorum, qui » certo præsunt generi personarum existentium intra septa » alicujus Ecclesiæ, monasterii, seu conventus, cum pas- » siva exemptione a jurisdictione Episcopi. Ejusmodi sunt » superiores Regulares, et nonnulli Prælati sæculares, qui

» una cum Ecclesia, ejusque Ecclesiæ clericis, et administris, quibus præficiuntur, subsunt immediate Summo » Pontifici. Secunda species est Prælatorum habentium » jurisdictionem activam in clerum, et populum certi loci, » qui tamen locus est intra Episcopi diœcesim, qua undique circumscribitur; et hujusmodi Prælati improprie » tantum, et lato quodam dicendi modo, dicuntur esse » *Nullius*. Tertia species est Prælatorum, qui jurisdictionem activam habent in clerum et populum alicujus » loci, seu oppidi, aut plurium locorum, aut oppidorum, » quæ omnino avulsa et separata sunt a cujuslibet Episcopi diœcesi; quapropter dicuntur constituere quamdam quasi diœcesim, ubi Prælatus, iis exceptis, quæ » ordinis episcopalis sunt, omnia exercet, quæ cæteroquin ad episcopalem jurisdictionem pertinerent. Hujus » generis Prælati inter inferiores nobilissimi sunt, dicuntur vere, et proprie *Nullius*, et veris annumerantur » Ordinariis locorum (2). »

(1) De Synod. l. 2, c. 11, n. 1 et seqq. — (2) Prælati hujus tertiæ speciei Episcopis; illi duarum præcedentium specierum potius Parochis assimilantur. Omnes vero Prælati ex Apostolico privilegio constituti in eorum functionibus debent observare Bullam *Decet Romanos* Pii Papæ VII, an. 1823, in qua confirmatur decretum S. Congregationis Rituum.

201. Licet Prælati hujus tertiæ speciei jurisdictionem quasi episcopalem, tam voluntariam, quam contentiosam, ex Apostolicis privilegiis, aut legitime præscriptis consuetudinis in subditos queant exercere; quædam tamen ejusdem jurisdictionis capita sunt excepta. Nequeunt reapse synodum diœcesanam cogere, parochias conferre, clericos sæculares ad ordines promovere, aut iisdem ad ordines consequendos litteras dimissorias dare. In his enim omnibus debent ad Episcopum viciniorem recurrere, cui ipsorum territorium subjicitur (1).

(1) Hæc de dimissoriis, ordinibusque locum tantum habent in Prælatis sæcularibus; nam Regulares solemniter benedicti possunt primam tonsuram, ordinesque minores subditis suis regularibus conferre. Benedictus XIV, l. cit.; et Trid. sess. 23, c. 10, de ref.

202. Parochus est Sacerdos, vel clericus intra annum Sacerdotio initiandus, legitime ab Episcopo, vel a Papa, si parochia sit reservata, deputatus ad regendam determinatam diœcesis portionem cum ordinaria potestate sacramenta, aliasque spiritualia bona in ipsa ministrandi. Hic sacerdos dicitur: *Proprius* relate ad omnes sibi commissos fideles (1); dicitur *Plebanus* a plebe, cui adsistit; *Rector* ab officio regendi in Christi nomine, et mysteriis populum; et *Curatus* a cura animarum, quam exercet. Cætera vero nomina, Præpositi et Archipresbyteri, indicant honoris titulum a dignitatibus Ecclesiæ cathedralis mutuatum.

Ea diœcesis portio, quæ ab Episcopo, vel Superiore regenda Parocho committitur, dicitur a latinis Parochia, et a græcis Parœcia, quæ debet omnino aut ratione territorii, aut saltem ratione personarum (2), esse determinata, et suam aptam habere Ecclesiam, quæ parochialis nuncupatur (3).

(1) Parochus licet proprie Pastor appellari non possit, quia Pastor vere dicitur, qui Ecclesiam et fideles regit cum imperio et jurisdictione externa activa, qua certe caret Parochus; improprie tamen Parochi appellantur Pastores, quod significat ministros veri Pastoris, nempe Episcopi, vel Pastores secundi ordinis. Ita Tridentinum appellat Pastores etiam Parochos. Sess. 25, c. 12, de ref.; et Pius VI, in litteris ad Episcopos Galliæ, 13 April. 1791, Rectores parochialium vocat Parochos, sive Pastores secundi ordinis. Theiner docum, ined. t. 1, n. 21. Unde Pontificale Romanum referens ultimam allocutionem Episcopi ad Synodum hæc habet: *Nos Pastores vestri sumus; Vos autem Pastores animarum vobis commissarum.* Ord. ad Synod. Parochus autem, qui vere Ecclesiam diligit, accipiet reverenter nomen Pastoris, cum illi a superioribus, vel fidelibus traditur; sed curabit, ne se Pastorem nominet: nam mala luctuosissima, quæ sæculis præterlapsis a falso attributa Parochis qualitate Pastorum passa est Ecclesia, adhuc forte in quibusdam persistunt. Illud sane systema extollendi Parochos contra Episcopos, a Jansenistis propugnatum, et a Schismaticis magnificatum, exitiosius Ecclesiæ plane fuit, quam damnatum Aerii Presbyterianismum; nam hoc faciebat Presbyteros æquales Episcopis, quod facile approbationem obtinere nequibat: sed illud, quod solos Parochos æquales constituebat Episcopis, commodius, et probabilius videbatur, ut facilius admitteretur. Quare hujus systematis auctores hoc, vel simili modo ratiocinabantur: Parochus est Pastor Ecclesiæ: ergo jure divino institutus: ergo doctor, et sponsus ecclesiæ: ergo magister fidei, et

judex causarum: ergo ab Episcopo independens, etc.; quæ omnia quam falsa sint, nemo est, qui non videat. Unde temporibus nostris maxime illud consultius putamus, ne Parochi hoc se nomine distinguant, ne ingerant malæ artis suspicionem. Propterea ferunt nuper a Romanis Revisoribus expunctum fuisse nomen *Pastorum*, quod Patres cujusdam Concilii Provincialis Galliæ ad Parochos designandos adhibuerunt. Nardi in opere *Dei Parochi* tom. 1. — (2) Hæc determinatio fit in parochiis gentilitiis, aut familiaribus, ad quas pertinent gentes alicujus familiæ, aut agnationis, vel cognationis. — (3) Parochiæ, et Parochi nomina valde antiqua sunt: nam Parochia a Romanis dicebatur diversorium, in quo Legatis Principum, et Reipublicæ causa peregrinantibus vitæ necessaria exhibebantur, et qui eisdem præerat, Parochus dicebatur, ut habet Horatius in l. 1, serm. sat. 5. A Græcis vero Paræcus, vel Paræcon appellabatur incola prope habitans. l. 339, ff. de verb. signif. Quæ nomina ideo forte retinuit Ecclesia catholica, quia proprius fidelium sacerdos debet necessaria ad pascendas animas omnibus suppeditare, et in suo determinato districtu habitare.

203, Parochiæ prius in agris et pagis, quam in urbibus videntur esse institutæ. Fideles enim procul ab urbibus viventes spiritualibus bonis sæpius caruissent, si pro iisdem percipiendis ad civitatenses ecclesias semper debuissent accedere. Necesse itaque fuit oratoria, sive ecclesias in pagis exstruere, pro iisdem sacerdotes deputare, qui temporaria primum, deinde perpetua Episcoporum legatione fungerentur. Soli Episcopi poterant primitus ecclesiastica ministeria in urbibus obire, in quibus, cum deinde ob multum adauctum fidelium numerum non amplius fuissent satis, necesse etiam fuit Parochias instituere; quod in pagis non ante sæculum Ecclesiæ tertium, et in urbibus multo post contigisse inter alios historicos ecclesiasticos defendit Devoti (1).

(1) Devoti Inst. can. l. 1, t. 3, in not. ad § 87 et 89. Institutio Parochorum adeo sero facta clare demonstrat, Parochos non esse ex divina institutione a Christo, neque ab Apostolis ex institutione divino-apostolica, vel simpliciter Apostolica; sed tantum ex institutione Ecclesiæ. Revera in corpore juris ecclesiastici nullus reperitur titulus, *De officio Parochi*, licet ibi exstet titulus, *de officio sacristæ, de officio custodis*, etc. Hoc sane magis demonstrat, Parochorum officium non esse in Ecclesia antiquissimum; sed decursu temporum ab Ecclesia institutum. Adest quidem in libro tertio Decretalium titulus *De parochiis, et alienis parochianis*; sed ex quinque capitulis, quibus constat, unus tantum refertur *ad presbyteros parochiales*, et

reliqui ad Episcopum, quia olim diœcesis appellabatur etiam parochia, et idem erat parochianus, ac diœcesanus, ut eruitur ex rubrica cap. 5, ejusd. tit. Quod autem dicunt adversarii, Parochos esse successores 72 discipulorum, quos Christus designavit, Luc. c. 10, probandum non est: nam sunt Presbyteri 72 Discipulorum successores, ut ab Ecclesiæ traditione arguitur, quorum corpus antiquitus constituebat Presbyterium. Aliqui tradunt duodecim parochos a S. Marco S. Petri discipulo in civitate Alexandrina fuisse constitutos. (Epiph. Hieron.)

204. Unus et perpetuus ex regula generali constituendus est in parochia Parochus: nam plurium administratio generat confusionem, et precarius minister neque satis potest suas agnoscere oves, neque solet esse dispositus animam suam ponere pro animabus sibi commissis, cum esse possit alius, qui de animabus illis sit rationem redditurus. Nihilominus quandoque ex consuetudine, vel ex justa causa a jure, vel a S. Congregatione probata, plures in una parochia admittuntur Parochi, et etiam amovibiles (1).

(1) Hoc confirmatur a Tridentino, sess. 24, c. 13, de ref. quod postquam mandavit episcopis, *ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum pæculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo sacramenta suscipiant;* subdit, *aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant.* Sic Capitula Cathedralia, quibus adnexa est cura animarum, possunt deputare unum, aut plures ad eamdem curam gerendam. Scarfantonius ad Ceccop. l. 3, t. 3, animad. 41. Sic Regulares, qui parochiam habent, deputant Vicarium, qui curam exerceat, quique est amovibilis. Monacellus, part. 2, t. 13, for. 1, n. 87. Hæ tamen deputationes sunt semper ab Episcopo probandæ. Præterea in Gallia, et alibi multæ sunt parochiæ *succursales*, quæ reguntur a Parochis amovibilibus. Ideoque neque jus, neque S. Sedes prohibet, ut quandoque dentur plures in una parochia Parochi, et ut in parochiis ex circumstantiarum gravitate, vel necessitate constituantur Parochi non perpetui, sed amovibiles, qui tamen absque justa causa removeri non debent.

205. Parochi potestas est ordinaria; eam proinde potest aliis clericis idoneis delegare; sed ad forum internum proprie restringitur: nam in foro externo jurisdictione maxime contentiosa caret, quia ex juris dispositione causæ omnes ad Episcopum sunt deferendæ, et ne-

mo Presbyterorum habet eas cognoscendi facultatem: et quod a Parocho in foro externo peragitur, non ad jurisdictionem, sed ad simplicem administrationem, vel notionem refertur, sicuti est Ecclesiam custodire, ejusdem negotia gerere, bona defendere, functionum modum. et tempus præscribere, et indignos laicos vel clericos a participatione, vel a celebratione divinorum repellere, aliaque his similia. Propterea a vero multum aberrant, qui Parocho tribuunt potestatem ferendi censuras, aut sibi reservandi quorumdam peccatorum absolutionem (1).

Hæc ordinaria Parochi potestas ita connectitur, et submittitur Episcopali auctoritati, et jurisdictioni, ut Episcopus queat aliqua parochialis potestatis capita alteri ex justa causa committere; ut queat etiam, tamquam Apostolicæ sedis delegatus, Parocho Vicarium deputare, si sit propter imperitiam sacris officiis minus aptus, vel propter turpitudinem vitæ potius destruat, quam ædificet (2); et ut queat Parochum graviter de imperitia suspectum iterum examini subjicere, in qua tamen re debet Episcopus magna prudentia, et cautela procedere (3). Idem dicendum, si Parochus adeo sit ægrotus, ut altari servire non possit (4). Immo potest Episcopus fructibus beneficii et beneficio ipso Parochum, ex justa causa juridice probata, privare. Giraldus et Doctores ab eo citati specialiter crimina enumerant, propter quæ hæc privatio fieri potest (5).

(1) Gonzales ad cap. *Cum ab Ecclesiarum* de offic. jud. ord. n. 2 et Benedictus XIV, de Synod. l. 5, c. 4, n 2. — (2) Trid. Sess, 21, c. 6, de ref. — (3) Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. 9, n. 21. — (4) Cap. 3, de cler. ægrot. — (5) Giraldus ad cap. 12, de accus.

206. Jura Parochi præcipua ad hæc possunt revocari. 1° Jus fori pœnitentialis; propter quod ordinariam habet potestatem sacramentaliter absolvendi parochianos suos etiam extra parochiæ territorium, et alienos tantum intra territorium; cæteri autem Confessarii habent potestatem delegatam (1). 2° Jus solemniter ministrandi Baptismum, si in parochia habeat fontem baptismalem (2). 3° Jus ministrandi communionem paschalem fidelibus suis,

qui præcepto non satisfaciunt, si alibi sumant, etiam in Ecclesia cathedrali (3). 4° Jus denunciandi suorum parochianorum matrimonia, eisdem assistendi, sponsis benedictionem nuptialem impertiendi (4), et benedicendi mulieribus post partum (5). 5° Jus percipiendi oblationes, quæ in administrationem baptismi, et matrimonii, in celebratione missæ, in defunctorum exequiis, et in aliis similibus casibus ex laudabili consuetudine fieri solent (6). 6° Jus percipiendi decimas, nisi necessariis vitæ Parochi aliunde consultum sit (7). 7° Jus celebrandi functiones parochiales in toto suæ parochiæ territorio (8). 8° Jus administrandi parochiæ bona ad juris tramites, et sub Episcopi directione (9). Sed aliquando quorumdam horum jurium exercitium ob alienum privilegium, vel ob consuetudinem legitime præscriptam, Parocho impeditur (10).

(1) Parochus tamen non potest hanc facultatem alteri Sacerdoti delegare, licet eam habeat ordinariam; ad hoc enim requiritur approbatio Episcopi. Trid. sess. 23, c. 15, de ref. — (2) Etiam adulti, et qui ad fidem convertuntur baptizandi sunt in parochia, non in cathedrali. S. Cong. 22 Septemb. 1657 et 22 Feb. et 28 Aug. 1680; sed ad hoc requiritur auctoritas et licentia Episcopi. — (3) Benedictus XIV, Inst. 18, et Encycl. *Magno* § 21. Item ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem. Clem. 1, de privil.; nec non et primam Communionem pueris, quod ex consuetudine, et particularium Synodorum præscriptione inductum est. — (4) Trid. sess. 24, c. 1, de ref. matr. Hanc potestatem potest subdelegare; sed id *licite* juxta Benedictum XIV, fieri non potest, *nisi ex legitima gravissimaque causa*, cum vere est impeditus. Bul. *Nimiam licentiam* ejusd. Pont. — (5) Decret. S. Cong. Rit. 10 Decemb. 1703. — (6) Cap. 42 de Simon. quod procedit etiamsi Parochus id non faciat per se, sed per alium. — (7) Cap. 13 et 29 de decim.; et card. Soglia Inst. jur. priv. § 27. — (8) Quoad sodalitia et Confraternitates laicorum observandum est decretum S. Cong. Rit. 10 Decemb. 1703, quod confirmatum fuit a Clemente XI et refertur a Benedicto XIV in Inst. 105. § 4. — (9) Propterea debet conficere inventarium omnium bonorum ecclesiæ, cujus exemplar primum in Curia episcopali, et aliud in archivio ecclesiæ parochialis retinendum est: item debet eadem bona defendere in judicio et extra, et quantum potest meliorare, ut bonum administratorem decet. — (10) Præcluso vero privilegio, illi omnes sunt parochiani, qui in parochia habent verum, aut quasi-domicilium, quod extenditur ad pauperum hospitia, ad infirmorum hospitalia, ad juvenum collegia, et ad Virginum conservatoria, ut tradunt communiter Doctores.

207. His juribus graviora respondent onera, quæ paucis exhibentur a Patribus Concilii Tridentini (1), qui ita initium faciunt: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, et pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab his præstari, et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, sacrosancta Synodus eos admonet, et hortatur, ut, divinorum præceptorum memores factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et regant.*

Ob debitum suas agnoscendi oves, Parochus tenetur omnibus vigilare, officium parochiale per se ipsum exercere (2), et præter statum animarum suarum quatuor conficere, et retinere libros, in quorum primo baptizatorum, in secundo confirmatorum, in tertio matrimoniorum, et in quarto mortuorum nomina fideliter et accurate describantur (3). Hi libri ex jure canonico digerendi sunt juxta Ritualis Romani præscriptum.

(1) Sess. 23, c. 1 de ref. — (2) Barbosa ad Trid. Sess. 23, c. 1, de ref. n. 48. — (3) Monacellus p. 1, t. 10, n. 1.

208. Ob debitum offerendi sacrificium, tenetur singulis Dominicis, et festivis de præcepto, nec non et omnibus festis, quæ olim erant de præcepto et nunc supressa sunt (1), pro eodem suo populo Missam celebrare, et applicare, licet beneficium sit valde tenue, et congruam habeat incertam (2).

Ob debitum prædicationis (3), tenetur diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus per se, vel per alium idoneum clericum (4), si ipse legitime sit impeditus, fidelibus suis verbum divinum nunciare docendo *cum brevitate et facilitate sermonis, quas virtutes sectari, quæque oporteat vitia declinare* (5); quod si negligat per tres menses, post trinam monitionem potest ab Episcopo puniri censuris, aut aliqua subtractione fructuum beneficii, quos illi

tribuat, qui in hoc ejus implet officium (6). Neque eo sub prætextu potest excusari, quod vel exiguus sit audientium numerus, vel tempore Adventus, et Quadragesimæ alii concionatores huic muneri satisfaciant (7). Quod si ipse dictis temporibus velit extranei concionatoris partes sustinere, potest quidem, sed consuetam eleemosynam extraneo dari solitam ab Ecclesia petere nequit, quia ex beneficio jam habet onus prædicandi, et mercedem laboris: sed posset dictam eleemosynam petere, si ad hoc ex aliquo legato, vel donatione esset assignata.

(1) Hoc quod jam pluries fuerat a S. Congregatione definitum, inviolabiliter firmavit Pius Papa IX in sua Encyclica ad omnes Orbis Episcopos diei 3 maii 1858 quæ incipit, *Amantissimi,* in qua declaravit, et decrevit, *parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes, Sacrosanctum Missæ Sacrificium pro populo sibi commisso celebrare, et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex præcepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex hujus Apostolicæ Sedis indulgentia ex dierum de præcepto festorum numero sublati, ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum Curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigebat antequam festivi de præcepto dies imminuerentur, aut transferrentur.* Hæc autem Constitutio Urbani VIII incipiens, *Universa per Orbem*, declarat dies festos sequentes, videlicet: omnes dies Dominicos, Natalem Domini, dies S. Stephani, S. Joannis, SS. Innocentium, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis cum duobus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus sequentibus, Trinitatis, Corporis Domini, Inventionis S. Crucis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis B. Mariæ V., Dedicationis S. Michaelis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri et Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Thomæ, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ, S. Matthiæ, S. Laurentii, S. Silvestri, S. Joseph, S. Annæ, omnium Sanctorum, et unius ex præcipuis Patronis cujusque civitatis, aut loci; quibus Clemens XI adjunxit diem Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. Consequenter Parochi his omnibus diebus tenentur applicare Missam pro populo. Verum, si contingat, aliquem ex festis diebus auctoritate Apostolica cum sua solemnitate et officio in Dominicam diem transferri, una tantum pro illo die erit a Parocho Missa applicanda, quia ita declaravit Pius IX in citata bulla. Insuper adnotamus: 1° obligationem celebrandi missam pro populo afficere eos, qui actu curam animarum gerunt, nempe *Parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes*, ut habetur in citata Encyclica Pii IX, vel *omnes, qui actu animarum curam exercent,* ut aiebat Benedictus XIV, in bul. *Cum semper.* Quare Capitula habentia curam animarum in habitu, quæ eligunt, Canonicos Curatos ad curam animarum actu exercendam, nequeunt, Missas parochiales

celebrare per turnum Canonicorum; sed celebrandæ, et applicandæ sunt ab ipsis Canonicis Curatis tantum. 2° Celebrationem Missarum faciendam esse a Parochis, et Curatis per se, non per substitutum, nisi sint legitime impediti, ut pluries definivit S. Congregatio Concilii. 3° Celebrationem debere fieri in ipsa parochia a Curato, vel ab ejus substituto, si sit juste impeditus, ut pluries definivit S. Congregatio Concilii. Ferraris et Barbosa. 4° Celebrationem esse faciendam solemniter, vel privatim ipso die festo: nam Curati in alium diem celebrationem transferre non possunt. Nihilominus si quis Curatus magna inopia laboraret, posset ab Episcopo obtinere, ut, accepta alia eleemosyna pro die festo, applicationem in alium ejusdem hebdomadæ diem rejiceret. Cit. bul. Benedicti XIV. 5° Contra prædicta nullam valere consuetudinem etiam immemorabilem. Ead. bul.; et S. Cong. 25 septemb. 1847. — (2) Bul. *Nuper* Innocentii XII et cit. bul. *Cum semper* Benedicti XIV, in qua disponit, ut curatus, congruentibus etiam redditibus destitutus, imposterum applicare debeat; ex quo videtur deducendum, eum, qui redditus sufficientes percepit, et huic obligationi non satisfecit, teneri imposterum Missam applicare toties, quoties in præteritum omisit, nisi a S. Sede condonationem obtineat, cum per consuetudinem huic malo mederi nequeat. Quod si prebendæ Parochorum, et curatorum adeo sint pauperes, ut septingentas libellas hodiernæ gallicæ et italæ monetæ de nitido non excedant, Sancta Sedes petentibus Ordinariis interdum indulget ab hac applicatione dispensationem pro diebus festis suppressis, imposito onere applicandi infra annum quatuor aut quinque pro populo Missas. Hanc dispensationem episcopus Albingaunensis a S. Congregatione Concilii pro pauperibus suæ diœcesis Curatis obtinuit die 7 Aprilis 1856 et executioni mandavit etiam pro futuris temporibus. — (3) Officium prædicandi in Ecclesia parochiali adeo proprium est Parochi, ut alius sine sua et Episcopi licentia in parochia prædicare nequeat. In Ecclesiis tamen civitatensibus Parochi prædicare non debent illa hora, qua prædicat Episcopus. Clem. *Dudum* § *Nos autem* de sepult. — (4) Hic clericus probandus est ab Episcopo, etiamsi una, aut altera tantum vice verbum Domini nunciaret, et etiamsi esset ordine episcopali insignitus. Si tamen Parochus velit prædicare per se, non potest eum Episcopus impedire, ut S. Conc. Congregatio declaravit. Giraldus in Addit. ad Barbosam de offic. Paroch. — (5) Trid. sess. 5, c. 2, de ref. et sess. 23, c. 1, de ref. Sed ulterius notandum, quod idem Tridentinum sess. 24, c. 4, de ref. prudentiæ Ordinariorum reliquit, ut possent parochos obligare ad verbum divinum nunciandum quotidie, vel saltem tribus diebus in hebdomada, cum tempus jejuniorum Adventus, et Quadragesimæ occurrit. Illud maxime denique adnotandum, quod ex ejusdem capitis dispositione non solum tenentur Parochi adultos prædicatione edocere; sed etiam *saltem Dominicis, et aliis festivis diebus pueros fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et parentes* diligenter, non obstante quocumque privilegio et consuetudine, similiter edocere. — (6) Trid. Sess. 5, c. 2; et sess. 24 c. 4, de ref. Non tamen potest Episcopus Parochum non prædicantem muletare pœna pecuniaria,

quia hoc a S. Congregatione Concilii in una *Novariensi* appellatum fuit *arbitrium indecens*. Benedictus XIV, de Synod. l. 10 c. 9. n. 8. Cæterum Parochi in hoc sibi rite consulant: nam communis est Doctorum sententia, eos peccare saltem venialiter, si, absque causa, hoc non observent Concilii præceptum vel una vice, et graviter peccare, si per mensem ab hac obligatione deficiant, quod locum habet eo etiam tempore, quo a parochia ex legitima causa absunt: nam tunc curam parochialem tenentur exercere per alium ab Episcopo approbatum. — (7) Devoti Inst. Can. l. 1, t. 3, § 91, in not. Monacellus t. 12, f. 7, n. 9.

209. Ob debitum administrationis sacramentorum, quorum est minister ordinarius, excepta Confirmatione, et Ordine, tenetur sacramenta necessaria necessitate medii, uti est Baptismus, et Pœnitentia, omnino ministrare etiam cum vitæ periculo (1), et idem dicendum de Extrema Unctione, quando ægrotus aliis Sacramentis juvari non potest (2); in reliquis vero maximam curam, et diligentiam adhibere (3).

Ob debitum præbendi exemplum bonorum operum, tenetur fidei professionem, et juramentum obedientiæ Romanæ Ecclesiæ in manu Ordinarii intra duos a beneficii possessione menses emittere, aliter fructus non facit suos (4). Deinde in vita pietate præcellere, integritate morum commendari, et zelo ac charitate eminere: nam non debet aliorum ducatum suscipere, qui nescit omnibus bene vivendo præire. Charitatem autem maxime pro pauperibus, et aliis miserabilibus personis habeat (5).

Ob debitum denique incumbendi in cætera munia pastoralia, inter alia tenetur parochianis suis dies festos, indulgentias, matrimonia celebranda, et jejunia nuntiare, et cætera, quæ emerserint, Ecclesiæ præcepta, et Episcopi ordinationes publicare, ne populi ignorantia violentur, aut populus novis concessis beneficiis et gratiis privetur (6).

(1) Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. 19, n. 6. — (2) Barbosa de offic. par. c. 17, n. 21. — (3) Quod magis Parochis commendatur est, ægrotis Viaticum præbere, et iisdem in extremis constitutis continuo adsistere, ut opportunis auxiliis juventur. — (4) Trid. sess. 24, c. 12, de ref. — (5) Unde in Concilio Mediolanensi 1 hæc legimus: « Inquirat studiose (Parochus) de pauperibus, præsertim de » puellis nubilibus, viduis, orphanis, pupillis, ægrotis, senio confectis, » aliisque personis temporali vel spirituali misericordia indigentibus,

» quibus et ipse pro viribus opitulari et alios, suo exemplo et hor-
» tatu, ad id officium incitare studeat. » — (6) Devoti loc. cit. § 91.

210. Ex adductis Parochi obligationibus alia sequitur, quæ principalis est, id est obligatio residentiæ, quæ magis explicatur in ultimo a linea jam citati capitis primi Concilii Tridentini (1). Hic quidem sancitur, Parochum a sua parochia non posse abesse, nisi ad bimestre ex causa rationabili, vel ex gravi causa ad trimestre, aut quadrimestre, ut declaravit S. Concilii Congregatio (2); modo in utroque casu relinquat in parochia vicarium ab Episcopo approbatum, et ejusdem Episcopi licentiam prius obtineat in scriptis. Rationabilis causa foret honestum solatium, visitatio parentum, aut amicorum, et utile et licitum negotium; causa vero gravis foret, si una concurreret ex illis, quas pro absentia Episcopi supra numeravimus (3). Aliter absens, pro rata temporis absentiæ, fructus non facit suos, nec tuta conscientia potest eos sibi retinere, sed etiam ante judicis sententiam eos tenetur dare Ecclesiæ, vel pauperibus distribuere. Præterea Episcopus, si eum contumacem in parendo invenerit, post citationem etiam edictalem potest censuris innodare, et ultimo, beneficio privare (4).

Hæc autem residendi obligatio nedum comprehendit moram in parochia, sed et pastoralium officiorum exercitium, ad exemplum residentiæ canonicorum, quæ, ut vidimus, simul involvit commorationem penes Ecclesiam, et præsentiam in choro. Idcirco si Parochus residentiam haberet in parochia non laboriosam, sed otiosam, hoc est, nihil, vel leviora tantum ageret, dimisso toto pondere diei et æstus vicariis suis, ex probabiliori Doctorum sententia adhuc teneretur fructus restituere: tum quia post impositum onus Episcopis residendi, quibus in hoc similis est, immo et gravior causa Parochorum, Tridentinum adjungit, *ubi injuncto sibi officio defungi teneantur*, quod personale officii exercitium manifeste indicat; tum quia residentia debet esse formalis, et non sufficit materialis (5).

Nihilominus si brevis sit Parochi absentia, et si Vica-

rius aptus maneat in parochia, cessat prædicta Concilii dispositio, quia in eadem illud antiquum profertur: *Non videtur abesse, qui statim est reversurus* (6). Cæterum residendi obligatio comprehendit Parochos amovibiles, Curatos temporales, sive œconomos, Curatos constitutos a capitulis, vel ab aliis curam animarum retinentes in habitu, et ipsos Coadjutores (7).

(1) Ibi Tridentinum postquam injunxit Episcopis obligationem residentiæ hæc habet: *Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et pœnas de curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, sacrosancta Synodus declarat, et decernit; ita tamen, ut quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita, et probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione, relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. Quod si per edictum citati, etiamsi non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem, et subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem compellere.* Trid. sess. 23, c. 1, in fin. de ref. Deinde Concilium quodcumque privilegium, licentiam, familiaritatem, exemptionem, pactionem, statutum etiam juramento confirmatum, consuetudinem etiam immemorabilem in contrarium excludit. — (2) Die 7 octob. 1604. Bimestre intelligitur continuum vel interruptum. Hinc qui per absentiam dierum, vel hebdomadarum bimestre complevit, ex causa tantum rationabili non potest ulterius abesse. — (3) Talis est christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas. Trid. cit. cap. 1. — (4) Diximus in titulo de capitulis canonicorum, Episcopum non posse devenire ad privationem beneficii ratione absentiæ alicujus canonici, nisi post absentiæ triennium; sed hæc regula non est necessario observanda in casu Parochi, qui a sua parochia perseverat abesse; quia in absentia canonici grave statim non patitur Ecclesia damnum, cum ex adverso, in absentia Parochi, cura animarum mox ex mora periculum habeat. In casu itaque absentiæ Parochi hæ statui possunt normæ: 1° Si Episcopus velit declarare Parochum privatum ea parte fructuum, quos per absentiam non fecit suos, nulla est formalitas observanda, quia ad hoc jam in conscientia tenebatur. 2° Si velit procedere per censuras necessaria est trina monitio, vel saltem una peremptoria. Cap. 9, de sent. excom. in 6. 3° Si velit procedere per subctionem fructuum, debet observare intervalla, et quotas determinatas a Tridentino in sess. 6, c. 1, de ref. ubi agitur de Episcoporum absentia, cum a S. Congregatione quoad hanc pœnam Episcopi et Parochi absentes pares fuerint declarati. Fagnanus in cap. *Ex tuæ* 11, de cler. non resid. n. 24. 4° Denique si velit beneficii privationem inferre, quidam opi-

nantur, id posse post unicum edictum, cum congrua assignatione termini; et innituntur citato capiti 1, sess. 23, ubi Tridentinum unum nominat edictum et personalem citationem non requirit: alii contra tria edicta poscunt, et ab ultimo lapsum sex mensium continuatæ absentiæ juxta caput *Ex tuæ* 11, de cler. non resid. cui per consequens non fuisset a Concilio derogatum. Huic secundæ sententiæ adhærendum putamus, pro qua duæ stant S. Congregationis Concilii decisiones, quas refert Giraldus ad cit. cap. *Ex tuæ* his verbis: « Quod autem contra hos ita procedi possit declaravit etiam S. Con- » gregatio Concilii in *Gerundinen.* 26 April. 1621, dummodo tria » edicta publica præcesserint, et lapsi fuerint sex menses ad præ- » scriptum constitutionis Innocentii III, cap. *Ex tuæ.* Cumque quæ- » situm fuisset, an Episcopus, præmissis tribus monitionibus, pro » revocandis Parochis ad residentiam, posset procedere ad privatio- » nem parochiæ, et sic an verba illa Tridentini, *etiam usque ad pri-* » *vationem,* intelligerentur inclusive, eadem Congregatio 8 junii 1624, » sensit, *intelligenda esse inclusive, dummodo præcesserint tria edicta* » *publica, et lapsi sint sex menses juxta caput* Ex tuæ *de cler. non* » *resid.* » Cæterum animadvertimus, posse Episcopum quamlibet maluerit ex his pœnis prosequi, quia Tridentinum *liberum esse vult Ordinariis per censuras ecclesiasticas, per sequestrationem, et subtractionem fructuum,* etc, contra absentes procedere. — (5) Ita definitum fuit in bul. *Grave* Benedicti XIV. — (6) Brevis hæc absentia in ultima Genuensi diœcesana Synodo dicitur, quæ non excedit tres, vel ad summum quinque dies. Cap. 18, n. 2. Benedictus XIV, Inst. 17. — (7) Ratio est, quia Tridentinum hanc obligationem imposuit omnibus Curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent. Sess. 23, c. 1, de ref. quod confirmant S. Congregationis decisiones. Nec Parochus coadjutus liberatur a residentia propterea quod habeat coadjutorem, etiamsi hic propter infirmitatem principalis datus fuisset. S. Cong. in *Brixien* 5 novemb. 1620; et ita tenent communiter Doctores, quia coadjuto non aufertur animarum cura. Idem procedit, si Parochus habeat œconomum curatum, qui ejus vices adimpleat. Immo Parochus etiamsi habeat coadjutorem, sive œconomum, non potest habitare extra fines parochiæ suæ, ut declaravit S. Concilii Congregatio die 22 Febr. 1851, in causa cujusdam Parochi *Tursien.*, qui justis de causis gratiam petebat habitandi extra parochiam in viciniis, et gratia fuit negata. Ex adverso Parochus tantum in habitu ex hoc capite ad residendum non tenetur, quia curam animarum actu non habet.

TITULUS XXI.

DE REGULARIBUS.

SUMMARIUM: 211. Regularis quis, et quomodo constituatur? — 212. Regularium Institutores. — 213. Ex primæva institutione Monachi erant laici. — 214. Quomodo dividantur Monachi? — 215. Qui a monacatu prohibeantur? — 216, Tempus, et modus peragendi novitiatum. — 217. Novitius tempore novitiatus non potest de rebus suis disponere, nisi observatis juris præscriptionibus — 218. Quæ peragenda sint post novitiatum, ut professio queat emitti? — 219. Quotuplex sit professio religiosa? — 220. Quales effectus producat solemnis professio? — 221 Quales minus solemnis? — 222. Regularis non potest de religione exire nisi incorrigibilis. — 223. Potest de licentia S. Sedis ad strictiorem religionem transire. — 224. Potest obtinere a S. Sede *sæcularizzationis* indultum.

211. Regularis, sive Religiosus est persona, quæ, emissis votis paupertatis, obedientiæ, et castitatis, in approbata aliqua Religione vivit, ut se perficiat, Deoque perfectius, quo fieri potest, vivat. Regularis dicitur a regula, quam profitetur. Quapropter ad verum Regularem constituendum tria requiruntur, nempe: 1° emissio trium dictorum votorum, quibus Regularis se totum, et in perpetuum Deo devovet, dum per paupertatem offert bona, quibus renunciat; per obedientiam voluntatem, quam mandatis subjicit Superioris; et per castitatem mundum, cui nuncium mittit. 2° Requiritur Religio a S. Sede tacite, vel expresse approbata, quæ Regularem recipiat; nam licet primitus Religiones fuerint a solis Episcopis approbatæ (1), postea tamen earum institutiones fuerunt Summo Pontifici reservatæ, quia nimia Religionum diversitas confusionem ingerebat, et præsumptuosa aliquorum temeritas diversorum Ordinum, præcipue Mendicantium, effrenatam quasi multitudinem adinvenerat (2). Hinc Religiones primitivæ, quæ ab Episcoporum licentia inceperunt, et etiamnunc existunt, sunt tacite, et reliquæ expresse per Summos Pontifices approbatæ. 3° Requiritur vita communis sub potestate alicujus superioris, sive abbatis, qui habeat in Regularem, tam in spiritualibus quam in temporalibus, jurisdictionem.

(1) Gonzales ad cap. *Grave* de offic. jud. ord. n. 7. — (2) Ita legitur in cap. 9, de relig. dom. et in cap. unic. eod. in 6.

212. Status regularis fundamenta ab ipsomet Christo Domino constituta fuerunt, quod, quantum attinet ad substantiam trium votorum, ex notissimis consiliis evangelicis (1), et quantum ad vitæ communionem, ex Actibus Apostolorum (2), et ex historia ecclesiastica probatur. Sed formales Religionum institutiones labentibus sæculis a viris sanctitate conspicuis factæ fuere. Primis duobus sæculis aluit in suo sinu sancta Mater Ecclesia quosdam ferventiores christianos, qui, ob vitam pœnitentem, rerumque divinarum meditationibus exercitam, appellati fuerunt *Asctæ* a græco verbo, quod sonat *exercitationem virtutis*. Deinde sæculo tertio quidam fideliores christiani, qui ad evitandas ethnicorum superstitiones, et persecutiones, se abdiderunt inter montium, sylvarumque anfractus, *monachi* dicti sunt ab alio nomine græco, quod *solum*, vel solitarium sonat (3). Et qui ex istis seorsim ab aliis in eremo vivebant, *anachoretæ*, vel *eremitæ*; qui vero in unum convenientes in conventu sub cujusdam Superioris obedientia vivere inceperunt, *cœnobitæ* vocati fuerunt (4).

Ex his omnibus peculiaribus vivendi rationibus S. Basilius in Oriente, sæculo Ecclesiæ quarto, pro cœnobitis perfectioris status monachalis regulam composuit, quam fratribus observandam proposuit. Hoc ipsum in Occidente fecit, eodem sæculo, S. Augustinus; sæculo sexto S. Benedictus; et sæculo decimo tertio S. Franciscus. Unde quatuor tantum sunt præcipue monachales regulæ, nempe Basiliana, Augustiniana, Benedictina, et Franciscana, sub quibus omnes monachorum Ordines militant, licet quidam habeant constitutiones, et statuta particularia, cujusmodi sunt, Minimi, et Carthusiani (5).

(1) In his consiliis tria prædicta vota substantialia continentur: nam in illis Salvatoris verbis: *Nolite possidere aurum et argentum*, Matth. 19; et in aliis: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, Luc. 14, continetur votum paupertatis. In illis verbis: *Qui vult venire post me abneget semetipsum* Matth. 16, votum obedientiæ; et in illis: *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt*

propter regnum cœlorum, Matth. 19, castitatis votum continetur. — (2) Act. Apost. c. 4, ubi dicitur, credentes habuisse cor unum, animam unam, et omnia communia. — (3) Can. 5, c. 16, q. 1. — (4) Gonzales ad cap. *Monachi* de stat. monach. n. 1. — (5) Reiffenstuel ad tit. de regul. n. 34 et seqq.

213. Ex primæva institutione Monachi erant laici nullo ordine insigniti, qui orationi intenti, et procul ab urbium rumore viventes, labore manuum sibi victum comparabant. At posterioribus temporibus eorum aliquem cepit Episcopus ordinibus initiare, ut in monasterii sacello sacrum faceret, et alia spiritualia bona fere tamquam parochus suis subditis ministraret (1). Denique ad ampliationem divini cultus a Clemente V statutum fuit, ut monachus quilibet ad monitionem Abbatis se faceret ad ordines sacros, excusatione cessante legitima, promovere (2). Et ex eo tempore Monachi fuerunt inter clericos connumerati.

(1) Gonzales ad cap. *Nullus* de elect. n. 1. — (2) Clem. *Ne in agro* de stat. monac.

214. Monachi dividi possunt: 1° in professos, et novitios; 2° in conversos, et oblatos; 3° in eos, qui contemplativam, qui activam, et qui mixtam profitentur vitam (1); 4° in mendicantes, et non mendicantes (2). Novitii, et oblati, nec veri sunt monachi, nec veri clerici (3). Nihilominus ob specialia privilegia, quibus fruuntur, sicut inter clericos, ita quoque inter monachos computantur (4).

(1) Vitam contemplativam illi profitentur, qui orationi et contemplationi tantum vacant ad sui perfectionem; illi activam, qui, operibus charitatis spiritualibus et temporalibus, operam navant ad proximorum utilitatem; et illi mixtam, qui ad sui, aliorumque profectum, contemplationi, et charitatis operibus simul incumbunt. — (2) Mendicantes sunt, qui ut in particulari, ita in communi bona immobilia possidere non possunt, quique ex eleemosynis emendicatis, vel ex liberalitatibus sponte oblatis, vel ex manuum labore partis, vitam sustinent. Ex jure mendicantes sunt Fratres Prædicatores, Minores, Eremitani, et Carmelitæ. Cap. unic. de relig. in 6. Sed cum Tridentinum permittat bona immobilia possidere *omnibus monasteriis, et domibus tam virorum, quam mulierum, et mendicantium,* exceptis Fran-

ciscanis, sess. 25, c. 3, de regul. videretur dicendum, Fratres in hac exceptione non comprehensos mendicantes non posse amplius appellari. Nihilominus omnes prædicti nomen et privilegia mendicantium ex speciali S. Sedis concessione adhuc retinent, licet queant immobilia in communi acquirere, et possidere. Reiffenstuel ad tit. de regul. n. 29. — (3) Hic adcenseri etiam debent Tertiarii, qui ad respectivas Religiones pertinent. Tertiarii hoc nomine appellantur, quia tertium efformant religionis mendicantis ordinem. S. Franciscus constituit primum ordinem fratrum, secundum ordinem monialium, et tertium eorum, vel earum, qui, quæve proxime, quantum fieri poterat, ad dictos ordines accederent. Istiusmodi Tertiarii, vel Tertiariæ pluribus privilegiis fruuntur, et prius in sæculo in domibus particularibus seorsim vivebant; postea vero ad vitam communem sub cura, et directione superioris convolarunt, sicut nunc sæpe observari videmus. Reiffenstuel loc. cit. n. 56. — (4) Regulares possunt quoque dividi in monachos et mendicantes proprie dictos, et clericos regulares. Monachi proprie dicti sunt, quos supra retulimus; Clerici vero regulares appellantur, qui sub certa regula in communi vivunt, et vota solemnia emittunt, cujusmodi sunt Theatini, Somaschi, Barnabitæ, Ministri infirmorum, et Clerici Scholarum Piarum, a quibus multum differunt Clerici sæculares in congregatione viventes: nam licet hi sub quadam regula sint congregati; tamen vel nulla emittunt vota, vel tantum simplicia, quales sunt Philippini a S. Philippo Nerio, Missionarii a S. Vincentio a Paulo, et Redemptoristæ a S. Alphonso de Ligorio instituti. Selvagius l. 1, t. 31, n. 8.

215. Cun vita regularis sit de meliori bono, ut loquuntur scholæ, omnibus patet ad eam aditus, nisi a jure claudatur; clauditur autem: 1° criminosis (1); 2° infamibus (2), 3° impuberibus (3); 4° illegitimis (4); 5° corpore vitiatis (5); 6° matrimonio consummato devinctis (6); 7° matrimonio spirituali Ecclesiæ particulari addictis (7); 8° iis, qui habent parentes in gravi necessitate constitutos, et quos possunt sine animæ præjudicio juvare (8); 9° iis, qui ob administrationem publicam, vel privatam bonorum temporalium ad rationes reddendas adhuc tenentur (9); 10° iis, qui non habent necessarias dotes animi; 11° iis, qui Episcopi testimonium non habent (10); 12° iis denique, qui supernam vocationem non præ se ferunt (11).

(1) Hinc Sixtus V declaravit, juvenes non esse in Religione recipiendos, nisi compertum sit, *eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut graviora, reos, aut suspectos existere, ut propterea damnati sint, aut ne damnentur for-*

mident. Bul. *Cum de omnibus.* Quod ideo statutum fuit, ne Religio dedecoraretur, et ne rei causam prætendere possent evadendi criminum pœnas. — (2) Hi recipi nequeunt in clericos, et multo magis in monachos. Reiffenstuel de regul. n. 71. — (3) Can. 1, c. 20, q. 2, cap. 8 et 9 de regul. Immo ex Clemente VIII, et ex Tridentino minores annorum sexdecim completorum non possunt ad professionem religiosam admitti. Sess. 25, c. 15, de regul. Neque Auctoritas civilis potest in ætate monachandorum quidquam immutare, ut patet ex prop. 52 et 53, damnatis in Syllabo anni 1864. — (4) Quoad illegitimos hodie tantum prohibitio viget, si eorum pater vivens in eadem Religione professus sit; nam licet Sixtus V, in bul. cit. a religione monachorum rejecisset illegitimos ex incestu, vel sacrilegio procreatos, quibus tantum permiserat habitum religiosum in statu conversorum, sive famulorum absque spe obtinendi professionem, vel ordines etiam minores; Gregorius tamen XIV, in bul. *Circumspecta* hunc rigorem temperavit, remque reduxit ad tramites juris communis, juxta quod illegitimi ad religionem ita admittuntur, ut etiam in eis per professionem deleatur macula natalium, salvo tamen prædicto casu patris et filii in eadem religione. — (5) Ut sunt cæci, muti, surdi, lepra, morbo caduco, aut gallico affecti, et omnes infirmi, qui onera religionis sustinere nequeant. Reiffenstuel loc. cit. n. 74. — (6) Matrimonii consummati vinculum est indissolubile; ideoque prohibet conjugatum monachum fieri. Tot. tit. de conv. conjug. — (7) Tales sunt Episcopi et majores Prælati, qui absque S. Sedis licentia nequeunt statum monachalem amplecti. Cap. 10 de renunc. Aliter vero sentiendum de minoribus beneficiatis, Cap. 18, de regul. qui verum non contrahunt cum sua Ecclesia connubium. Bul. *Ex quo dilectus* Benedicti XIV. — (8) Ratio est, quia de parentum auxilio habemus Dei præceptum, et de religione monachali suscipienda tantum consilium. Can. 1, dist. 30. — (9) Hoc præscribunt canones, ne creditoribus damnum, aut injuria inferatur, et ne debitor propter virtutis amorem causam habeat violandi justitiam. Cit. bul. *Cum de omnibus* Sixti V. — (10) Testimonium hoc requiritur ex novissimo decreto S. Congregationis super statu Regularium diei 25 Januarii 1848, incip. *Romani Pontifices*, in quo hæc leguntur. « Nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo Postulans, post expletum decimum quintum ætatis suæ annum, ultra annum moratus fuerit. Ordinarii in præfatis litteris testimonialibus, postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de Postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, ære alieno gravatus, vel reddendæ alicujus administrationis rationis obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere; nec ipsis umquam liberum esse hujusmodi testimoniales litteras denegare: in eisdem tamen super præmissis singulis articulis ea tantum testari debere, quæ ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino

» judicaverint. » Hæ testimoniales dari etiam possunt per litteras privatas; neque est necesse, ut Ordinarii de omnibus testentur: et si Ordinarii respondeant, Postulantes non agnoscere, sufficit alia accurata informatio. Si vero Ordinarii litteras dare recusent, recurrendum est ad S. Congregationem prædictam. Hæ litteræ requiruntur etiam ante susceptionem habitus pro laicis, qui ex privilegio in religione recipiuntur tamquam Oblati, sive Donati; sed in omni casu susceptio habitus, et professio absque his Ordinarii litteris non est invalida, sed tantum illicita, sicut totidem decisionibus declaravit S. eadem Congregatio die 1 maii 1851. Cæterum dictæ Ordinarii litteræ requiruntur *in quocumque Ordine, Congregatione, Societate, instituto, monasterio, domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia.* Cit. decret. — (11) Ad cognoscendam autem vocationem duplex scrutinium super Postulantis qualitatibus instituendum est, quorum primum fieri debet in provincia a superiore Provinciali, et secundum Romæ a superiore Generali cum deputatis Consiliariis, sive examinatoribus ad formam novi Decreti ejusdem Congregationis diei 25 Januar. 1848, incip. *Regulari disciplinæ*, quod respicit dumtaxat Italiam et insulas adjacentes. In eo decreto inter alia multa scitu necessaria hæc leguntur: « Cum aliquis ad habitum recipi po-
» stulaverit, Provincialis omnia exquirat documenta.... et diligenter
» inquirat circa illius qualitates, utrum nempe ab omni defectu, et
» impedimento immunis sit, et necessariis dotibus prædictus, reli-
» gioso statui idoneus, ac etiam in amore perfectioris vitæ, et Deo
» liberius in religione serviendi, seu potius levitate, aut necessitate,
» vel alio inordinato fine ductus admitti postulet. » Gravissima sane hæc scrutinia sunt: nam omnes Examinatores ante examen debent juramentum emittere, eorum conscientiam de eo gravare, et acta manu propria subscribere. Superior Generalis in secundo scrutinio potest candidatum in primo scrutinio approbatum ex justis et rationabilibus causis rejicere; nunquam vero admittere, si in primo fuerit reprobatus. Si contingat, candidatum ad locum, in quo residet Provincialis, ob loci distantiam, vel aliam causam accedere non posse, idem Provincialis cum tribus Examinatoribus poterit candidatum a personali accessu dispensare, et pro ejus examine ecclesiasticam personam, idoneam ab Ordinario declaratam, deputare, ut iisdem oneribus, et modis, quibus veri Examinatores, eum examinet, et Provinciali referat, servata Instructione ejusdem Congregationis diei 1 maii 1851, quæ hæc habet: 1° Examinatores Provinciales, seu Examinator deputatus interrogent Postulantem de ejus nomine, parentibus, patria, ætate; diligenter ejusdem voluntatem explorent, et præsertim an coactus, an seductus sit, et quo spiritu, quo consilio, qua ratione ad statum religiosum ducatur, et utrum aliquam cognitionem habeat votorum, quæ deinceps emittere debet. 2° Si recipiendus uti clericus Religionem ingredi postulet, inquirant Examinatores, an eam litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præ se ferat, ut minores, et suis temporibus majores ordines suscipere valeat. Quod si agatur de admittendis ad habitum conversorum, an saltem præcipua doctrinæ Christianæ ca-

pita noverint. Quoad omnes vero, et præsertim relate ad Postulantes provectioris ætatis Examinatores sagacius, sed prudenter curent odorari, si recte de catholica doctrina sentiant, prout conditio cujusque personæ postulet. 3° Exquirant a Postulante, utrum ejus parentes, vel alter eorum adhuc vivat, quam artem et professionem exerceant, vel exercuerint, si ita adeo pauperes sint, ut filii subsidio indigeant. 4° Exquirant ejus conditionem, an habeat in sæculo media sufficientia substentationis, si sit ære alieno gravatus, an et quam artem, vel professionem exerceat, an alicui religioso instituto nomen dederit, vel illius habitum induerit, an fuerit inquisitus, vel nota infamiæ vel irregularitatis irretitus, aut gravi morbo affectus. 5° Videant an notabili deformitate laboret, utrum aliquod signum valde infirmæ valetudinis, vel fatuitatem præ se ferat; et alia quæ in citato Decreto, et Instructione plenius explicantur.

216. In monasterium ingressi, et habitu regulari induti, antequam possint ad dicta vota in religiosa professione nuncupanda admitti, debent novitiatum peragere, ut eorum ad Religionem vocatio probetur. Tempus novitiatus olim erat trium annorum (1); ex jure Tridentini unius tantum est anni, qui tamen *completus*, et *continuus* esse debet (2); ideo completus, quia si unica tantum dies, vel hora deesset, non sufficeret ad professionem validam emittendam (3); ideo continuus, quia si per aliquot solum dies novitius voluntarie monasterium dimittat animo revertendi ad sæculum, post conversionem, novitiatus annus est ab eo iterum inchoandus, et perficiendus, aliter nulla foret ejus professio (4). At ille monasterium non dimittit, neque novitiatum interrumpit, qui de licentia Superioris ex monasterio egreditur, et foris per aliquod brevissimum tempus moratur, quia ubicumque Religiosus de licentia sui Superioris sit, in suo monasterio esse juris fictione creditur (5).

Novitius novitiatus sui tempore debet Religionis regulam observare, Religionis privilegiis fruitur, non potest absque rationabili causa a Religione dimitti; sed ipse plena gaudet libertate inceptum deserendi propositum, et ad sæculum revertendi (6). Immo ne hæc lædatur novitii libertas, duæ fuerunt editæ in Concilio Tridentino sanctiones.

Prima, sub anathematis pœna prohibet, ne novitius, ejusque parentes, et propinqui aliquid tribuant monaste-

rio, excepto victu, et vestitu, et simul præcipit, ut novitio abeunti omnia restituantur, quæ sua erant (7).

(1) Novel. 5, c. 2. — (2) Trid. sess. 25, c. 15, de regul. — (3) Reiffenstuel in tit. de regul. n. 94 et seqq. Hic notandum, quod defectus novitiatus est insanabilis: unde qui novitiatum recte non peregit, numquam fieri potest verus regularis; neque in eo potest habere locum professio tacita, ut definivit S. Congregatio Concilii in una *Assisien.* 1612 et in alia *Lucen.* 6 aug. 1593. Richter ad cap. 16, sess. 25. Trid. de regul. n. 2 et 3. — (4) Vid. quæ sint observanda ex novissimis decretis, ut infra. — (5) Reiffenstuel ad tit. de regul. n. 103 et seqq. — (6) Cap. 23 eod. — (7) Sess. 23, c. 16 de regul.

217. Secunda, sub pœna nullitatis prohibet, ne novitius aliquam renunciationem faciat, aut obligationem contrahat, etiam favore cujuscumque causæ piæ, et etiamsi juramentum accesserit, nisi cum licentia Episcopi intra duos menses proximos ante professionem, et dummodo professio sequatur (1). Hinc Doctores nullam et nullius effectus ex jure canonico dicunt donationem, mutuum, constitutionem dotis, remissionem debiti, cessionem jurium, renunciationem beneficii, hæreditatis, legati, aliamque obligationem, quæ si facta, vel suscepta fuerit, ejus validitas pendet a duabus conditionibus, ut sit facta nimirum cum licentia in duobus mensibus professioni proximis, et ut professio sequatur. Excipiuntur tamen donationes modicæ, quæ honestæ oblationis, et eleemosynæ vice funguntur. Quæ sapientissime statuta sunt, ne novitius, bonis ob dictas renunciationes et obligationes spoliatus, invitus cogatur in monasterio manere, cui nihil amplius est in sæculo, nisi emendicare (2).

Sed ex novissimis S. Congregationis Regularium decretis, et specialiter ex illo diei 19 martii 1857, regularis disciplina, in admissione, probatione, novitiatu, professione, et aliis reformata fuit. Etenim jam vidimus immutationes inductas a supra expositis decretis; et in decreto hic citato statuitur, post novitiatum posse emitti tantum vota simplicia, et professionem votorum solemnium non posse fieri nisi post triennium a die emissorum votorum simplicium. Consequenter hoc jure illico post novitiatum vera professio religiosa cum omnibus suis

effectibus, non emittitur; et ideo Tridentini dispositio circa renunciationes ad duos ultimos menses novi triennii ante solemnem professionem translata est. Hoc confirmatur ex alio ejusdem S. Congregationis decreto diei 17 Julii 1858, in quo declaratur, professum votorum simplicium retinere posse dominium radicale bonorum suorum, licet eorum administratio ei adimatur (3).

(1) Trid. loc. cit. — (2) De Luca annot. ad Trid. disc. 40. Richeri tom. 2, Jur. univ. § 4973. — (3) Hoc decretum hæc habet sub n. 9: « Professi votorum simplicium dominium radicale, ut aiunt, » suorum bonorum retinere poterunt; sed eis omnino interdicta est » eorum administratio, et redituum erogatio, atque usus. Debent » propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tem- » pore, quo in eadem votorum simplicium professione permanse- » rint, administrationem, usumfructum, et usum, quibus eis placuerit, » ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum lubitu existimaverint. »

218. Post peractum novitiatum quæ peragenda sint, ut ad professionem fiat transitus, nullo meliori modo exponere possumus, dicto jure novissimo servato, quam textum afferendo præcitati decreti (1), in quo statuitur, ut in Italia insulisque adjacentibus, Provincialis « Capitulum con- » ventuale ejusdem conventus, seu domus convocet, ut » Capitulares per secreta suffragia declarent, an novitius » ad professionem admitti possit. Deinde omnium acto- » rum, et resultantium relationem scripto exaratam pro- » pria manu subscribat, quin tamen eos, qui secreto de- » posuerint, ullo modo in aliquod discrimen adducat. » Hujusmodi relationem Provincialis tribus saltem exa- » minatoribus provincialibus communicet, et condicto die » convocet præfatos examinatores, et novitiorum Magi- » strum, et præstito ab omnibus superius enunciato ju- » ramento, Magister novitiorum referat de novitii agendi » ratione in novitiatu servata, de ejus libertate, vocatione, » et idoneitate ad statum religiosum, et declaret, utrum » ipse in Domino existimet, novitium ad professionem » tuto admitti posse. Si vero Magister novitiorum vel » ratione distantiæ, vel alia legitima causa ad locum scru- » tinii commode accedere nequeat, transmittat super præ- » missis relationem in scriptis, illamque juramento con-

» firmet, et propria manu subscribat. Provincialis dein-
» ceps, et examinatores per secreta suffragia definiant,
» an novitius necessariis dotibus præditus sit, ut ad pro-
» fessionem tuto admitti possit, super quo eorum con-
» scientia graviter onerata remaneat (2). Si novitius pro-
» batus fuerit, Provincialis de omnibus instructum red-
» dat Superiorem generalem, qui ulterioribus informatio-
» nibus, quatenus necessarium judicaverit, requisitis, ap-
» probationem revocet, vel confirmet, prout in Domino
» judicaverit, quin tamen unquam permittere possit pro-
» fessionem novitii, qui ab examinatoribus Provinciali-
» bus reprobatus fuerit (3). »

(1) Decr. cit. incip. *Regulari disciplinæ* p. 2, art. 3. — (2) Ib. art. 4. — (3) Ib. art. 5, examinatores in qualibet Provincia debent esse octo cum ipso Provinciali, qui eligendi sunt a Capitulo, seu Congregatione Provinciali per secreta suffragia, et durant usque ad novum provinciale Capitulum, inter quos duo ex Definitoribus, vel Consultoribus, vel Assistentibus comprehendendi sunt. Si vero ob paucitatem Religiosorum dictus examinatorum numerus haberi non possit, quatuor saltem sufficiunt. Id. p. 1, a. 2 et 4.

219. Professio religiosa dividitur in *expressam* et *tacitam*, in *solemnem* et *minus solemnem*. Expressa definitur, promissio libere facta, et legitime a Superiore acceptata, qua quis se adstringit certæ Religioni ab Ecclesia probatæ per emissionem trium votorum solemnium, paupertatis, obedientiæ, et castitatis. Professio vero tacita, est illa, quæ jure approbante, resultat ex factis, ut si novitius regularium professorum habitum assumat, Superiore permittente, eorumdem officia adimpleat cum voluntate se Religioni obligandi. Equidem si per quinquennium, nulla proposita querela, in hoc statu perseveret, tamquam professus habendus jure pristino habebatur, et non poterat amplius de nullitate dicere, nisi in integrum a Summo Pontifice esset restitutus (1). Quare si professio aliqua ratione sit nulla, ut puta per vim, et metum, et per defectum ætatis, monachus, primo labente quinquennio, potest contra ipsam professionem reclamare, ut a vinculo Religionis solvatur (2); si autem nolit reclamare, potest ipsam professionem ratificare, modo absit omne impe-

dimentum, et ratificans sciat suam primam professionem fuisse nullam (3), sic enim jure pristino res procedit.

Professio solemnis, quæ dici etiam potest solemnizzata, ac vera, et propria religiosa professio stricte sumpta, est ea, quam Ecclesia ita probat et acceptat, ut qui eam emittit, tamquam mortuus sæculo habeatur, et ita perpetuo Religioni obligetur, ut inhabilis fiat ad omnes actus votis solemnibus repugnantes, quos si præsumat peragere, nedum illicite, sed et nulliter agat. Professio vero minus solemnis, interdum etiam simpliciter solemnis appellata, vel solemnis improprie, et lato sensu, ea est, quam Ecclesia jure novissimo probat, ut medium majoris perfectionis cum emissione votorum simplicium, quibus non est vis reddendi nullos actus contrarios, licet qui ea infringit graviter peccet (4).

(1) Trid. sess. 25, c. 19, de Regul. Hic tamen notandum, quod a declaratione S. Congregationis Regul. diei 17 julii 1858, resultat manifeste, professionem tacitam non amplius habere locum, quia in ea hæc statuuntur, nimirum: « Ad valida emittenda vota solemnia, » post vota simplicia, requiritur professio expressa; et ideo profes- » sio tacita omnino abrogata est. » Ib. sub. num. 11. Quod intelligitur de viris dumtaxat, nam inter moniales professio tacita non fuit abrogata. — (2) Circa modum tamen procedendi in hac causa necesse est expendere Bullam *Si datam* Benedicti XIV, in qua omnia fere inveniuntur, quæ ad hujusmodi judicium pertinent. Ibi mandat Pontifex, ut vere legitime procedatur, non vero extrajudicialiter; ut Religiosus habitum non dimittat, secus non deberet audiri, sed tamquam apostata puniri; ut judicium fiat coram Superiore regulari simul cum Ordinario, qui si inter se non conveniant, causa devolvitur ad S. Sedem; ut citentur, et audiantur Protectores monasterii, consanguinei, et illi, qui bona obtinent Professi; immo et auctores ipsi metus incussi, si ex metu nulla dicatur professio. Mandat simul, ut Episcopus deputet professionis religiosæ Defensorem, qui debeat in causa validitatem ipsius professionis sustinere, et a prima sententia contraria appellare: nam sine duabus sententiis absolutoriis non licet religioso religionem suam dimittere. Quocirca si hic nequeat suæ professionis nullitatem plene probare, in foro exteriori tamquam professus semper habetur. — (3) In hoc casu, si nullitas sit occulta, ad professionis ratificationem non videtur necessarius consensus Superioris, quia ille consensus censetur perdurare, neque necessariæ professionis cæremoniæ, quia illæ emissæ in professione sufficiunt. Reiffenstuel de regul. n. 217. — (4) Minus solemnis professio non nominatur a veteribus; sed inducitur a novis supra citatis decretis, quæ in casu videnda sunt.

220. Professio solemnis valide emissa præter obligationem ad tria essentialia vota, et ad perfectum Religionis statum, sequentes producit effectus: 1° inducit quasi contractum inter professum, et monasterium, quo, ille operam suam, hoc vero alimenta spondet; 2° impedit, ne matrimonium valide contrahatur, et dirimit sponsalia, ac matrimonium ratum jam contractum (1); 3° tollit irregularitatem ex defectu natalium ad effectum recipiendi ordines, non Prælaturas (2); 4° affert vacationem beneficiorum, quæ professus prius habebat (3); 5° irritat omnia vota simplicia etiam ingrediendæ Religionis strictioris prius emissa, modo non sint jurata, neque in ipsa professione reservata, neque facta in tertii utilitatem. Eaque est principalis asserti ratio, quia omne opus bonum in particulari Deo promissum eminenter in professione religiosa continetur, per quam profitens se, et omnia sua Deo dedicat moriens priori vitæ, et nihil, ne propriam quidem voluntatem, sibi reservans (4).

Præterea in vim professionis solemnis professus fit particeps omnium privilegiorum Regularium, ut ea sunt, quæ eisdem concessa, et confirmata fuerunt in Bul. *Regiminis* Sixti IV, quæ vulgo *mare magnum* appellatur. Inter hæc præcipuum est privilegium exemptionis, quo fit, ut eorum monasterium sit in territorio veluti nullius diœcesis; ideoque subtractum a jurisdictione, et a lege diœcesana Episcopi; licet olim tam monachi, quam monasteria essent Episcopo diœcesano omnino subjecta. Sed hæc exemptio cessat, si agatur de parvis conventibus (5); item dicta exemptio cessat in pluribus aliis casibus, de quibus nos supra aliqua jam attigimus (ad n. 160, pag. 160), et Doctores suis in locis loquuntur (6).

Denique in vim professionis solemnis professus amittit quædam jura civilia, quia civiliter consideratur tamquam mortuus, vel ad minimum tamquam capite minutus. Sed non conveniunt inter se Doctores, an hæc capitis minutio sit maxima, ut admittebatur in veris servis Romanorum, vel tantum minima, ut datur in filiis-familias (7).

Quare status monachi primitivus per ejus professionem solemnem mutatur. Revera ex jure canonico monachus

in odiosis solvitur a patria potestate sui patris naturalis, dum tamquam filius, cum omnibus bonis suis, monasterii Superiori subjicitur juxta illud: *Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio.* Et similiter amittit activam testamenti factionem, non vero regulariter passivam (8).

(1) Trid. sess. 24, can. 6. — (2) Cap. 1 de fil. presb. — (3) Arg. cap. 4, de regul. in 6. — (4) Cap. 4 de vot. etc. et cap. 5, de regul. in 6. — (5) De parvis conventibus Urbanus VIII, in Decreto *Cum sæpe,* et in subnexa quorumdam dubiorum solutione an. 1625, præscripsit, ne in posterum monasteria erigerentur, in quibus 12 fratres ali non possent: unde hoc Decretum non afficit conventus prius existentes. Reiffenstuel de off. ord. n. 124. Innocentius X vero, in Bul. *Instaurandæ,* Ordinum regularium Superioribus in Italia et insulis adjacentibus mandavit, ut supprimerent omnes conventus parvos (quales intelliguntur, qui 12 religiosis non constant), quia in his disciplina regularis observari non potest, et *aluntur vulpes parvæ, quæ demoliuntur vineas.* Servavit tamen Superioribus facultatem, eos sub quibusdam conditionibus restituendi; et interim dedit Ordinariis potestatem ejiciendi inobedientes, etiam invocato brachii sæcularis auxilio. Sed deinde idem Pontifex, in alio Decreto *Ut in parvis,* jussit, conventus denuo restitutos tamdiu subjacere Ordinariorum jurisdictioni, *donec in eis commode sustentari valeant, et cum effectu sustententur 12 religiosi,* ita tamen ut non possint subsistere tamquam conventus, nisi in eis *alantur sex saltem religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus sint Sacerdotes maturæ ætatis.* Quoad omnes alios autem cujusque Religionis conventus in Italia existentes, qui non fuerunt suppressi, decrevit, omnes subjacere Ordinariorum jurisdictioni, si in eis actu non alantur sex religiosi probatæ vitæ, quorum quatuor ad minus sint sacerdotes, et duo conversi probatæ vitæ. Denique Alexander VII in Decreto 15 januarii 1664, prohibuit, ne Ordinarii dictos parvos conventus visitantes possint procurationem exigere; et in Bul. *Posito decreto* an. 1665, dissolvit plura dubia circa Ordinarii, et Superioris regularis actionem in dictis parvis conventibus. Ex quibus omnibus, mea sententia, hæc sequuntur: 1° Non posse erigi conventum, nisi in eo 12 possint vivere religiosi; 2° in conventibus suppressis, in quibus non sunt 12 religiosi, Ordinarium posse jurisdictionem exercere; 3° in conventibus numquam suppressis Ordinarium habere jurisdictionem, si in eis sex saltem non sint religiosi. — (6) Monacellus p. 1, t. 6, in not. ad form. 20 et Fagnanus in cap. *grave* de off. ord. — (7) Verior tamen videtur hæc postrema sententia, quia monachus non amittit libertatem, ut servi Romanorum, licet voluntati se submittat Superioris. Immo sunt quædam jura incorporalia, ut observat Berardi, quorum adhuc capax est monachus, ut sunt jura civitatis, ex. gr. ferendi testimonii et prolytas, vel doctores inaugurandi, si monachus professoris munere in aliquo Athæneo fungatur. Jus eccl. univ. t. 2, d. 4, c. 3; et ut sunt

quædam munera publica, Judicis ex. gr. aut Procuratoris, quæ potest de Superioris sui licentia interdum explere. Clem. 3, de procurat. Hinc monachus magis filio-familias assimilatur, quam servo, et illius veram imaginem refert, qui per arrogationem filius-familias fit. — (8) De Luca de test. in sum. n. 26, 31 et seqq. Dicimus *activam*, quia non potest facere testamentum; non vero passivam, quia licet non sit per se capax aliquid recipiendi per testamentum tamquam hæres, sibi relictum tamen accipit per monasterium, ejusque Superiorem.

221. Professio deinde minus solemnis fit ad quamdam imitationem solemnis; sed hujus vim et effectus non sortitur. Effectus quidem professionis minus solemnis metiuntur potius ex natura votorum, quam ex constitutione Ecclesiæ (1). Hinc qui professus est vota simplicia, etiam perpetua, tenetur quidem ea observare, et quod contra fieri contingat est illicitum, sed non invalidum; cum e contra quod fit contra vota solemnia non solum est illicitum, sed invalidum. Propterea vovens paupertatem minus solemniter, absque peccato nequit actus proprietatis exercere, sed si tales actus exerceat, sunt validi, quia a nulla lege declarantur invalidi. Similiter vovens castitatem perpetuam matrimonium licite inire non potest; nihilominus si illud contrahat, valet, quia licet ab illo sit prohibitus, non fuit tamen a lege ad illud declaratus inhabilis. Eadem ratione non erit irritum quod faciet contra obedientiam promissam.

Hæc professionis species illis adscribitur Religionibus, monasteriis, sive religiosis domibus, in quibus ex propriis constitutionibus ab Ecclesia approbatis novitiatus agitur, professio votorum simplicium emittitur et in communi sub proprii Superioris gubernio ad proprium, proximique profectum vita traducitur, ut declaratum fuit de Ordine Trappensium in Gallia, qui tantum emittunt vota simplicia; donec S. Sedes aliter statuat (2). Eadem applicanda videntur primæ votorum simplicium professioni, quæ in Societate Jesu fit (3), et primæ similiter professioni votorum simplicium, quæ ex citato Decreto (4) in religiosis Ordinibus fieri debet.

(1) Contrarium habetur in professione solemni, cujus effectus po-

tissimum metiuntur ex constitutione Ecclesiæ, quæ vota a vovente facta acceptat, et eum inhabilem declarat ad actus votis contrarios. Cap. 1, de vot. — (2) Ita responsum fuit a S. Pœnitentiaria ad Episcopum Cenomanensem 13 febr. 1841. Vide decretum S. Inquisitionis 24 mart. 1837 et decretum S. Congregationis Regul. 9 iul. 1837. — (3) Quoad Jesuitas tamen notandum, eorum votum castitatis etiam simplex, post probationem biennii emissum, secum afferre impedimentum dirimens matrimonium postea attentatum, ob speciales constitutiones Gregorii XIII *Quando fructuosius*, et *Ascendente Domino*, quod eosque durat, donec vovens in ordine manet, et a Superioribus ab eodem non dimittitur. Unde si sua sponte sine Superiorum dimissione egrediatur, impedimentum remanet. Giraldus ad cit. cap. 1, de vot. — (4) Decret. 19 mart. 1857. Circa hoc decretum quædam declarationes prodierunt a S. Congregatione pro iis, qui dubiorum resolutiones eidem proposuerant. Nos hic transcribere opportunum ducimus capita, quæ huc spectant, edita a Congregatione die 17 jul. 1858. 1° « Vota simplicia, de quibus agitur, per» petua erunt ex parte voventis, utpote quæ tendunt ad emittenda » deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum » accipient. 2° Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata » est Romano Pontifici, cui professi, gravibus urgentibus causis, » preces porrigere poterunt. 3° Verum eadem simplicia vota solvi » etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis professorum, » ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vin» culo, et obligatione, eo ipso liberi fiant. 4° Facultas autem dimit» tendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad » commissarium Apostolicum Ordinis cum suo consilio generali. » Idem commissarius Apostolicus cum suo generali consilio poterit » in casibus extraordinariis, et præsertim pro regionibus, et locis » longinquis, ad dimissionem decernendam subdelegare religiosos » probos et prudentes, qui saltem tres esse debent. 5° Licet ad de» cernendam dimissionem, neque processus, neque judicii forma re» quiratur, sed ad eam procedi possit, sola facti veritate inspecta; » tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia, » et justis, et rationabilibus causis, quacumque humana affectione » remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo » autem ex causa infirmitatis, post professionem votorum simplicium » superventæ, dimitti poterit. 6° Professi dictorum votorum simpli» cium participes erunt omnium gratiarum, et privilegiorum, quibus » professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utun» tur, fruuntur, et gaudent. 7° Superiores regulares, ad quos spectat, » concedere poterunt hujusmodi professis litteras dimissorias dum» taxat ad primam tonsuram, et ad ordines minores, servatis tamen » de jure servandis, et præsertim quæ circa ordinationes Regularium » ab Apostolica Sede præscripta sunt. 8° Anni professionis, qui in » dicto Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat, » et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium » computantur; et professi votorum simplicium suffragium habeant » in actis capitularibus sui Conventus, quatenus, et prout habent so-

» lemniter professi ... 10° Professi votorum simplicium remanere de-
» bent in domibus professoriis, et studiorum, et vitam communem
» perfectam observare. »

222. Statum regularem, quis semel valide assumpsit, dimittere amplius nequit, ex quo fluit illud Doctorum effatum: *Semel monachus, semper monachus.* Nihilominus a suscepta Religione quandoque religiosus liberatur, quod tripliciter fieri potest, videlicet: per *ejectionem*, per *transitum ad aliam religionem strictiorem*, et per *indultum, quod sæcularizzationis appellant.* Jure novissimo nemo legitime professus ejici e religione potest, nisi sit vere incorrigibilis (1). Hoc autem casu debet ter moneri, et puniri, et per sex menses in jejunio et pœnitentia in monasterii carceribus detineri; quibus præmissis, si in sua perversitate sine emendationis fructu persistat, a Superiore Religionis cum consensu sex aliorum Religiosorum in Congregatione provinciale designatorum, et a Superiore Generali confirmatorum, potest sententia definitiva ejectionis proferri, quæ non transit in judicatum, sed potest, et debet revocari, si ejectus in bonam frugem revertatur, quia quod est excommunicatio inter laicos, hoc fere est expulsio inter religiosos, et utrumque in peccato pertinaciam, non peccatorem, persequitur. At sic expulsus habitum regularem dimittit; in sæculo vivit habitu clericorum sæcularium indutus, et manet perpetuo ab ordinum exercitio suspensus, quin suspensio per Ordinarium queat relaxari, aut moderari (2).

(1) Causas delictorum et incorrigibilitatis in monacho enumerat Glossa in Clem. 1, de stat. monach. verb. *Curias,* ubi ait: *Duodecim sunt abusiones claustri, quibus tota religiosa massa corrumpitur: prælatus negligens, discipulus inobediens, juvenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, monachus causidicus, habitus prætiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreverentia circa altare.* — (2) Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. 11, n. 16 et seqq.; et bul. *Inter gravissimos* Clem. XIII, § 4. — Hinc nuperrime Pius IX sancivit, eos Religiosos suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum incurrere, qui a Religione ejecti extra Religionem vivunt; quæ suspensio ipsi Pontifici est reservata Bul. *Apostolicæ Sedis.*

223. Transitus Monachi ad Religionem strictiorem, vel

actiorem, de jure communi omnibus conceditur, petita, et etiam non obtenta Superiorum licentia, exceptis ipsis Superioribus, pro quibus S. Sedis licentia requiritur (1). Ratio est, quia nemo impediendus est a majori perfectione quærenda, quæ in arctiori Religione inveniri præsumitur. Sed jure novissimo non amplius licet transitus, nisi ex S. Sedis licentia ad Ordinem, in quo claustralis disciplina vigeat, ita ut Monachus ab uno dimissus ordine statim recipiatur ab alio (2). Quare si transitus aliter fiat, non videtur posse transeunti prodesse, etiamsi in secunda Religione post novitiatum professionem emiserit: nam necesse erit, ut ab eadem exeat, et ad primam intra tres menses revertatur (3).

(1) Cap. 18 de regul. — (2) Bul. *Licet Sacra* Bened. XIII. — (3) Bul. *Pastor bonus* Bened. XIV.

224. Indultum denique sæcularizzationis, ex juxta causa, ut ad adjuvandos parentes, vel ad propriam curandam salutem, solet quandoque concedere Summus Pontifex, qui dispensando regulariter exigit, ut quantum fieri potest, tria emissa vota serventur, et ut aliquod religiosi habitus vestigium in sæculo jugiter deferatur. Nec pro contraria conclusione sufficiunt canones, in quibus statuitur monachum semper esse monachum, ita ut ea desuper re neque Summus Pontifex queat dispensare (1): nam vota solemnia sunt ex sola constitutione Ecclesiæ (2); at, quæ ab Ecclesia fuerunt instituta possunt ab eadem revocari, quia ejus est solvere, cujus est ligare: insuper Summi Pontifices identidem hac dispensandi facultate utuntur. Quare contrarii canones ita sunt interpretandi, ne deceat Summum Pontificem ordinarie dispensare sine causa (3).

(1) Cap. 6, de Stat. monac. — (2) Cap. unic. de vot. in 6. — (3) Post hæc adhuc sequentia observanda ducimus: 1° Ordinum Regularium approbatio, et conventuum, ac monasteriorum erectio spectat ad S. Sedem, quod omnium Episcoporum praxis etiam confirmat, quando de monasteriis agitur votorum solemnium. Cap. unic. de excessib. prælat. in 6; et Bul. *Instaurandæ* Innocentii X. 2.° Vota emissa in ordine, et conventu, vel monasterio a S. Sede non ap-

probato, vel erecto, possunt esse tantum simplicia, et non solemnia, quod pluries declaravit S. Congregatio, et præsertim illa Episcoporum et Regularium die 16 decemb. 1836. 3° Conventus, et monasteria etiam a civilibus legibus destructa nequeunt in pristinum in veros conventus, ac monasteria votorum solemnium remitti, nisi S. Sedis auctoritas accedat: plurimæ enim ad hoc stabiliendum et confirmandum editæ fuerunt Pontificiæ dispositiones, quæ referuntur ab Auctore Analect. Juris Pontificii ad an. 1857. 4° Vota emissa a viris choro addictis in Ordinibus approbatis ante eorum suppressionem, etiam post suppressionem servanda sunt tamquam solemnia, quia leges civiles eorumdem vim ne vel minimum quidem mutare possunt. Diximus a viris choro addictis, quia conversorum vota quandoque habentur tamquam simplicia ab ipsa S. Congregatione Episcoporum et Regularium, ut ab ea declaratum fuit de conversis Benedictinorum, et Trappensium, teste Auctore Inst. can. edit. Parisiis an. 1853, tom. 1, pag. 469. 5° Vota emissa a Monialibus ante earum suppressionem in Ordine a S. Sede approbato sunt solemnia, et etiam post suppressionem propriam vim servant, et ita fuit a S. Congregatione definitum, ut refert Auctor Prælect. Jur. Can. edit. Parisiis an. 1859, tom. 2, pag. 222. 6° Vota vero Monialium Galliæ et Belgii post suppressionem emissa, habenda sunt ut simplicia; hoc constat ex declaratione S. Pœnitentiariæ de mandato Pii VIII diei 19 mart. 1829; et ex responso ejusdem Pœnitentiariæ ad Episcopum Cenomanensem an. 1836, in quo ita legitur: *Ex pluries decisis vota monialium in Gallia uti simplicia a S. Sede æstimari*, quia illa monasteria *non tamquam Ordines, et proprie religiosi, sed ut piissimarum familiæ feminarum æstimantur.*

TITULUS XXII.

DE MONIALIBUS.

Summarium: 225. Monialis quæ dicatur? — 226. Monialium institutio. — 227. Earumdem divisio. — 228. Receptio in monasterium. — 229. Libertas in suscipiendo habitu, et profitendo. — 230. Dos pro puella monachanda licite constituitur. — 231. Moniales stricta clausuræ lege in egressu, et ingressu, tenentur. — 232. Casus excepti, in quibus e monasterio egredi possunt. — 233. Casus excepti, in quibus exteri ingredi possunt monasterium. — 234. In hoc utroque casu licentia Superioris regulariter requiritur. — 235. Cautelæ adhibendæ pro puellis educandis. — 236. Prohibitio colloquendi cum monialibus. — 237. Visitatio monialium. — 238. Electio, et officium Abbatissæ. — 239. An monialis queat ex monasterio ejici, vel ad aliud transire?

225. Monialis est femina, quæ, emissis ad instar monachorum votis paupertatis, obedientiæ et castitatis, sub clausura in approbata Religione vivit, ut se perficiat,

Deoque perfectius, quo fieri potest, deserviat. Monialis pro Sanctimoniali per syncopem forte appellata fuit; Sanctimonialis vero, teste S. Augustino, a vitæ sanctimonia, quam debet in statu Regularium sequi, ex quo fit ut etiam Monacha dicatur.

226. Origo Monialium cum origine Monachorum est complicita (1): nam sicut a primis sæculis vitæ pœnitentia, et sanctitate floruerunt Ascetæ, sic vitæ puritate, et innocentia floruerunt quædam Virgines et Viduæ, quæ perpetuam virginitatem, et continentiam publice profitentes, et habitu speciali distinctæ, sanctis operibus vacabant, Deoque solemniter ab Episcopis dicabantur, quæque propterea a primis Ecclesiæ Patribus Sacræ, vel Ecclesiasticæ Virgines et Viduæ fuerunt nuncupatæ. Sed sæculo Ecclesiæ quarto, dum harum aliquæ privatim in paternis ædibus impensis propriis, vel Ecclesiæ subsidiis vivebant, aliæ vitam communem sub seniorum cura agere cœperunt, a quibus ortum est monasticum feminarum institutum, quod postea perfecerunt Institutores Regularium, Sancti nempe, Basilius, Augustinus, Benedictus, et Franciscus, qui regulas pro utroque Regularium sexu ediderunt, et satagerunt, ut simul cum monachorum conventibus Monialium monasteria fundarentur (2).

(1) Quadam monialium figura in lege veteri distinguebantur sacræ illæ Virgines, quæ in templi Hierosolymitani conclavibus assidue Deum tota mente et animo colebant, quæque maxime calamitatum tempore pro liberatione Deum deprecabantur, quam specialiter contra Heliodorum templum depopulantem insigni prodigio obtinuerunt. II Machab. 3. Has Virgines maximopere glorificavit Sancta et Immaculata Virgo Maria, Virginum Regina. — (2) Selvagius in antiq. l. 1, p. 2, c. 14.

227. Practica Monialium divisio est in *choristas* et *conversas*. Illæ choro addicuntur, et ad divinum officium recitandum ex consuetudine, vel ex propriis constitutionibus tenentur (1). Hæ vero temporalibus Religionis ministeriis deputantur, et loco divini officii determinatas recitant preces. Ita tamen possunt conversæ choristis adjungi, ut tertiam partem omnium monialium non excedant. De cætero quæ in præcedenti titulo de monachis exposui-

mus, ad Moniales quoque regulariter extenduntur. Sed quædam sunt specialiter in jure pro his constituta, quæ silentio præteriri non debent. Nos hic idcirco breviter referemus aliqua, quæ præcipue ad receptionem, libertatem, dotem, vota, clausuram, visitationem et regimen Monialium referuntur.

(1) S. Congregatio interrogata, an Moniales in genere teneantur sub gravi ad recitandum officium proprii Ordinis, respondit: *Affirmative quoad moniales vota solemnia professas, juxta regulam ab Apostolica Sede approbatam, in qua hujusmodi onus imponitur; ubi vero vota simplicia sunt, non teneri. Si autem tale onus in regulis non imponatur, Episcopus consulat probatos Auctores quoad obligationem, quæ ex consuetudine oriri potest.* Corresp. de Rom. ad an. 1852, pag. 18.

228. Receptio Monialium fieri debet ab earum Capitulo, prævio tamen consensu Ordinarii (1), vel Prælati, si sint exemptæ. Ad hoc requiruntur conditiones a sacris canonibus præscriptæ, quæ sicut in viris (2) consistunt in vocatione ad religionem, in aptitudine ad Ordinem regularem, et in speciali dispositione ad Ordinis constitutiones observandas (3).

(1) Nequeunt in monasterio admitti moniales ultra numerum taxatum juxta cujusque redditus, sive proventus, ut Sorores absque penuria sustentari possint. Cap. unic. de stat. regul. in 6; Trid. sess. 25, c. 3, de regul.; et Bul. Pii V, *Circa pastoralis,* nisi forte puella, ultra numerum recipienda, obtineat Apostolicum indultum et duplicem afferat monasterio dotem. — (2) A statu monialium non excluduntur feminæ quæ sint ære alieno gravatæ, aut obnoxiæ rationibus reddendis: nam prohibitio in hoc facta a Pio V pro viris, moniales non comprehendit. Similiter non excluditur femina, straba, clauda, gibbosa, etc., quia decor filiæ Regis ab intus; nec excluditur ex concilio Tridentino femina, quæ annos duodecim complevit. sess. 25, c. 17 de regul. Monacellus tamen ad recipiendum habitum requirit ætatem quindecim annorum ex quodam decreto sacræ Congregationis. Part. 1, t. 11, for. 7, n. 3; et eamdem ætatem expletam præscribit Synodus diœcesana Genuensis sub Julio Gentili Archiepiscopo celebrata. Part. 3, c. 5. Pro ingressu autem oblatarum, et educandarum sufficit ætas septem annorum. — (3) Duæ tantum sorores possunt in eodem monasterio recipi, quod statutum a S. Congregatione fuit, ne in monasterio factiones orirentur. Nihilominus ex S. Sedis licentia posset recipi tertia et quarta, modo tertia afferat duplum dotis, et quarta triplum; sed duæ tantum sorores possunt habere vocem in capitulo, qua reliquæ privantur. Pelizzarius

d. l. n. 22. Anal. Jur. Pont. ser. 4, pag. 1552, n. 84. Novissimæ regulæ pro monachis constitutæ, de quibus in præcedenti titulo egimus, ex nostra sententia non videntur ad moniales extendi, salvis casibus, in quibus expresse nominantur, quia dictæ regulæ ad viros monachos referuntur. Unde monialium receptio, novitiatus et professio videntur adhuc sub dispositione juris communis remanere, donec aliter S. Sedes decernat.

229. Ut liber omnino sit puellæ ad monasticum habitum et professionem accessus, excommunicatio indicta est in eum, qui aliquam virginem, vel feminam ad ingrediendum monasterium quomodocumque injuste coegerit, et in eum, qui, volentem ingredi, sine justa causa impedierit (1). Et insuper ad eamdem libertatem magis experiendam decreta fuit a Tridentino exploratio voluntatis puellæ, quam fieri per Episcopum mandat ante habitus susceptionem, sive ante professionem, ut detegatur, an sit coacta, vel seducta, vel sciat quid agat (2). In plerisque diœcesibus introductum est, ut semel tantum puellæ voluntas exploretur ante professionem, vel ante probationem, cui consuetudini adhæret Pelizzarius (3), qui formam ejusdem explorationis exhibet juxta aliquos in scriptis redigendam, et in cancellaria episcopali cum aliis documentis asservandam (4).

(1) Ita constat ex Trid. sess. 25, c. 18, de regul. quod intelligibili lingua in capitulo Monialium legendum tradit Monacellus, antequam novitia a monialibus probetur. Prædicta autem excommunicationis pœna afficit omnes, qui auxilium, consilium, favorem præbent, aut præsentiam, vel auctoritatem in approbationis aut coactionis actu interponunt. — (2) Sess. 25, c. 17, de regul. — (3) De monial. c. 2, n. 4. — (4) Citatus auctor voluntatis explorationem ita describit « ut puella interrogetur de nomine, patria, parentibus, ætate, num sciat legere, scribere, canere, etc., quot, et qui sint fidei articuli, quæ præcepta Decalogi, et Ecclesiæ: quid intendat per susceptionem status religiosi: an sponte, et Dei spiritu, vel ex parentum, monialium, aut alterius cujusvis personæ consilio, ac suasione: a quo tempore senserit se vocatam ad Religionem: an a pueritia animum ad pietatem ac religionem habuerit propensum: num corpore ac mente sana sit, vel occultum aliquem defectum habeat, et quem, et a quo tempore: an sciat, et bene intelligat tria vota religionis, sitque parata abdicare a se dominium rerum omnium temporalium per votum paupertatis, vivereque in communi, si vita communis inducatur; abstinere ab omni delectatione carnis voto castitatis repugnante; suamque volunta-

» tem omnino subjicere voluntati suorum Superiorum per votum o-
» bedientiæ: an sit parata crucem Domini ferre, abnegare semet-
» ipsam, et sequi Christum juxta ipsius Christi consilium. » Ordinarius post has interrogationes, et alias similes, prout Spiritus Sanctus ei dictaverit juxta conditionem puellæ, si omnia de jure habenda habeantur, concedit Abbatissæ peractæ explorationis testimonium, et licentiam proponendi Capitulo suo puellam pro habitu, seu professione assequenda.

230. Dos moderata regulariter est constituenda novitiæ (1), licet monasterium, in quo profitetur, reditus actualiter habeat sufficientes ad providendum omnibus monialibus sibi assignatis (2). Neque simoniaca jure divino hæc est dotis constitutio, ut male jactat Van-Espenius; nam non datur ut pretium professionis, sed ad titulum sustentationis. Neque simoniaca jure ecclesiastico amplius est; nam simonia hæc per novas S. Congregationis decisiones fuit ea de causa sublata, quia experientia constat, incertas in futurum esse valde monasteriorum opes, in quibus, si non adest indigentia præsens, est semper timenda futura, cum Moniales vitæ tantum contemplativæ intra clausuram vacantes humanis subsidiis, ut plurimum, careant (3). Ulterius præter dotem non prohibetur novitia a parentibus annuam præstationem, *livello* vulgo nuncupatam, pro extraordinariis suis indigentiis, et pro honestis usibus accipere; sed hujusmodi perenne charitativum subsidium per monasterii Abbatissam recipiendum, et administrandum est in Monialis utilitatem, si indigeat, secus in utilitatem Sororum ejus (4), ita ut nequeat professa ex sibi ab Abbatissa traditis, et parcimonia reservatis, propinquis, aut amicis munera largiri, nisi de ipsius Abbatissæ consensu, et observata religiosa modestia (5). Quamquam vero dos, et annua præstatio livelli jure novissimo permittatur; tamen, ut olim, ita nunc reprobatur exactio pecuniarum pro prandiis, sive cœnis, pro musicis concentibus, sive profanis apparatibus, qui in virginibus Crucifixo desponsatis male sonant, et male nitent (6).

(1) Dos transit in dominium monasterii, ad quod absolute spectat post mortem monialis professæ, nec amplius ad ejus parentes

revertitur. Si vero puella professionem nondum emiserit, vel emiserit quidem in necessitate ob mortis periculum, et moriatur, novitiatu non completo, dos revertitur ad parentes, vel ad eos, quibus de jure: nam non efficitur vera monialis, nisi post completum novitiatum, et professionem emissam. Unde si supravivat, post novitiatum debet novam professionem emittere. Durante enim novitiatu, professio permittitur in periculo mortis ad lucrandas indulgentias, et ad animam profitentis Deo conjungendam, non ad alios effectus. Monacellus p. Iª. t. 11, for. 7, n. 13. Circa hanc rem adest indultum S. Pii V 23 aug. 1570, concessum monialibus S. Dominici, quod per communicationem privilegiorum ad alios ordines monacales extensum fuit, quodque his concipitur verbis: « Eisdem monialibus » novitiis nunc et pro tempore existentibus, et earum singulis, ut, » quando et quoties aliqua ex eis nondum professa de alicujus me- » dici consilio de hoc sæculo transitura conspicitur, ipsa pro con- » solatione animæ suæ, professionem prædictam ante tempus re- » quisitum, quatenus tamen in ætate legitima constituta sit, ad il- » lam emittendam in manibus Abbatissæ seu Priorissæ, vel alterius » Superioris novitiarum ipsius monasterii, seu domus, ita tamen, » quod ipsæ moniales novitiæ sic decedentes indulgentias, et alias » gratias, quas moniales vere professæ decedentes consequuntur, » consequi possint, emittere in articulo mortis libere et licite va- » leant, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetua, conce- » dimus, et indulgemus; nec non eisdem Monialibus novitiis ita tunc » professis decedentibus plenariam peccatorum suorum indulgentiam, » et remissionem in forma jubilæi misericorditer in Domino eisdem » auctoritate, et tenore elargimur. Hac gratia juvari etiam potest » novitia, quæ cum debita licentia domi parentum suorum decum- » bit, modo profiteatur in manibus virginis insignis ad hoc depu- » tatæ a monasterii Abbatissa. » Monacellus p. Iª, t. 11, form. 7, n. 13. — (2) Clemens XIII vetuit Monialibus ne possent ad habitum puellam recipere antequam dotem ad hunc effectum in loco tuto deposuerit: nam experientia constat, puellas ita admissas, tempore novitiatus sæpe cogitare potius de comparanda dote, quam de religioso statu assumendo, et Abbatissam contra facientem pœna suspensionis Papæ reservata, quæ nunc cessat, mulctavit, monasteriumque pœna recipiendi gratis et sine dote puellam novitiam. Bul. Rom. nov. tom I, pag. 93. — (3) Benedictus XIV de Synod. l. 11, c. 6. — (4) Id. ib. l. 13, c. 12, n. 20. — (5) Bul. *Nuper a Congregatione* Urbani VIII. Idem tamen Pontifex definivit, hanc prohibitionem in religiosis utriusque sexus non habere locum, cum agitur *de causis gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ, ejusque conservationis erga religionem, vel conventum, aliisque causis ex sui natura actum virtutis, et meriti continentibus,* modo observetur religiosa modestia, et adsit Superioris licentia. — (6) Extrav. *Sane* de sim. int. com.

231. Vota Monialium ex jure communi solemnia sunt, ut illa Religiosorum, et eosdem pariunt effectus. Ad hoc

tamen duo specialiter requiruntur, nimirum monasterii erectio (1), vel ejus post suppressionem restauratio (2) Apostolica auctoritate facta, et impositio (3), ac conservatio clausuræ Papalis (4). Clausura Monialibus tum a jure communi, tum quandoque a specialibus earumdem votis imponitur, et affert sub gravissimis pœnis prohibitionem, ne ipsæ Moniales egredi, exterique ingredi queant monasterii septa, sive totum illud spatium quod intra januam monasterii clausam, et circumdantes parietes continetur; ex quibus apparet, eam duplicem habere respectum, egressus nimirum et ingressus (5). Clausura Monialium prohibet iisdem Monialibus egressum sub excommunicationis Papalis, et privationis officiorum pœna, quam contrahunt etiam qui Moniales egressas recipiunt (6), et prohibet ingressum omnibus cujuscumque ætatis maribus et feminis sub excommunicatione ipso facto incurrenda (7).

(1) Erectio requirit auctoritatem Apostolicam etiam in conventibus virorum; neque in contrarium facit decretum Tridentini in sess. 25, c. 3, de regul. ubi decernitur, ne conventus Regularium de cœtero erigantur *sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta:* nam Tridentinum non immutavit jus antiquum, quod dictam auctoritatem requirebat; sed præscripsit tantum, ut in dictis erectionibus præter auctoritatem Apostolicam deberet quoque intervenire licentia Episcopi, Bened. XIV de Syn. l. 9, c. 1. Quo posito, facile intelligitur quanto potiore jure Apostolica auctoritas in monasteriorum Monialium erectione intervenire debeat, cum prius constare debeat de necessariis reditibus, sive proventibus pro vitæ, monasterii, et instituti conservatione; qui reditus et proventus pro 12 monialibus sustentandis non possunt esse minores 300 scutatorum reditus annui, ut tradit Gavantus in manud. verb. *Monialium monasteria;* cumque similiter constare prius debeat de loci, in quo erigitur monasterium, securitate, et opportunitate. Locus enim debet esse intra urbem, vel oppidum, in quo est populorum frequentia: et si forte extra oppidorum mœnia constructa antiquitus fuerint monasteria, ad civitates et oppida sunt revocanda, ne *malorum hominum prædæ et aliis facinoribus* moniales sint expositæ. Trid. sess. 25, c. 5, de regul. Locus insuper debet esse muro cinctus, alias non posset subsistere clausura; et habere sacerdotum copiam pro divinis celebrandis officiis, et confessionibus audiendis. Barbosa Jur. eccl. univ. l. 2, c. 12, n. 15. S. Cong. Episc. et Regul. 13 Septemb. 1583. — (2) Restauratio post suppressionem fieri nequit, nisi S. Sedis auctoritate. Porro suppressio potest esse duplex, juris nimirum, et

facti. Prima habet locum cum Papa monasterio canonicam existentiam tollit; secunda vero cum externa potestas per vim ita monasterio civilem existentiam tollit, ut religiosa societas dissolvatur. In suppressione juris nemo dubitare potest, opus esse nova Pontificis erectione, ut monasterium iterum canonice existere queat; in suppressione vero facti idem dicendum erit, si societas religiosa vere dissoluta fuerit, id est si Religiosæ fuerint e monasterio expulsæ, eorumque bona occupata, quia de facto in hisce circumstantiis monasterium perseverare nequit: ideoque tamquam de facto suppressum nova indigebit Summi Pontificis institutione, vel in pristinum restitutione, ut late, rationibus, factis et S. Congregationis decisionibus demonstrat Auctor. Anal. Jur. Pont. ad an. 1857, mens. Septemb. et Octob. pag. 167 et seqq. — (3) Veram monasterio clausuram imponit Summus Pontifex regulariter per ministerium Episcopi postquam de impletis omnibus conditionibus necessariis certo illi constet. Cum Papa clausuram indicit, hoc ipso significat, in clauso monasterio vota solemnia emitti, nisi contrarium explicet, ut contigit in decisione S. Congregationis Episc. et Regul. 6. Decemb. 1839, a Gregorio XVI confirmata, in qua clausura papalis imponitur cuidam regni Neapolitani monasterio Monialium vota simplicia profitentium. Sed Episcopi quoque possunt clausuram virginibus in conventu degentibus imponere, uti communiter egerunt Episcopi Galliæ in restauratione Religionum post annum 1814, et etiam pœnis ad eam servandam adigere; sed hæc clausura, quæ appellari solet episcopalis, veræ clausuræ effectus non habet. Episcopus tamen potest clausuræ a se impositæ adjungere censuram excommunicationis contra eam violantes, si ita expedire judicaverit, quam potest sibi reservare, vel non, S. Cong. in *Remen.* 20 Aug. 1846, penes Anal. Jur. Pont. ad an. 1857, pag. 228. — (4) Hæc conservatio clausuræ omnino necessaria est; nam S. Pius V nullas reddit omnes solemnes monialium professiones, quæ in monasterio fiunt clausuræ non subjecto. Bul. *Circa Pastoralis.* — (5) Verum quidem est etiam monachos clausuræ legi obligari; sed hæc clausura levissime fertur: nam clausura monachorum quoad egressum in eo consistit, quod monachus, sine Superioris licentia, et socio, de monasterio exire non possit. Bul. *Nullus* Clementis VIII. Quoad ingressum vero in eo consistit, quod mulieres septa monasterii sub excommunicationis Papæ reservatæ pœna regulariter ingredi nequeant. S. De Ligorio l. 7, n. 230 et seqq. — (6) Cap. unic. de stat. regul. in 6; et Bul. *Decori* S. Pii V. Sed nunc dubium esse potest. — (7) Bul. *Apostolicæ Sedis* Pii IX. Hæc prohibitio omnes comprehendit Ecclesiasticos, et sæculares, et omnia privilegia fuerunt abrogata per Benedictum XIV, Bul. *Salutar-*, et Bul. *Regularis disciplinæ:* excipiuntur tamen feminæ nobiles de familia eorum, qui fuerunt monasterii fundatores, aut insignes benefactores, quæ idcirco tale privilegium obtinuerunt a S. Sede, et fuit ab Ordinario recognitum. Hæ feminæ ingredi monasterium possunt, monitis prius de hoc Superioribus, sed tantum causa pietatis: et ingressæ nequeunt per monasterium vagari, per cubicula spatiari, aut ibi comedere, vel cænare. Reges vero et Reginæ nequeunt ex veriori

sententia monasteria ingredi, nisi habeant a S. Sede indultum post Benedictum XIV obtentum, et ab Ordinario recognitum. At quidam putant Regibus, et Reginis hoc jus competere, quia privilegia ingrediendi monasteria fuerunt ablata Comitissis, Marchionissis, et Ducissis, non vero eminentioribus personis, et Regibus. Reiffenstuel de stat. monach. n. 42. Barbosa ad cap. 5, sess. 25. Trid. de regul. n. 47. Sed hæc sententia non videtur satis tuta.

232. Nihilominus prædicta regula prohibens Monialibus de monasterio egressum limitatur in casu urgentis necessitatis, uti foret incendium, incursus hostium, fluminis inundatio, vel alia similis causa, et ut foret etiam morbus gravis lepræ, epidemiæ, aut pestis, quo aliqua Monialis laboraret cum magno periculo infectionis aliarum, nisi extra monasterium curetur. Sed sola gravis alterius infirmitatis ratio, aut alia quæcumque causa ad licitum reddendum egressum non sufficit (1).

(1) Bul. *Decori* S. Pii V, et Benedictus XIV, de Synod. l. 13, c. 12, n. 16, et seqq.

233. Similiter alia prædicta regula prohibens exteris in monasterium ingressum limitatur in casu alicujus necessitatis, aut utilitatis ipsius Monasterii, aut Religionis (1). Hinc possunt ingredi medici et chirurgi ad curandam Monialem infirmam, Confessarii ad administranda Sacramenta, opifices ad restaurandum monasterium, et ad colendum viridarium, notarius cum testibus ad conficiendum testamentum novitiæ infirmæ et aliis in casibus similibus, sed præcipue ad visitandum monasterium Episcopi, et Superiores Regulares, si Moniales sint exemptæ, modo visitatio peragatur cum comitatu paucarum, seniorum, et religiosarum personarum (2).

(1) Non sufficit causa docendi artem, nisi ars esset monasterio necessaria, S. De Ligorio l. 7, n. 225; nec causa peragendi funus monialis defunctæ, etiamsi adesset consuetudo. Monacellus p. 1, t. 9, for. 9, n, 8; nec causa benedicendi cellas, aut exorcisandi monialem. Id. p. 3, t. 1, for. 47, n. 2; nec causa consecrandi virginem. Benedictus XIV, Inst. 85; nec causa induendi, aut aptandi puellas Christo desponsandas, efformandi imaginem, vulgo *ritratto*, monialis, aut puellæ in monasterio existentis. Synod. diœc. Genuen. Arch. Gentilis p. 3, c. 5; nec demum causa reponendi in loco tuto conjuga-

tam a viro divertentem. S. De Ligorio l. 7, n. 225. — (2) Bul. *Dubiis* Gregorii XIII. Personæ in clausuram introducendæ causa visitationis non possunt excedere numerum octo, Clem. *Attendentes* de stat. monach.; quarum nulla sit sæcularis, nisi id requirat necessitas monasterii. Cap. *Ut juxta* de off. ord. Melius tamen faciet visitator, qui minorem numerum personarum in clausuram introducet. Monacellus p. 3, t. 1, f. 41, n. 16. Immo si visitet Regularis Superior Generalis habere secum poterit duos sui Ordinis socios, et si visitet alius suus delegatus tantum unum fratrem socium habere poterit. S. De Ligorio l. 7, n. 221. Si vero Episcopus ingrediatur monasterium ex alia causa, quam visitationis, puta ad dandam benedictionem alicui moniali in articulo mortis, vel ad audiendam ejus confessionem, debet secum ducere Confessarium ordinarium monasterii, et alium probum Sacerdotem. S. Cong. in *Mazarien.* 10 maii 1727, cit. a Richter pag. 408.

234. Egressus tamen, vel ingressus, ut in supra numeratis casibus, non est licitus absolute per se; sed adhuc Episcopi licentiam requirit (1), immo Episcopi, et Superioris regularis, si agatur de monialibus exemptis, et generaliter Regularibus subjectis: quia Episcopus etiam tamquam delegatus Apostolicus debet omnium monasteriorum clausuram sartam tectamque servare, exceptis illis monasteriis, quorum cura a S. Sede alicui determinatæ personæ fuit demandata: nam hoc in casu persona specialiter delegata vices Pontificis gerit (2). De cœtero prædicta licentia requiritur, nisi periculum sit in mora, et regulariter expressa esse debet, specialis pro personis, determinata pro vicibus, sive tempore (3), et in scriptis concessa (4).

(1) Præter licentiam requiritur adhuc, ut debitæ observentur cautelæ, videlicet: ut ingrediens excipiatur a duabus monialibus, cæteris in choro, vel in propriis cellis remotis, salva solemnitate annuæ visitationis; ut recta via accedat ad locum debitum, et similiter ab eo recedat, quin ad alia visenda divertat, etiam causa devotionis, aut charitatis; ut in monasterio non moretur ultra tempus ad suum negotium perficiendum, neque in eo cibum, aut potum capiat, aut quod pejus est dormitet; ut Confessarius regularis in monasteriis sui Ordinis ingrediatur comitatus a socio spectatæ vitæ, dum Confessarius sæcularis solus ingreditur; ut socius Confessarii regularis maneat in ea monasterii parte, in qua Confessorem videre, et ab ipso videri semper possit, dum in Confessario sæculari sufficit, si cellam pœnitentis apertam teneat, ita ut duæ comitatrices possint ipsum et pœnitentem semper videre, non autem audire; ut ingres-

sus, nisi ex causa necessitatis, fieri numquam possit in nocte, et qui de die ingressus est, ante noctem a duabus Monialibus reducatur ad januam, etc. Monialis vero ex monasterio egressa excipienda est a Confessario, et probis sororibus, vel consanguineis, vel honestis matronis caute ad locum destinatum deducenda, ibique custodienda usque ad reditum in monasterium. — (2) Bul. *Salutare* Benedicti XIV. — (3) Licentia ingrediendi non debet esse indefinita et perpetua, sed limitata et temporaria, id est ad tres, vel sex menses, vel etiam ad annum, sicut fert diœcesis consuetudo. In Genuensi diœcesi similes licentiæ singulis annis renovantur, Pellizzarius cap. 5, n. 16. — (4) Cap. 1, de Stat. regul. in 6; et Trid. sess. 25, c. 5, de regul. Quoad Monialium Confessarium hæc breviter observamus. Quodlibet monasterium debet suum habere Confessarium ordinarium; sed præter ordinarium, bis, aut ter in anno offerendus est monialibus Confessarius extraordinarius. Trid. sess. 25, c. 10, de regul. Bened. XIV, de Synod. l. 13, c. 12, n. 17. Cum in concedendis Confessariis abusus graves orti essent, præsertim inter Moniales Montis Carmeli, Pius VI pro his monialibus constituit, ut in magnis civitatibus sex constituerentur Confessarii extraordinarii, quorum tres essent regulares, et tres ex clero sæculari; in minoribus vero civitatibus, quatuor, quorum duo essent regulares, et duo sæculares, quibus Confessariis quælibet Monialis posset confiteri, quoties libuerit, data facultate Superioribus reclamandi, si dicti Confessarii non fuissent constituti, et salva cautela, qua Confessor regularis in casu necessitatis deberet cum socio monasterium ingredi ad confessionem audiendam. Bul. *Inter cætera.*

235. Quæri hic potest, an puellæ causa educationis ingredi Monialium monasteria, ibique manere licite queant? Respondemus cum distinctione. Aut agitur de monasteriis, in quibus non solent recipi educandæ; et hoc casu absque licentia S. Congregationis Episcoporum et Regularium nequeunt ingredi et admitti (1): et si hæc obtineatur licentia, adhuc examen est præmittendum super moribus, fama, habilitate et necessitate educandæ (2). Aut de his monasteriis agitur, in quibus ex consuetudine educandæ recipiuntur, et possunt hoc casu ingredi ex Ordinariorum licentia, inque monasteriis a septennio usque ad vigesimum quintum ætatis annum manere, modo ingressæ servent clausuræ leges, et in loco habitent a Monialium dormitorio separato (3).

(1) Bul. *Per binas* Benedicti XIV. — (2) Ut statuit idem Pontifex. — (3) Potestas, de monial. n. 1507.

236. Ad Moniales omni meliori modo tutandas, præter arctissimam clausuræ legem, alia edita est lex, qua exteri sub severis pœnis prohibentur, ne possint absque Episcopi licentia ad monasteria accedere ad colloquendum cum Monialibus. Nam laicis sine justa, et rationabili causa monasteria Monialium frequentantibus excommunicatio, et clericis suspensio minitatur (1). Regularibus vero alloquentibus Moniales vel alias mulieres in clausura degentes, privatio ipso facto vocis activæ et passivæ infligitur (2).

(1) Cap. 8 de vit. et honest. cleric. — (2) Sic statuitur in decreto S. Congregationis Episc. et Regul. edito jussu Sixti V, quod integrum refertur a Bonacina in Theol. moral. de clausura q. 3, p. 4, n. 3. Hujusmodi deinde prohibitiones et pœnæ pluries per Summos Pontifices fuerunt confirmatæ, et explicatæ, et specialiter in bul. *Gravissimo* Benedicti XIV, et in pluribus declarationibus S. Congregationis Conc. Trid. quas affert Monacellus in t. 11, f. 19 et 20, in prim. append. in qua per extensum transcriptæ leguntur. Præterea in pluribus diœcesibus, et præsertim in Neapolitana, hic casus est Episcopo sub excommunicationis pœna reservatus. S. De Ligorio l. 7, n. 232. Novissime demum Clemens XIII, sub eadem pœna sibi reservata prohibuit Fratribus Franciscanis, ne Moniales alloquerentur duorum monasteriorum ejusdem ordinis in civitate Brixiæ existentium. Bul. Rom. nov. t. 1, pag. 210.

237. Visitatio Monialium fit cum assistentia quatuor sororum, dum reliquæ in choro consistunt; sed visitatio spiritualis peragitur ad crates (1). In visitatione monasterii inquiritur: 1° de observatione clausuræ (2), votorum, vitæ communis, et constitutionum, ac regularum Ordinis; 2° de statu monasterii tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia; 3° de ejus gubernio circa officiales internas, et ministros externos. In visitatione personali audiuntur singulæ Moniales, quæ deferunt quidquid ad bonum proprium, vel Sororum censent expedire, et simul ad perfectionem hortantur, et, si in aliquo deficiunt, corriguntur (3).

(1) Bul. *Felici* Alexandri VII. — (2) In clausura comprehenduntur præsertim sequentia, nimirum, inspectio mœnium, quæ monasterium circumdant, quæque integra, absque januis ex parte externa, et satis alta esse debent, ut prohibeant nedum accessus, sed et prospectus. Pellizzarius cap. 5, n. 12; inquisitio, an observetur prohibitio egressus, accessus, et collocutorii; deputatio custodis clavis mo-

nasterii; reparatio fabricæ; et remotio prospectus. Monacellus p. 1, t. 1, f. 3, n. 9. — (3) Pellizzarius cap. 10, n. 71. Circa formam vero visitationis videndi sunt auctores, qui de visitatione Monialium pertractant, ut Gavantus, Crispinus, Genuensis, *etc.*

238. Regimen Monialium commissum est Abbatissæ, sive Priorissæ sub cura tamen et vigilantia Episcopi, nec non Superioris Regularis, ubi monasterium sit exemptum (1). Abbatissa ex jure communi per majorem et saniorem suffragiorum partem a Monialibus est eligenda, et ab Ordinario confirmanda (2). Quod si Moniales in electione non conveniant, statuit Ordinarius terminum, intra quem debeant concordare; aliter ipse pro ea vice eligit. Si vero ita conveniant, ut pro duabus vota sint paria, prima vice repetendum est scrutinium; et si secunda vice adhuc sint paria, Ordinarius in professione eligit antiquiorem. Sed in Italia electio fit tantum ad triennium (3), et non potest ad novum triennium absque S. Congregationis licentia electa confirmari, qua licentia probabiliter adhuc est opus pro tertio triennio (4). Denique Abbatissa, legitime electa et confirmata, in sibi subditas Moniales potestatem assequitur domesticam, ut est potestas matris in filias, immo et civilem, ut est potestas œconomica magistratus civilis in cives; sed proprie dicta jurisdictione caret (5).

(1) Jam citatus Clemens XIII, jurisdictionem concessit Episcopo in monasteriis etiam subjectis Regularibus, quatenus, præter regimen clausuræ, posset Regularibus prohibere, ne plusquam semel in anno monasteria visitarent absque ipsius Episcopi præsentia, vel sui delegati; ne puellas ad habitum admitterent absque prævio suo examine; et ne abbatissam eligerent, nisi ipso Episcopo, vel ejus delegato præsente, et præsidente. Bul. Rom. nov. tom. 1 pag. 73. Concessit pariter, ut posset rationes temporalis administrationis revidere. Ibid. Ad hoc tamen Episcopus debet prius id a Superioribus regularibus requirere. S. Cong. Conc. in *Ferrarien.* 24 Aug. 1754, ad dub 5. — (2) Cap. 43, de elect. in 6. In abbatissam absque S. Sedis dispensatione non est eligenda 1° mulier corrupta; unde Maria Magdalena, licet post conversionem sancta, et castissima fuerit, inter Diaconissas minime fuit cooptata. Can. 2, c. 11, q. 7; 2° vidua; quia non recte potest esse hortatrix virginitatis, quam ipsa non servavit. S. Cong. 15 jul. 1616; 3° Monialis censura devicta aut voce in capitulo privata, continuo infirma, et expresse non professa. Mo-

nacellus p. 1, t. 11, f. 22, n. 18; 4° Monialis non habens ætatem 40 annorum cum octo annis professionis laudabiliter actæ, vel saltem 30 annorum cum quinque professionis annis. Trid. sess. 25, c. 7, de regul. Hic observamus, in diœcesi Genuensi moniales non habere vocem in capitulo, nisi post quintum professionis annum. Synodus diœc. Card. Duratii cap. 26, de monial. — (3) Bul. *Exposcit* Gregorii XIII. In diœcesi vero Genuensi abbatissarum officium durat tantum ad biennium. Synod. diœc. Arch. De Marinis de monial. c. 25, et cit. synod. Card. Duratii ibid. Hinc usus invaluit, ut post primum biennium abbatissa possit iterum eligi ad aliud biennium absque S. Sedis dispensatione, quia post primum biennium ex jure habet adhuc annum utilem, quo poterat abbatissæ officio defungi. Jam vero hic annus utilis trahit ad se alium annum, quo ex jure nequibat abbatissa in officio perseverare; et sic in Genuensi diœcesi abbatissa ad quadriennium libere ab Ordinario constituitur. — (4) Ita Monacellus contra Pellizzarium. — (5) Arg. cap. 10, de pœnit. Pellizzarius cit. cap. sect. 3.

239. Postremo observamus, Monialem legitime professam e suo monasterio expelli non posse, neque in aliud monasterium transferri, nisi accedat S. Sedis auctoritas (1). Remedium enim expulsionis ex causa incorrigibilitatis tum propter formam processus, tum propter rationem clausuræ, et sexus conditionem, non videtur posse in Monialibus locum habere. Translatio vero, ob egressum et ingressum, importat violationem clausuræ, cum nullibi in jure appareat concessum, eam causa translationis posse violari, et Monialem ex dicta causa habere jus suum egredi, aliudque ingredi monasterium (2).

(1) S. Congregatio Episc. et Reg. die 17 martii 1603, definivit, Ordinarios non posse transmittere ex uno monasterio ad aliud monialem etiam ex causa seditionis, aut incorrigibilitatis, seu criminis perpetrati. Barbosa Sum. Apost. decis. collect. 512. n. 5. Sæcularizzatio vero in monialibus difficillime a S. Sede conceditur, et quando conceditur, fit ratione incorrigibilitatis, et loco expulsionis est, ut reperimus statutum in decisione S. Congregationis Episc. et Regul. diei 15 januarii 1841, in qua indicantur conditiones a moniali post expulsionem observandæ. Anal. Jur. Pont. ad an. 1857, pag. 100. — (2) Pluries innuimus moniales esse posse subjectas Regularibus: at hic illud notandum, quod si transferantur a Regularium subjectione in plenam ab Ordinariis dependentiam, iisdem privilegiis frui perseverant, quibus ante translationem fruebantur. Decret. Clementis XI *Licet ab hac;* et sub eodem sensu responsum dedit Gregorius XVI, monialibus Carmelitis Leodiensibus die 29 septemb. 1837, quibus ad jurisdictionem Ordinarii translatis concessit, ut *omnibus juribus,*

privilegiis et indulgentiis proprii Ordinis fruerentur. Cum vero manent Superioribus Regularibus subjectæ adhuc indigent consensu, et interventu positivo Ordinarii, eodem modo ac si exemptæ non essent, ad licite contractus stipulandos, et instrumenta conficienda. S. Cong. Conc. in *Fulginaten.* 30 aug. 1803, penes Richter ad sess. 25, c. 3, de ref. n. 10.

TITULUS XXIII.

DE CONSERVATORIIS, ET CONFRATERNITATIBUS.

SUMMARIUM: 240. Conservatoria puellarum olim tolerata, nunc probata. — 241. Eorum divisio. — 242. Possunt habere clausuram. — 243. Admissio, et gubernium in conservatoriis ecclesiasticis. — 244. Regulariter propriis parochis subjecta manent. — 245. Confraternitates quid, et quomodo dividantur? — 246. Ecclesiasticæ in omnibus Episcopo subsunt, sæculares vero in spiritualibus Episcopo, et in temporalibus civili potestati. — 247. A potestate Episcopi numquam possunt esse omnino exemptæ. — 248. Etiam parocho subjiciuntur. — 249. Earum privilegia Ordinarii approbatione indigent.

240. Conservatoria sunt quædam Congregationes puellarum, sive mulierum, quæ, habitu peculiari indutæ, sub aliqua regula, pro earum securitate et perfectione, collegialiter vivunt, nullis emissis votis, vel votis tantum simplicibus emissis, sed regulariter sine clausuræ lege (1). Hujusmodi Conservatoria quamdam monasteriorum imitationem continent; sed neque expresse, neque tacite a S. Sede olim probabantur, eo quod adversarentur Bullæ S. Pii V (2), quæ præcipit, ut omnes Moniales, et Tertiariæ in communi viventes vota emittant, et clausuram servent; sed nihilominus ab eadem S. Sede tolerabantur. Propterea ubi contingeret, S. Congregationem debere super casu, vel dubio Conservatorii alicujus providere, semper in ipsa provisione apponebat clausulam, *Citra approbationem Conservatorii.* Ex quo illud sequebatur, quod omnia Conservatoria permissive, ut loquuntur Doctores, sub cura, et in arbitrium Episcoporum relinquerentur, ita ut possent ea erigere, vel supprimere, prout melius in Domino judicaverint, quod de Monialium monasteriis dici non

potest, quorum erectio et suppressio est Summo Pontifici reservata (3).

Hodie vero ad pietatem, et religionem fovendam opportunum, immo et necessarium S. Sedi visum est, puellarum et mulierum Conservatoria, sive Beateria, ut quidam dicunt, admittere, et expresse probare, in quibus non esset necessario observanda lex clausuræ, nec solemnis regularis professio emittenda. Primum, quod mihi occurrit, hujus rei exemplum a Clemente XI promanat, qui constitutiones Virginum Anglicanarum approbavit. Item Clemens XIII, Institutum, et regulas speciales Piarum Virginum, vulgo appellatæ *Matres,* vel *Magistræ Piæ,* absque papalis clausuræ lege et solemni professione, approbavit, et confirmavit (4).

(1) Huc primum referendæ videntur Tertiariæ ad aliquem regularem Ordinem pertinentes, quæ collegialiter vivebant, et a Superiore Ordinis habitum recipiebant, ut se perficerent, quantum possent, exemplum sectantes Fratrum, et Sororum, qui, quæve veram sequebantur regularem vitam. Sic S. Franciscus, ut scribit S. Antoninus, *ad instar Patriarchæ Noe arcam fabricavit, ac tricameratam fecit, religionem scilicet Fratrum, Monialium, et Tertii Ordinis.* — (2) Bul. *Circa pastoralis* S. Pii V. — (3) Monacellus p. 1, t. 6, f. 19, n. 19. — (4) Bul. *Experientiæ* Clementis XIII, 6 septemb. 1760. Idem exemplum sequutus est Pius VI, qui confirmavit erectionem conservatorii S. Leopoldi civitatis Auximanæ. Bul. *Ad Apostolicæ,* et Conservatorii Puellarum Divinæ Providentiæ civitatis Verulæ. Bul. *Ex injuncto;* ac demum Leo XII, qui omnia Urbis Conservatoria reformavit per motum proprium diei 14 novemb. 1826, quod incipit *I gloriosi nostri.* Plura alia exempla possent afferri, sed sufficit Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium 29 jul. 1842, a Gregorio XVI approbatum, quo institutum, et constitutiones Tertiariarum Montis Carmeli de Benezuela in America laudantur, et iisdem Tertiariis conceduntur omnes gratiæ, favores, et indulgentiæ, quibus ordo Carmelitanus fruitur. Anal. Jur. Pont. ad an. 1857, pag. 2930.

241. Conservatoria videntur posse dividi in *ecclesiastica,* et *laicalia.* Ecclesiastica dicuntur, quæ formaliter erecta sunt auctoritate Episcopi, a quo reguntur, et regulariter administrantur; Laicalia vero appellantur, quæ nullam habent formalem Episcopi institutionem, et religiosum institutum, quæque pro indigentium subsidio, ac honestatis conservatione sunt a laicis fundata, a quibus reguntur, et administrantur (1).

(1) Quamquam Menochius cons. 948, pleno calamo nitatur defendere, hujusmodi Conservatoria ita omnino potestati civili subjici, ut omnis excludatur Episcopi jurisdictio, et auctoritas: tamen necesse est, ut ad evitanda scandala, Religionemque servandam, ab Episcopo saltem in spiritualibus dependeant, et præcise circa regimen spirituale Ecclesiæ, circa administrationem Sacramentorum, aliorumque jurium parochialium, circa visitationem, modo sub immediata Regum protectione non sint; item circa morum correctionem, et regulas meram spiritualitatem concernentes: unde quatenus in his graviter delinquant, poterit Episcopus in ea pœnis animadvertere, et damnare, et supprimere juxta plures S. Congregationis decisiones, quas affert De Luca de jurisd. disc. 45, n. 9. In aliis vero temporalibus, et profanis negotiis, ut circa regimen œconomicum, circa constitutionem Superiosissæ, circa acceptationem, et dimissionem puellarum, et circa causas, regulariter non se ingerit Episcopus. De Luca de Regul. disc. 50, n. 5.

242. Conservatoria regulariter clausuram non habent, ut ex jam dictis clare resultat, et si clausuram habent, regulariter tantum episcopalis est, quia a solo Episcopo auctoritate sua constituta. Nihilominus jure novissimo pluribus in casibus Summus Pontifex puellis, et mulieribus in Conservatoriis degentibus clausuram papalem apposuit, etsi vota solemnia non emittant (1); quod factum est, tum ut in maximis sæculi periculis majus haberent securitatis tegumentum, tum ut a sæculo separatæ melius possent propriæ perfectioni vacare.

(1) Hoc clare demonstratur ex repetitis et constantibus S. Congregationis Episcoporum et Regularium decretis. Eadem siquidem Congregatio Conservatorium Visitationis S. Francisci Salesii civitatis Regii in Calabria communivit clausura papali, *firma remanente professione votorum simplicium*. Die 12 febr. 1839. Idem mandavit observari in Conservatoriis Sanctissimi Redemptoris in Germania, in Conservatoriis S. Alphonsi regni Neapolitani, 6 decemb. 1839, et in aliis pluribus Conservatoriis, quæ propter legem clausuræ etiam monasteria appellata fuerunt. Anal. Jur. Pont. ad an. 1857, pag. 80, 101, 193 et seqq.

243. In Conservatoriis ecclesiasticis admittendæ tantum sunt feminæ, quæ honestis probisque fulgeant moribus, quæ ætatem compleverint quindecim annorum (1), quæque necessaria ad vitam sustentandam habeant. Examen harum conditionum pertinet ad Episcopum, qui dare

etiam debet licentiam induendi habitum (2). Correctio, et visitatio absolute fit ab Ordinario (3): hic tamen non videtur posse Conservatoria supprimere, et puellas ad earum domos remittere (4). Postremo quæ constituta sunt pro monialibus cum debita proportione aptanda sunt feminis in Conservatoriis degentibus (5); et ideo iisdem, ut Monialibus, dari debet Confessarius ad triennium, quo transacto, ab alio substituitur (6).

(1) Clemens IX, in Bul. *Alias propositis*, pro Tertiariis civitatis Venetiarum decem et octo annorum ætatem requirit, et hac ætate minores jubet dimittendas esse. Sed instructio pro Tertiariis data a S. Congregatione de Propaganda fide, et a Clemente XIII approbata, clare insinuare videtur, posse adhuc in minori ætate juxta prudens Episcopi judicium puellas in conservatoriis recipi, si necessitas adsit eas tutandi, et a periculis liberandi, ne medias inter insidias inermes relinquantur. Hinc credimus in Tertiariis ea tuto observari quoad ætatem posse, quæ pro monialibus præscribuntur. Giraldus post cap. *Religionum* de relig. dom. hanc instructionem per extensum refert. — (2) In praxi Ecclesia hoc universaliter probat; nam Clemens V permittit, ut possint vivere in communi *mulieres, quæ, promissa continentia, vel etiam non promissa, honeste in suis conversantes hospitiis, pœnitentiam agere voluerint, et virtutum Domino in humilitatis spiritu deservire.* Clem. 1, de rel. dom. De hac vero honesta conversatione judex est Episcopus, quoadusque in negotio manum non apponat Summus Pontifex. — (3) Clem. 2, § *Illas quoque* de stat. monach. — (4) S Congregatio Epis. et Reg. 15 januar 1706 ad dubium: an Ordinarius possit virgines in communitate, et sub certa regula a S. Sede approbata viventes, ponere sub vera clausura, seu potius illas ad earum domos remittere, quatenus servitium Dei, et salus animarum illarum, ita exposcat; respondit: Negative. Quod responsum referens Pitonius generaliter accipit, et rationem asserti affert, dum sic ait: « Cum modus vivendi in com» muni, ibique Deo serviendi reperiatur hodie per S. Sedem appro» batus, non potest Ordinarius destruere hunc modum convivendi » remittendo virgines ad earum domos; sed ad hunc effectum adiri » debet Sedes Apostolica, ejusque oraculum expostulari. » Disc. eccl. p. 3, disc. 75, n. 11. Unde quando Episcopus cupit virgines sub clausura episcopali constituere ad majus illarum bonum omnes prius debent consentire. — (5) Revera Bonifacius VIII ea quæ spectant ad electionem Abbatissarum, et Superiorissarum in veris monialibus, tum quoad vocem activam, et passivam, tum quoad scrutinium, et formam electionis, ad fœminas in Conservatoriis viventes extendit his verbis: *Supradicta siquidem nedum in monasteriis, in quibus sunt moniales viventes sub aliqua de Religionibus approbatis; sed etiam in illis, ubi sunt juxta quarumdam provinciarum consuetudinem mulieres,*

quæ nec propriis renunciant, nec professionem faciunt regularem. Cap. 43, § *Supradicta* de elect. in 6. — (6) S. Cong. Conc. 18 mart. 1649, et 25 jun. 1655. Pitonius l. cit.

244. Propter actum fundationis, sive erectionis, cujuscumque Conservatorii, jura sua non auferuntur Parocho loci, qui remanet proprius Conservatorii sacerdos ad effectum ministrandi Sacramenta, et habendi jura decimarum, funerumque, etiamsi illius alumnæ ibi sepulturam sibi elegerint (1). Quare ecclesia Conservatorii tamquam publicum oratorium consideratur, in quo non licet sine S. Sedis licentia SS. Eucharistiæ Sacramentum retinere (2). Ratio horum omnium est, quia feminæ ibi congregatæ, licet in domo religiosa ad formam monasterii tam in habitu, quam in instituto vivant, et publice pro Monialibus habeantur; tamen Moniales non sunt, quibus in præmissis exemptiones competunt (3); et per consequens legatum pro Monialibus factum absque S. Pontificis dispensatione his prodesse non potest; et si forsan matrimonium contrahant, validum est, et ex jure dos Conservatorio tradita ipsis restituenda est (4).

(1) Excipe tamen, si moniales habeant clausuram papalem, quia tunc eximi eas necesse videtur ab jurisdictione Parochi, cum clausura violari nequeat, cumque in hoc casu Conservatoria veris monasteriis assimilentur. — (2) Petra ad Bul. *Transiturus* Urbani IV, sect. unic. n. 21. — (3) Tanto magis id dicendum est de Tertiariis viventibus in sæculo in domibus suis, vel penes proprios parentes. Licet istæ pluribus fruantur indulgentiis, et privilegiis ad illarum exemplum; tamen potiori jure Ordinario subjiciuntur. Hæ autem Tertiariæ in sæculo seorsim viventes debent emittere, votum virginitatis, cœlibatus, habitum religiosum gestare, ex propriis bonis vitæ sustentationem habere, et tantum penes consanguineos, vel affines, aut honestam matronam Episcopi judicio habitare. Neque ad hunc statum assumi possunt ante quadragesimum eorum ætatis annum. Benedictus XIV. Inst. 105, n. 63. — (4) Petra, in Bul. *Solet* Innocentii IV, sect. 2, n. 43.

245. Confraternitates sunt quædam Congregationes laicorum ad opera pietatis, et charitatis exercenda in aliqua Ecclesia, sive Sacello erectæ, propriis statutis, sive regulis instructæ, proprioque ut plurimum habitu in functionibus ornatæ, quæ post longe lateque per orbem dif-

fusos regulares Ordines, ad quamdam eorumdem similitudinem videntur esse institutæ (1). Confraternitates, si recte procedant, magnum afferunt Ecclesiæ juvamen, splendidumque ornamentum; ideoque nedum a S. Sede probantur, sed et summopere in genere commendantur; multisque indulgentiarum, et privilegiorum concessionibus in specie ditantur (2).

Possunt Confraternitates dividi in *ecclesiasticas* et *sæculares*, sive *laicales*. Illæ sunt ecclesiasticæ, quæ auctoritate ecclesiastica formaliter sunt erectæ, a qua in omnibus diriguntur. Neque formalis erectio ea dici potest, qua Prælatus Ecclesiæ, simpliciter probaret institutum, ne forte illicitum sit, vel tantum indultum concederet sacrum faciendi in sacello Confraternitatis; neque deberet omnino præsumi ex eo quod Prælatus Confraternitatem pluries simpliciter visitaverit, quia visitatio in ipsis locis tantum piis debet fieri (3). Ordinariam autem Confraternitatum instituendarum auctoritatem habet Episcopus; sed delegatam ad proprii Ordinis in propria ecclesia Confraternitates instituendas habent quoque Superiores regulares, modo prius obtineant consensum, litterasque testimoniales Ordinarii, et statuta per ipsum examinentur, ac probentur, et indulgentiæ Confraternitati communicandæ recognoscantur, et eleemosynarum collectæ ne fiant, nisi juxta formam eas colligendi et expendendi ab ipso præscriptam (4).

Illæ deinde Confraternitates sunt laicales, quæ absque Episcopi formale auctoritate sunt erectæ, quæque a laicis fundatæ a laicis diriguntur, et administrantur. Nihilominus in earum erectione licentia Episcopi est jugiter necessaria; nam, ut animadvertit ipse Van-Espen aliter timendum foret, ne quid solidæ pietati, aut Christianæ religioni contrarium sub prætextu devotionis irreperet (5). Episcopus autem antequam hujusmodi licentiam concedat debet diligenter perpendere, an alia jam existat similis Confraternitas in loco, in quo nova est fundanda; quo casu hujus fundatio non potest permitti; item debet perpendere; an opera pietatis, et charitatis exercenda, loco, tempori et personis conveniant; an statuta et regulæ ad bonum Confratrum et Religionis conducant (6); an de-

mum alicui, et præsertim Ecclesiæ parochiali præjudicium inferatur, et alia his similia debet diligenter perpendere, de quibus Pragmatici ex professo pertractant (7).

(1) Qui vult habere notitiam Bullarum respicientium Confraternitates adeat Aloysium Guerra Epit. Pont. Const. tom. 1, edit. Venet. an. 1772. — (2) Horum unum afferam anno 1753 concessum confratribus Beatæ Mariæ Virginis *De Soccursu* Genuæ institutis, quod inter alia in eo consistit, ut, servata lege jejunii, quando viget, iidem confratres possent vesci ovis, et lacticiniis omnibus anni diebus etiam in majori hebdomada, et ut possent sibi eligere confessarium inter approbatos ab Ordinario, qui eos bis in vita a casibus Summo Pontifici reservatis absolveret. Bul. *Pius Christi fidelium* Benedicti XIV. — (3) Trid. sess. 22, c. 8, de ref. — (4) Bul. *Quæcumque* Clementis VIII. — (5) Jur. Eccl. univ. part. 2, sect. 4, t. 6, n. 22. — (6) Cit. Bul. *Quæcumque* Clementis VIII. — (7) Præter Confraternitates etiam Archiconfraternitates existunt, quæ a Summo Pontifice conceduntur alicui Ordini regulari, aut alicui Confraternitati cum jure alias constituendi Confraternitates, easque sibimet cooptandi, et illis sua communicandi privilegia, indulgentias, facultates, bona spiritualia, ac diplomata, quæ ipsæ prius obtinuerunt. Sed in similibus aggregationibus, quemadmodum in earum regulis, statutis, indulgentiis et privilegiis necessarius est consensus Episcopi loci illius, in quo Confraternitas, aut Archiconfraternitas erigitur, ut illis uti possit. Ita in casibus practicis definivit S. Congregatio Concilii, teste Benedicto XIV, in Inst. 105, n. 89. Ejus Officiales Ordinario rationes reddere tenentur. Id. ib.

246. Jam vero si agitur de Confraternitatibus mere ecclesiasticis, hæ, ut ipsæmet Ecclesiæ, Episcopi moderationi, et jurisdictioni in omnibus subsunt: nam res, vel loca sunt ecclesiastica, et a civili jurisdictione exempta, etiamsi personæ ad Confraternitates admissæ sint laici, ut concedit Van-Espen, qui similium Confraternitatum exemplum præbet in Confraternitatibus in Ecclesiis Mendicantium erectis (1). At si agitur de aliis Confraternitatibus uniformis non est Pragmaticorum doctrina: alii enim, cum Basso (2), videntur distinguere Confraternitates institutas ad fines spirituales, et Confraternitates institutas ad fines temporales, ita ut illæ, non hæ, ad Ecclesiæ jurisdictionem pertineant; alii vero, cum Barbosa (3), videntur distinguere inter loca, corpora, bona, et personas Confraternitatum, ita ut tria prima ad ecclesiasticam potestatem, et ultimum ad civilem spectet. Sed nobis rece-

dendum non videtur a theorica Card. De Luca, qui agens de Conservatoriis sæcularibus, ex ecclesiastica et civili potestate mixtum in toto ponit regimen, et distinctum in parte; ita ut quæ Religionem tangunt ab Episcopo, et quæ ad regimen temporale, et œconomicum referuntur, a Principe vel Magistratu dependeant. Ratio autem est, quia maxima viget similitudo inter Conservatoria sæcularia, et sæculares Confraternitates, et de similibus idem ferendum judicium, ubi eadem est ratio, ut in casu; quia Confraternitates laicales inter operas tantum pias, et non ecclesiasticas a Doctoribus recensentur; et quia in praxi ita observatur (4).

Quare spectat ad Episcopum probare Institutum, permittere functiones, videre an onera missarum adimpleantur, an observentur ecclesiastici ritus, et alia omnia dirigere, quæ spiritualia sunt, vel cum spiritualibus necessario conjunguntur (5). In aliis vero, quæ temporale, et œconomicum regimen respiciunt, prædictæ mere laicales Confraternitates a civili potestate dependent (6).

(1) Cit. loc. n. 14, et Richeri, qui exemplum ponit generaliter in Confraternitatibus erectis in Ecclesiis. Univ. Jurisp. lib. 2, n. 137. — (2) In Biblioth. Verb. *Confraternitas*. — (3) Jus. eccl. l. 2, c. 11, n. 78 et seqq. — (4) De Regul. disc. 50 et de Jurisd. disc. 45. — (5) Spiritualibus necessario connexæ dici debent ipsæ Ecclesiæ, vel Oratoria Confraternitatum, et bona, quæ ad ipsas Ecclesias, aut Oratoria pertinent, quod concedit citatus Richeri n. 137 in not.; qui de nimio in Ecclesiam favore non potest esse suspectus. — (6) Respiciunt temporale regimen causæ judiciales, contractus, bonorum administrationes, acquisitiones, et alienationes. De Luca in Miscell. disc. 1, n. 34, et de alienat. n. 11.

247. Confraternitates ut se liberarent a jurisdictione Episcopi plures, sed inutiles, edidere conatus. Primum se submiserunt Regularibus, in quorum Ecclesiis sibi constituerunt sacellum, sive altare, adeo ut cum Regularium familia ab Episcopo obtinerent exemptionem; sed S. Concilii Congregatio spem amputavit, dum pluries definivit, Confraternitates laicorum in Ecclesiis Regularium institutas Episcopi jurisdictioni, et visitationi subesse (1). Deinde Archiconfraternitatibus Romæ existentibus, aut Capitulo

S. Joannis in Laterano aggregari petierunt, adeo ut eisdem immediate essent subjectæ, et sic evadere Episcopi subjectionem possent; verum neque hoc medium profuit: nam Clemens VIII et Paulus V, et postea S. Congregatio declaravit, etiam taliter aggregatas Confraternitates esse Episcopi jurisdictioni obnoxias (2).

(1) S. Congregatio in *Nucerina* 26 jun. 1729, censuit: « Confraternitates laicorum, in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas, » subesse jurisdictioni, et visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari » posse, nec non illarum capellas in iisdem Ecclesiis Regularium » existentes, in his tamen, quæ confraternitatum administrationem » respiciunt. Et si confraternitatibus incumbit onus manutenendi » altare, et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quæ » respiciunt ipsam manutentionem, cultum, et ornamenta altaris, » seu Capellæ, onera Missarum, atque divinorum officiorum ibidem » celebrandorum, et circa ea omnia, quæ ad obligationem eorum- » dem confratrum relationem habent. » Benedictus XIV de Synod. 13. 1, c. 25 n. 6. Hoc decretum, quod est particulare in sua origine, deinde veluti lex generalis a S. Congregatione retentum est, et juxta illud semper in posterum pronunciavit. Id. Pont. Inst. 105, n. 88. — (2) Bul. *Quæcumque* Clementis VIII, bul. *Quæ Salubriter* Pauli V, et Benedictus XIV, in cit. Inst. 105, n. 87 et seqq.

248. Quemadmodum Confraternitates non eximuntur a jurisdictione Episcopi; ita nec fideles a potestate Parochi, dum in album Confraternitatum referuntur, nisi in primo casu S. Pontifex, et in secundo Episcopus, quodpiam privilegium, aut indultum concedat. Hinc confratres remanent in omnibus, sicut prius, Parocho subjecti. Confraternitates vero debent semper justam a Parocho dependentiam servare, maxime in functionibus, ne ordo parochialis Ecclesiæ perturbetur, aut fideles abstrahantur a Parocho. Hac de re die 10 decembris anni 1703, prodiit S. Congregationis decretum, quod jus commune facit, et in Romana Curia jugiter observatur (1). Præcipua hujus decreti capita sunt: 1° ut Confraternitates erectæ in Ecclesiis parochialibus, vel in Oratoriis iisdem annexis in omnibus ecclesiasticis functionibus a Parochis dependeant (2); 2° ut Confraternitates erectæ in Oratoriis sejunctis ab Ecclesiis parochialibus non dependeant a Parochis in functionibus non parochialibus (3); 3° ut dependeant ab iisdem

in omnibus, quæ ad jus, vel munus Parochorum spectant. Sed illud est notandum, quod hoc generale decretum jura particularia non tollit; ait enim: *Salvis tamen conventionibus, et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis, et a S. Sede approbatis, indultis, et constitutionibus synodalibus, ac provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis.*

(1) Hoc decretum per extensum refertur a Benedicto XIV, in Inst. 105, n. 93, et a Giraldo in tit. de purif. post. part. — (2) Hinc Confratres, vel eorum Capellani immiscere se nequeunt in ejusdem ecclesiæ functionibus etiam non parochialibus. Cit. decr. ad dub. 29. Possunt tamen juxta eorum statuta congregationes facere, absque interventu, et licentia Parochi, dummodo non impediant functiones, et divina officia. Ad dub. 30. Sic possunt propria bona administrare, et de illis disponere. Ad dub. 31. Neque in his Congregationibus, si Parochus interveniat, aliquod habet votum, etiamsi id faciat per Ordinarii delegationem. Ad dub. 32 et 33. Nihilominus jure particulari diœcesis Bononiensis, et Genuensis, in Congregationibus annuis in quibus eliguntur Confraternitatum officiales, et rationes administrationis redduntur, debet intervenire Parochus. Benedictus XIV in cit. Inst. 105, n. 132, et in Synod. diœc. Genuensi an. 1838, cap. 25, § 3 et 8. — (3) Cit. decr. ad dub. 3 et 4. Notandum tamen, quod functiones ad hoc propositum dividi possunt in eas, quæ ad jus parochiale spectant, et eas, quæ congruunt muneri parochiali, et eas quæ parochiales non sunt, sed mere sacerdotales. Primi generis sunt ex. gr. solemnis administratio Baptismi, Eucharistiæ in Paschate, Viatici, Extremæ-Unctionis, assistentia matrimoniis, exequiæ et funera. Secundi generis sunt ex. gr. solemnitas Missarum, divinorumque officiorum, expositiones et benedictiones cum Sanctissimo Sacramento, vel sacris Reliquiis, benedictiones fontis baptismalis, mulieris post partum, et publicæ processiones. Tertii generis sunt ex. gr. missa privata, administratio sacræ communionis, pœnitentiæ, recitatio horarum canonicarum, et benedictiones simplices aqua lustralis, panis, ignis, seminum, ovorum, etc. Jam vero primæ, pertinent exclusive ad Parochum, etiam in funeribus suorum parochianorum, qui in confraternitatum Oratoriis sibi elegerunt sepulturam. Cit. decr. ab dub. 20. Similiter secundæ præsumuntur ad Parochum pertinere, nisi a jure aliter disponatur. Tertiæ denique in Oratoriis confraternitatum licite fiunt, nisi ab Ordinario prohibeantur. Alia plura videri possunt in citato decreto, et in Constitutionibus synodalibus cujusque diœcesis.

249. Laicorum Confraternitates variis privilegiis, et indulgentiis plurimis a S. Sede ditari solent, et precise indulgentiis Ordinum regularium, vel indulgentiis Archicon-

fraternitatum, quibus fuerunt aggregatæ. Sed sodales his uti nequeunt antequam ab Ordinario examinentur, et post examen in tantum possunt uti, in quantum Ordinario visum fuerit, et non ultra (1). Retinere nequeunt Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, absque indulto speciali S. Sedis, in eorum oratoriis, quæ parochialibus, aut regularibus Ecclesiis non sunt unita; et præsupposita dicta facultate, nequeunt sine Ordinarii licentia Sanctissimum Sacramentum venerationi exponere (2). Similiter nequeunt Crucem deferre in processionibus (3), in quibus, si plures fuerint Confraternitates, illa semper præcedentiam habet, quæ antiquior est in loco, ubi fit processio, seu quæ prius saccis usa est (4).

(1) Bul. *Quæcumque* Clementis VIII. — (2) Cit. decret. in resp. ad dub. 26 et 27. — (3) Edict. Clementis XI incip. *La Santità*. — (4) Bul. *Exposcit pastorale* Gregorii XIII.

TITULUS XXIV.

DE DELICTIS ECCLESIASTICIS.

SUMMARIUM: 250. Delictorum definitio, et divisio. — 251. Quid, et quotuplex sit hæresis? — 252. Hæresis suspicio triplex. — 253. Quinam sint violenta hæresis suspicione notati? — 254. Tamquam hæretici habentur liberi muratores. — 255. Quæ hæreticorum pœnæ? — 256. Hæretici sunt denunciandi. — 257. Quomodo cum istis sit permissa communicatio? — 258. Eorum filii irregularitate notantur, et libri prohibentur. — 259. Quid, et quotuplex sit schisma? — 260. Quid, et quotuplex apostasia? — 261. Quid, et quotuplex simonia? — 262. Quæ simoniacorum pœnæ? — 263. Blasphemia quid, et quotuplex? — 264. Sacrilegium quid, et quomodo committatur? — 265. Sortilegium quomodo sit damnatum, et quomodo soleat committi. — 266. Quis delictorum ecclesiasticorum judex

250. Promotione, et gradu Clericorum cognito, opus est inquirere quibus causis, et quibus modis utrumque amittatur. Causæ hujusmodi sunt delicta a Clericis commissa; modi autem sunt pœnæ a jure, aut ab homine inflictæ.

Delictum in genere definitur a Doctoribus, *commissio*,

sive omissio externa dolo facta contra legem vigentem aliquid imperantem, aut prohibentem sub pœna. Dicitur *externa,* quia de internis non judicat Ecclesia, et quia cogitationis vel desiderii pœnam nemo cogitur in externo foro sustinere. Dicitur *dolo facta,* quia ubi non est dolus, ibi non est delictum pœna dignum (1). Dicitur *sub pœna,* quod intelligitur de pœna temporali, quæ nascitur ex delicto, non de culpa, qualem secum trahit peccatum.

A Romani juris Interpretibus delictum dividitur in *privatum,* et *publicum.* Privatum dicitur, cuius accusatio, et persecutio læsæ tantum parti conceditur (2); publicum vero, cujus accusatio, et persecutio conceditur omnibus civibus (3).

A Pragmaticis Clericorum delictum dividitur in *commune,* quod a solo judice ecclesiastico punitur, et *privilegiatum,* quod ex privilegio, sive concessione Summi Pontificis, a judice quoque civili puniri potest.

Denique a Canonici Juris Interpretibus delictum dividitur in *mere ecclesiasticum,* quod committitur contra Religionem; in *mere civile,* quod committitur contra Rempublicam; et in *mixtum,* quod simul contra Religionem, et Rempublicam committitur. In hoc titulo de delictis tantum mere ecclesiasticis agimus, et inter hæc, hæresim, schisma, apostasiam, simoniam, blasphemiam, sacrilegium, et sortilegium adnumeramus, licet ultima queant inter mixta delicta etiam adnumerari, ut communiter a Doctoribus fit.

(1) Menochius cons. 28, n. 13; Barbosa repert. verb. *dolus.* — (2) Tale secundum hoc jus esset crimen incestus, stupri, fornicationis, adulterii, quia ex constitutionibus Ægidianis horum criminum accusatio competit tantum parentibus vel consanguineis intra secundum gradum. Hæ quidem constitutiones, quæ observantur in tribunalibus ecclesiasticis, et a S. Congregatione probantur, statuunt, *quod in criminibus incestus, adulterii, stupri, fornicationis, nullus accusando, vel defendendo, privatim vel publice admittatur, nisi esset pater, mater, avus, vel avia, filii, et nepotes utriusque sexus usque ad secundum gradum, fratres, et sorores, et filii fratrum, et sororum; qui prænominati solum ad prædictam accusationem, seu delationem, quia domus, et generis sui quodammodo prosequuntur injuriam, admittantur.* Anal. jur. Pont. ser. 8, pag. 474. Sed aliter in jure Romanorum obtinebat, ut mox videbimus. — (3) Publicorum delictorum species enumerantur

in lege 1, ff. de publ. jud. et in l. 4, cod. de hæret. In dicta lege 1ª inter delicta publica comprehenditur lex Julia majestatis, lex Julia de adulteriis, lex Cornelia de sicariis, et veneficiis, lex Pompeia de parricidiis, lex Julia peculatus, lex Cornelia de testamentis et in dicta lege 4, Imp. Theodosius publicum delictum declarat, quod contra Religionem committitur.

251. Hæresis (1) est *error voluntarius intellectus cum pertinacia conjunctus contra aliquam veritatem fidei catholicæ, in eo, qui fidem suscepit* (2). Hinc ad hæresim constituendam duo requiruntur, error nimirum in intellectu, et pertinacia in voluntate. Error in intellectu adest etiam in eo, qui de aliquo fidei articulo deliberate dubitat, quia dubius in fide infidelis est (3). Pertinacia in voluntate non adest in eo, qui licet erret in fide, est tamen corrigi paratus (4).

Hæresis dividitur in *internam,* et *externam:* interna, quæ mente retinetur, nec verbis, nec factis exprimitur; externa, quæ, mente concepta, verbis, aut factis proditur. Hæc insuper subdividitur in *occultam,* quæ panditur quidem signis, sed vel nemine audiente, vel paucis consciis; et *manifestam,* quæ palam, sive publice proditur. Unde signa manifestationis, si certa omnino sint et indubia, hominem hæreticum demonstrant; si vero tantum probabilia et præsumptiva, de hæresi suspectum reddunt.

(1) Hæresis græce ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem: can. 27, c. 24, q. 3. Unde S. Isidorus hæc habet: Qui sunt hæretici, nisi qui, relicta Dei Ecclesia, privatas eligunt societates? — (2) Fidei catholicæ veritas, de qua in hac definitione, ea est, quæ verbo Dei scripto vel tradito continetur, et ab Ecclesia credenda proponitur. Ecclesia autem non solum credenda proponit, quæ ex Scriptura manifesta sunt, vel ex summorum Pontificum, aut Conciliorum decretis resultant, sed etiam quæ sancti Ecclesiæ Patres concordissime, et constantissime tenuerunt. Melchior Canus de loc. Theol. l. 12, c. 6 præc. 6. — (3) Can. 1, de hæret. — (4) Can. 29, c. 24, q. 3.

252. Hæresis suspicio triplex esse potest, nempe *levis,* cum signa manifestationis ex operibus, et verbis, minus tuta, et minus certa sunt, ut si quis semel hæreticorum conventibus interfuerit; præsumitur enim potius curiositate, quam irreligioso animo id fecisse: *vehemens*, cum

signa manifestationis ex operibus, aut verbis certa et firma sæpe, aut ut plurimum, sunt; veluti si quis scienter, pluribusque vicibus, errores contra fidem docuerit, aut diebus prohibitis carnes absque necessitate manducaverit: et *violenta*, cum signa manifestationis nullum de hæresi dubium relinquunt. In suspicione vehementi oritur contra imputatum præsumptio juris, quæ contraria probatione eliditur (1); in violenta vero oritur præsumptio juris, et de jure, quæ contraria probatione non eliditur (2), sed pro veritate habetur; et idcirco sic imputatus tamquam hæreticus condemnandus est (3).

(1) Innocentius III quoad hos de hæresi suspectos ita edixit: *Qui inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi juxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriantur.* Cap. 13, de hæret. — (2) Alexander III in casu non absimili aperte declaravit, *quod ex violenta et certa suspicione potest sententia promulgari.* Cap. 12, de præsumpt. — (3) Devoti Inst. Can. l. 4, t. 4, § 8.

253. Qui violenta hæresis suspicione notatur, potest tamquam hæreticus damnari. Tales autem sunt: 1° qui per annum in majori excommunicatione insordescit (1); 2° qui de fide leviter etiam suspectus legitime ad respondendum de fide citatus, contumaciter se absentat, et post inflictam hac de causa excommunicationem, sine resipiscentia annum elabi patitur; hoc enim casu post contumaciam suspicio fit vehemens, et post annum in violentam transit (2); 3° qui in causa hæresis testis convincitur perjurus, et de perjurio postea non pœnitet, vel ficte tantum convertitur; nam ex hoc perjurio oritur vehemens de hæresi suspicio, quæ ex subsequenti perfidia fit violenta (3): 4° qui in dignitate, vel officio sæculari constitutus, Episcopos, et Inquisitores impedit, ne contra hæreticos procedant; item qui ad id auxilium, consilium, vel favorem dederit, post annum a contracta ob id excommunicatione (4); 5° qui post abjuratam hæresim hæreticos receptat, deducit, visitat, sive associat, aut eis munera donat, vel favorem eis impendit, quia non est dubium, hoc illum in erroris consequentiam fecisse (5).

(1) Cap. 13, § *Qui autem*, de hæret. in 6, et ib. Gloss. et Trid. Sess. 25, c. 3, de ref. — (2) Cap. 7, de hæret. in 6, et ib. Glos. — (3) Cap. 13, de probat. — (4) Cap. 18, de hæret. in 6. — (5) Cap. 8, § *Ille quoque*, de hæret. in 6. Idem insuper judicium ferendum esse videtur in casu, quo propter scelus res eo deducta est, ut de errore in fide, et de pertinacia dubitari amplius non possit, ut si quis absque Presbyteratus ordine missam celebraret, et Sacramentum Pœnitentiæ ministraret. Bul. *Sacerdos in æternum*, et Bul. *Divinarum* Benedicti XIV. Si confessarius in Sacramento pœnitentiæ confitentem ad venerem provocaret, vel sacrum pluries violaret sigillum, vel turpiter peccando serio doceret, in suo scelere non esse peccatum; si laicus, vivente uxore, matrimonium contraheret cum alia; si quis Ecclesiæ ritus irrideat, vel demones consulat, eorumque responsa suscipiat; si quis sortes cum hæreticis exerceat, maxime si faciat prædicta cum Corpore et Sanguine Christi, vel similia peragat. Jo. Franciscus Leo in thes. for. eccl. cap. 37, n. 41. Bul. *Cum nolum* Clementis X.

254. Præter hæreses, ad veram Christi Religionem, si possibile foret, convellendam, ultimis hisce sæculis quasdam virulentas occultas societates, sive sectas dæmon invexit in orbem, uti est societas *liberorum muratorum*, et *carbonariorum*, quas sub his nominibus, aut aliis, Summi Pontifices gravissimis propositis pœnis profligare curarunt. Secta revera massonica damnata solemniter fuit a Clemente XII (1), et a Benedicto XIV (2), a quibus liberi muratores, et qui eos receperint, aut eis auxilium, consiliumve præbuerint, aut eorum conventibus interfuerint, anathemate papali percutiuntur, et tamquam hæretici jubentur puniri. Secta vero carbonaria damnata similiter fuit a Pio VII (3), et a Leone XII (4), a quibus carbonarii, eorumque fautores, nedum prædictis plectuntur pœnis, sed insuper denunciandi declarantur, non obstante eorum silentii juramento in aggregatione emisso, quod nullius roboris esse declaratur.

(1) Bul. *In eminenti*. — (2) Bul. *Providus Romanorum*. — (3) Bul. *Ecclesiam a Jesu*. — (4) Bul. *Quo graviora mala*. Vide etiam Encyclicam Pii IX die 9 Nov. 1846 datam. — His addendum quod postea idem Pontifex in sua novissima Bulla *Apostolicæ Sedis* circa excommunicationem contra harum sectarum assecias prolatam decrevit. Voluit enim, et declaravit, huic excommunicationi latæ sententiæ, et speciali modo Romano Pontifici reservatæ subiacere *nomen dantes sectæ massonicæ, aut carbonariæ, aut aliis eiusdem generis se-*

ctis, quæ contra Ecclesiam, vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; earumve occultos coriphæos ac duces non denunciantes, donec denunciaverint. Ex quibus verbis manifestum fit earum sectarum coriphæos ac duces occultos esse denunciandos, et non denunciantes eidem esse excommunicationi obnoxios, donec non denunciaverint.

255. Hæretici solum mentales nulla inuruntur ecclesiastica pœna, quia cogitationis pœnam nemo patitur (1). Sed veri hæretici, et præsertim manifesti, pluribus spiritualibus pœnis plectuntur: nam percutiuntur excommunicatione Summo Pontifici reservata, a qua Episcopus ordinaria potestate eo tantum casu potest absolvere, quo hæretici reconciliatio, vel hæresis abjuratio publice fit (2); privantur sepultura ecclesiastica; fiunt irregulares; et, si clerici sint, cadunt ab officiis, et beneficiis prius obtentis, redduntur inhabiles ad alia obtinenda, et sunt deponendi, ac degradandi. Sed quoad excommunicationem observandum, quod eius absolutio, excepto prædicto casu abjurationis, iterum modo speciali reservata fuerit Romano Pontifici in Bulla novissima Pii IX, quæ incipit *Apostolicæ Sedis*, qualis reservatio extenditur ad quoscumque hæreticos, eisdem credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores, ad apostatas a christiana fide, et schismaticos, et eos, qui e Romani Pontificis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt. Diximus *iterum*, quia prius multoties hæc reservatio fuerat a iure et a Summis Pontificibus facta (3).

Pœnis etiam temporalibus plectuntur hæretici, uti est infamia juris (4), inhabilitas ad honores, officia publica, et actus civiles (5), pœna pecuniaria et corporis afflictiva: nam hæretici non sunt tantum ad conversionem invitandi; sed etiam omni meliori modo compellendi (6). Propterea Ecclesia constituit, ut hæreticus, qui spem conversionis non relinquit, brachio potestatis sæcularis puniendus tradatur, et ut imperialis, sive alia quæcumque suprema in statu potestas catholica teneatur in hæreticos meritis pœnis animadvertere (7).

(1) Can. 14, dist. 1, de pœnit. — (2) Cap. 2, de hæret. in 6: Ratio autem ob quam ab hæresi non potest Episcopus absolvere in

tribunali pœnitentiæ, dum ab ea absolvit in tribunali exteriore, hæc esse videtur, quia in illo proceditur sine testibus, sine forma judicii, et appellatio, aut recursus non datur; cum ex adverso in secundo casu forma publica, et testes adhibentur, et appellatio ac recursus ad superiorem admittitur, ut emendetur si quid male gestum est. Cæterum in processu abjurationis hæresis primo per Ordinarium, vel ejus delegatum, fieri debet abjurantis instructio, ut constet, eum vere suos errores reprobare, et esse in doctrina Christiana sufficienter instructum. Secundo, ipse abjurans coram Ordinario, vel ejus delegato, et duobus saltem testibus, et publice, debet clara voce formulam abjurationis legere, et subscribere, cujus normam exhibet canon *Ego Berengarius* 42, dist. 2 de consecrat. Tertio, debet juramentum emittere de parendo mandatis Ecclesiæ, et de non committendo in posterum delicta propter quæ in hæresim incidit. Arg. can. 10 et 12, de sent. excom.; et emittere professionem fidei juxta formulam Pii Papæ IV. Quarto denique, ab Ordinario, vel ejus delegato, danda est privata salutaris pœnitentia, et postea proferenda est sententia absolutionis a censuris propter hæresim contractis, et restituendus est Sacramentis Ecclesiæ, et fidelium communioni in *nomine Patris*, etc. Rit. Rom. de absol. ab excom. in for. exter. et Baruffaldus ad dic. rubr.; ubi plura alia scitu necessaria inveniuntur. Hi ritus non pertinent ad validitatem sententiæ absolutionis; immo in praxi omittuntur, cum agitur de abjuratione hæresis in eo, qui in hæresi natus est. — (3) Cap. 8, 9 et 13, de hæret. — (4) Can. 17, c. 6, q. 1. Unde hoc malum a sacris canonibus dicitur *fœditas, pestis, labes hæretica, secta abominabilis et detestabilis, execrandus error, et contagiosa enormitas.* — (5) Cap. 13, § *Credentes* de hæret. in quo decernitur, hæreticum amittere factionem testamenti activam, et passivam, nec posse esse judicem, aut advocatum, aut notarium. Hæreticus præterea privatur jure testificandi, honoribus civilibus, et ecclesiasticis privilegiis. An vero privetur etiam jurisdictione, disputant Doctores. Sed satis probabile videtur, hæreticum etiam manifestum jurisdictionem non amittere ob publici boni rationem, nisi ab Ecclesia de facto per sententiam, vel declarationem, jurisdictione privetur; aut ipse ab administratione se subtrahat, et potestati suæ nuncium mittat. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 233. — (6) S. Augustinus in can. 38, c. 23, q. 4. — (7) Can. 9 et 10 de hæret. Ita servaverunt Imperatores, et Reges catholici, qui gravissimis pœnis, id est confiscatione bonorum, carcere, exilio, et ultimo quandoque supplicio hæreticos inpœnitentes, et maxime relapsos afficiebant. Phillips de jur. eccl. § 102.

256. Arctam habet cum pœnis hæreticorum relationem obligatio eos denunciandi, et prohibitio communicandi cum eis. Obligatio denunciandi manat ex lege naturali, divina, et ecclesiastica, et est necessaria ad bonum particulare denunciantis, ac commune Reipublicæ Christianæ, et e-

tiam ad utilitatem spiritualem illius, qui denunciatur. Cura enim salutis propriæ cuique fideli suadet, ut venena hæreticæ pravitatis, quantum in se est, extinguat, et charitas erga S. Ecclesiam et proximum, fidelem movet, ut, quantum potest faciat, ne scintilla hæretici incendii et diaboli fermentum Corpus Ecclesiæ, aut quemquam ex fidelibus inflammet, aut ad mortem inficiat (1). Qui autem hoc non facit, neutiquam bonus fidelis esse potest, cum sit generale effatum a Leone Papa invectum, quod *qui alios, cum potest, ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat;* cui subscribit Ivo Carnotensis dicens: *Nec caret nevo suspicionis occultæ qui manifesto facinori desinit obviare.* Hæc obligatio eruitur quoque ex sacris canonibus, et ab Ecclesiæ praxi (2). Innocentius enim III, in Concilio generali Lateranensi præcepit, *ut quisque fidelis, si quos ibidem* (in parochia) *hæreticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita et moribus dissidentes, eos Episcopo studeat indicare* (3). Idem confirmarunt sequentes Pontifices, et contra inobedientes pœnam excommunicationis ferendæ sententiæ statuerunt (4).

(1) Card. Soglia loc. cit. § 232. — (2) Cap. 2 de hæret. et Gonzalez ad id. cap. — (3) Cap. 13 § *Addiscimus*, de hæret. — (4) S. De Ligorio l. 4, n. 254. Qui autem sint denunciandi declarat Clemens X, in Bul. *Cum notum*, et qui a denunciatione liberentur tradunt Doctores præsertim Moralistæ. Ubi vero populus Christianus in magnam incidat temporum perversitatem, solet Papa Episcopis concedere, ut per se, vel delegatos suos, et per simplices confessarios possint ab hac obligatione dispensare; quod Pontifex facere solet ad tempus, ex. gr. ab biennium, vel triennium, et durantibus circumstantiis, exceptis tamen hæreticis dogmatizantibus, qui semper sunt denunciandi.

257. Communicatio cum hæreticis olim erat catholicis absolute interdicta, utpote excommunicatis: tum ut ab hæresis contagione præservarentur fideles; tum ut perversi noscerent se esse ab Ecclesia depulsos. Hodie vero, modo absit scandalum, et perversionis periculum, interdicta tantum est cum hæreticis publice, et nominatim denunciatis, tamquam cum excommunicatis vitandis (1).

Quare cum hæreticis toleratis licet communicare in profanis, in civilibus, et civilibus conjunctis (2); non tamen regulariter, et practice loquendo, in sacris, et divinis; nam, ut ait Benedictus XIV: *Fere impossibile est usuvenire, ut a flagitio excusari valeant catholici, sese in rebus sacris cum hæreticis, et schismaticis admiscentes*: quia, ut subdit, *vix umquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia catholicorum cum hæreticis communicatio in divinis* (3). Nec excusare valet hæreticorum persecutio, quia juxta sententiam S. Officii, *persecutio ipsa æquivalet interrogationi fidei* (4). Unde Paulus V definivit non licere catholicis regni Angliæ hæreticorum templa adire, ritibusque eorum interesse (5). Idem confirmavit S. Congregatio S. Officii in Instructione pro Missionariis Orientis anno 1729; et in responsione ad quemdam Missionarium Peloponnensem anno 1753, in qua declaravit, non posse Missæ celebrationem permitti Sacerdotibus hæreticis, et schismaticis in Ecclesiis catholicorum, neque posse catholicos adsistere funeribus celebratis ritu schismatico, neque posse absolvi catholicos communicantes cum schismaticis, nisi in casu extremæ necessitatis, neque posse catholicos communicare in divinis cum schismaticis, et hæreticis in eorum Ecclesiis (6). Demum in horum confirmationem accedit dispositio recens data a Pio VI, in casu Gallicanorum, qui schismaticum emiserunt juramentum servandæ constitutionis cleri a Conventu nationali editæ (7).

(1) Extrav. Martini V. *Ad vitanda*. — (2) Civilibus conjuncta dici posset mera et materialis præsentia hæretici funeri catholico causa honoris, ut habetur in responsione S. Congregationis S. Officii data anno 1753; item mera et materialis tantum præsentia hæretici precibus et ritibus catholicis. Card. Soglia Inst. jur. priv. § 234; item assistentia catholici nuptiis hæreticorum. Bul. *Inter omnigenas* Benedicti XIV. -- (3) Id. Pontif. de Synod. l. 6, c. 5, n. 2, et cit. resp. S. Officii. — (4) Cit. resp. S. Officii, quæ per extensum affertur a Giraldo post cap. *Nulli* de sent. excom. — (5) Benedictus XIV, cit. loc. — (6) Giraldus, qui dictam Instructionem refert per extensum post cit. cap. *Nulli* de sent. excom. — (7) Summa hujus dispositionis hæc est. Declaratur 1° *non licere fidelibus sive diebus ferialibus, sive Dominicis, aliisque festis de præcepto diebus missæ assistere celebratæ a Parocho, vel simplici Presbytero, qui civicum juramentum emiserit; neque eisdem fidelibus licere vesperis, publicisque precibus as-*

sistere, quibus Parochus, vel simplex Presbyter juratus præest. Et ratio est, quia idem Pontifex prius definierat, vetitam esse communicationem in divinis cum in rusis et refractariis quocumque nomine appellentur. 2° Non licere a Parocho jurato petere absolutionem, et communionem *quovis tempore, præsertim vero tempore paschali.* 3° Non licere Parochum juratum adire pro sacramentis baptismatis, et matrimonii, excepto in baptismate casu extremæ necessitatis. 4° *Non licere Fidelibus patrini munere fungi in baptismo administrato a Parocho, sive Presbytero jurato, vel intruso.* 5° Non licere mulieribus post partum benedictionem accipere a Parocho jurato. 6° Licere in periculo mortis absolutionem accipere a sacerdote, vel Parocho jurato, vel intruso, *deficiente quovis alio catholico sacerdote.* 7° *Licere sacerdotibus non jejunis hostias consumere a catholicis sacerdotibus consecratas, ne in manus intrusorum veniant, quoties alius sacerdos jejunus non adsit, nec alia ratione consuli possit reverentiæ iisdem hostiis debitæ.* 8° Denique debere genua flecti coram hostiis consecratis ab intrusis, et schismaticis. Hic tamen Pontifex mandat, ut catholici declinare curent occasiones occursus schismaticorum, cum Sacramentum deferunt, ne videantur cum schismaticis communicare. Theiner docum. ined. tom. 1, n. 57.

258. Ecclesia nedum reprobat hæreticos, sed et eorum libros, liberosque. Liberi enim eorum irregularitate notantur (1); libri vero eorum damnantur, quia ex quo auctores damnati sunt, scripta eorum admitti non possunt (2). Hinc hæreticorum libri, *ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnati*, a catholicis cujuscumque gradus et conditionis sint (3), absque S. Sedis licentia *imprimi, legi, retineri, defendi* non possunt sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ (4).

(1) Vide tit. de his, qui prom. non pos. — (2) Cap. de hæret et ib. Gloss. — (3) Bul. *Apostolatus officium* Urbani VIII. — (4) Reg. 10 Ind. et Bul. *Cœnæ* § 1. Hinc patet discrimen inter libros damnatos primæ classis, et alios secundæ, vel tertiæ classis: nam hi postremi, si damnati sint *ob hæresis, vel falsi dogmatis suspicionem*, inferunt excommunicationem non reservatam; alias tantum peccati lethalis reatum inferunt. Index autem librorum prohibitorum etiam in Gallia usu receptus est, ut probant illius inclytæ nationis nova Concilia Provincialia. Auct. Inst. jur. can. edit. Parisiis an. 1853, tom. 2, pag. 535. — Notandum tamen, quod nunc accessit Bulla *Apostolicæ Sedis*, qua censuræ latæ sententiæ limitantur. In hac Bulla reservationem censurarum ob lectionem, et impressionem librorum prohibitorum Pius IX ita facit, ut primo submittat excommunicationi papali speciali modo reservatæ *omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros apostatarum, et hæreticorum hære-*

sim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes; ac secundo declaret, decretum Tridentini in sess. 4. *De editione et usu sacrorum librorum* quoad pœnam anathematis servandum tantum esse contra illos, *qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.* Hinc patet, in prima parte excommunicatione percuti legentes, retinentes, imprimentes, et defendentes libros hæreticorum hæresim propugnantes, et libros solemniter prohibitos, ac in secunda anathemate percuti tantum imprimentes libros tractantes de rebus sacris sine Ordinarii approbatione. Ideo eorumdem librorum detentores, et venditores ex novissimo iure statuto per dictam Bullam non sunt amplius anathemati Tridentini subiecti.

259. Schisma est *divisio, per quam quis se separat ab unitate universalis Ecclesiæ, in quantum hæc est unum corpus constans Romano Pontifice, ut capite, et Pastoribus ac Fidelibus, ut membris.* Dividitur autem in purum, et conjunctum cum hæresi. Purum dicitur, cum quis non vult communicare cum Summo Pontifice, aut cum Pastoribus et Fidelibus, licet illorum agnoscat auctoritatem, et horum non neget Religionem. Conjunctum vero cum hæresi tunc dicitur, cum quis, ut assolet, nedum renuit communicare, sed insuper vel detrahit Religioni, vel legitimorum Superiorum auctoritatem non agnoscit, eisque proinde obedire detrectat. Si schisma sit conjunctum cum hæresi, schismaticus punitur iisdem pœnis, quibus hæreticus; si vero sit purum, punitur excommunicatione Summo Pontifici in Bulla *Cœnæ* et in Bul. *Apostolicæ Sedis* Pii IX reservata, inhabilitate ad obtinenda beneficia, ac dignitates ecclesiasticas (1), et insuper beneficiis prius obtentis potest privari (2), et irregularitate notatur.

(1) Cap. 5, de elect. — (2) Cap. unic. de schism. in 6. Pius Papa VI, has pœnas applicavit in casu recentioris schismatis Gallicani, ut videre est in ejus litteris datis omnibus Episcopis regni Galliarum die 13 april. 1791. Theiner docum. ined. tom. 1, n. 19 et 21. — Diximus schisma purum habere adiunctam excommunicationem Papæ reservatam, quia novissima citata Bulla *Apostolicæ Sedis* Pii IX, utitur iisdem ferme verbis, quibus Bulla *Cœnæ*; ideo cum Doctores sub imperio huius Bullæ scribentes communiter docerent, etiam schismaticos absque distinctione inter puros, et hæresi adhærentes, esse excommunicationi subiectos; idem etiam post hunc Bullam Pianam tenendum videtur. Ratio in eo est, quod licet in

principio possit esse schisma absque errore in fide, postea transit in hæresim. Revera, ut docuit Nicolaus Papa, schisma purum est *quod in principio quidem aliqua ex parte intelligi potest: cœterum nullum schisma non aliquam sibi confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* Can. 26, c. 24, q. 3.

260. Apostasia est *defectio a fide, vel religione, vel ordine suscepto.* Hinc triplex est Apostasia, nempe: a Fide, a Religione, vel ab Ordine. Apostasia a Fide fit, cum quis Fidem ex integro deserit, ut si Christianus Judaismum, vel idololatriam amplectatur; et sic Apostata, pœnis hæreticorum punitur, ac Apostata *perfidiæ* dicitur (1). Apostasia a Religione fit, cum quis absque Superioris licentia a Religione, quam professus est, recedit animo ad ipsam numquam revertendi; et sic Apostata, punitur excommunicatione latæ sententiæ non reservata a momento, quo Religiosus habitum Religionis dimittit (2). Ac præterea incurrit pœnas et censuras pro hoc casu in unoquoque regulari Ordine sancitas, quibus derogare noluit Pius Papa IX in sua novissima Bulla censurarum limitativa (3). Decrevit tamen in ea, Religiosum a Religione ejectum, et extra Religionem viventem ipso iure suspensione perpetua affici ab ordinum exercitio, quam S. Pontifici reservat. Cum tamen Pontifex loquatur de Religiosis eiectis intelligendus videtur de Religiosis iuxta formam canonicam eiectis (4), non de fugitivis, quos sub imperio iuris antiqui remanere arbitramur, quosque in casu Tridentinum voluit tamquam apostatas puniri (5). Apostasia denique ab Ordine fit, cum quis in sacris Ordinibus constitutus habitum clericalem propria auctoritate exuit, seque ad statum laicalem transfert, et sic Apostata, privilegiis clericalibus privatur, et potest maiori excommunicatione percuti (6).

(1) Cap. 13, de hæret. in 6. Apostata in hoc casu in eo distinguitur ab hæretico, quod hic talis est per negationem etiam unius tantum ex fidei articulis: ille vero per omnium articulorum negationem. De apostatis regni Serviæ, qui transibant vel fingebant ad mahometismum transire hæc inter alia præscripsit Benedictus XIV, ut qui volunt sepeliri in monumentis Turcarum, et mulieres, quæ tenent Turcarum contubernium, in vita et in morte priventur sacra-

mentis. Bul. *Inter omnigenas* eiusd. Pontif. — (2) Cap. 2 ne cler. vel monachi. — (3) Bul. *Apostolicæ Sedis* Pii IX. — (4) Supr. n. 222. — (5) Sess. 25, c. 19 de reg. — (6) Pirhing de Apost. n. 5.

261. Simonia a Simone Mago nuncupata, qui ab Apostolis pretio emere contendebat dona Spiritus Sancti, est *studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Dicitur voluntas *studiosa*, nempe rite deliberata; *emendi* et *vendendi*, seu alterius ineundi contractus non gratuiti; *pretio temporali*, hoc est per munus a manu, aut a lingua, aut ab obsequio (1); *aliquid spirituale*, ut sunt virtutes, sacramenta, orationes; vel *spirituali annexum*, ut sunt vasa sacra, ecclesiastica jura patronatus, et beneficia. Cæterum quandoque est contra jus divinum, ut vendere Sacramentum; et quandoque tantum contra jus ecclesiasticum, ut permutare beneficium propria auctoritate (2).

Simonia dividitur in *mentalem*, *conventionalem*, et *realem*. Mentalis est, qua sine conventione datur temporale cum intentione obligandi recipientem ad reddendum spirituale, aut vicissim. Conventionalis, qua datur temporale cum pacto recipiendi spirituale, aut vicissim; absque eo tamen quod utrimque facta sit pacti executio. Demum realis, qua dictum pactum fuit utrimque executione saltem inchoata completum. Si simonia in materia beneficiorum committatur, proprio nomine *Confidentialis* appellatur, quæ tunc occurrit, cum quis alteri dat, cedit, aut procurat beneficium cum confidentia, sive intentione eum obligandi, ut deinceps tale beneficium sibi resignet aut alteri, vel sibi vel alteri, pensionem partemve fructuum solvat.

(1) S. Gregorius ita definit hæc munera: *Munus quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa: munus a manu, pecunia: munus a lingua, favor.* Can. 114, c. 1, q. 1. Tale obsequium foret, si Clericus, nullo accepto stipendio, sub promissione beneficii, in munere secretarii Prælato deserviret, vel Prælati negotium in curia Romana promoveret. Cap. 12, de Simonia. Pecunia indicat rem pretio æstimabilem datam, promissam, vel remissam, uti remissio debiti. Pecunia enim omnium rerum vice fungitur « quidquid homines habent in terra, omnium quorum domini sunt, pecunia vocatur: servus, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum est, pecunia dicitur. » Ideo autem pecunia vocata est, quia antiquitus, quod habebant, in

» pecoribus habebant. » Can. 6, c. 1, q. 3. Favor demum complectitur laudes, commendationes et preces apud potentem pro aliquo cum pacto expresso, vel tacito, ut laudatus laudantem beneficio remuneret. — (2) Reiffenstuel de Sim. n. 24 et seqq.

262. Gravissimum sane scelus est Simonia, ita ut simoniaci hæreticis similes dicantur, et Judam proditorem imitentur. Nihilominus si Simonia pure mentalis sit, nulla plectitur ecclesiastica pœna, quia de internis non judicat Ecclesia; ac proinde solum Deum habet ultorem, et in ea *sufficit per solam pænitentiam suo satisfacere Creatori* (1). Item si pure conventionalis sit absque ulla pacti executione, vel etiam, juxta probabiliorem sententiam, conventionalis mixta cum executione pacti ex una tantum parte, alia repugnante vel inscia, nulla ecclesiastica pœna plectitur, quia nullibi invenitur in jure his Simoniæ speciebus pœna statuta, et aliunde *in pœnis benignior est interpretatio facienda* (2). Ab hac tamen regula excipitur electio Summi Pontificis, in qua Simonia conventionalis punitur (3). Si denique sit realis etiamsi occulta pœnæ ipso jure infliguntur contra Simoniacos ob ingressum in Religionem, ob ordinum collationem, et ob collationem aut confidentiam; in aliis vero casibus, ut in venditione rerum sacrarum, aut ecclesiasticæ jurisdictionis, aut Capellaniarum non collativarum Simonia, etiamsi realis, nullam in jure sancitam refert pœnam (4).

Simoniaci ob ingressum in Religionem contrahunt suspensionem, si collegialiter Simonia sit commissa, et excommunicationem papalem, si commissa sit singulariter (5); professio tamen est valida, sed professus duræ subjiciendus est pœnitentiæ (6). Simoniaci ob ordinum collationem eamdem excommunicationem contrahunt (7); sed præterea ordinans fit suspensus a collatione ordinum, et per triennium ab ingressu in Ecclesiam; ordinatus vero a susceptorum ordinum exercitio, et a promotione ad alios superiores (8). Simoniaci demum in materia beneficiorum, ut electores, præsentantes, conferentes, cedentes, permutantes, aliique, præter eamdem excommunicationem, privantur beneficiis sic obtentis, eorumque fructibus, fiunt inhabiles absque Summi Pontificis dispensatione ad ea,

aliaque quæcumque in posterum obtinenda, et etiam beneficiis ante Simoniam habitis sunt privandi, ac deponendi (9). Verum Simoniaci in collatione Ecclesiarum parochialium, ipso jure, præcedentibus etiam beneficiis privantur (10). Simonia demum confidentialis iisdem fere pœnis, sed a specialibus legibus damnatur (11); et pluribus diversisque modis committitur. Porro hæc Simonia damnatur, etiamsi tantum mixta conventionalis sit, et non realis (12); et committitur per accessum, regressum, ingressum ad unum idemque beneficium (13), et per stipulationem fructuum, vel pensionis in eodem beneficio. Et per hoc differt confidentialis ab alia Simonia in materia beneficiorum, quod illa vertitur super eodem beneficio, hæc vero locum habet quotiescum temporale pro spirituali datur, etiamsi esset aliud beneficium (14).

(1) Cap. ult. de Sim. — (2) Cap. 49. de reg. jur. in 6. Actus tamen, et contractus ita stipulati jure ex communi sententia non consistunt, quia contra legem gesti. Card. Soglia Inst. jur. priv., § 236. — (3) Bul. *Cum tam.* Julii II. Hæc censura Papæ reservata fuit in Bul. *Apostolicæ Sedis* Pii IX. — (4) S. De Ligorio Hom. Apost. l 4. n. 53. — (5) Extrav. *Sane* de sim. int. com. Hæc excommunicatio reservata Papæ fuit a Pio IX, in cit. sua Bulla, quæ de suspensione mentionem non facit. — (6) Cap. 40 de Sim. — (7) Extrav. *Cum detestabile* de sim. int. com. in qua excommunicantur sub reservatione papali omnes dantes et recipientes, mediatores, et non revelantes tantum crimen, quæ subsistere adhuc videtur post citatam Bullam Pii IX eoquod hic Pontifex in suo robore servat censuras Tridentini, et Tridentinum in Sess. 24 caput 14 de ref. pœnas Sacrorum canonum contra Simoniacos reservat. — (8) Cap. 45 de Sim. Reiffenstuel eod. tit. n. 257. Ex iure tamen novissimo cit. Bullæ Pianæ hæ pœnæ suspensionis videntur abrogatæ: nam eadem Bulla de his suspensionibus omnino silet, et abrogat quoad censuras ius antiquum, quod in ea non fuit conservatum; nam ibi Pontifex decernit, mutationes et derogationes omnes et singulas a prædicta sua Bulla constitutionibus anterioribus et sacris Canonibus Conciliorum Generalium etiam Tridentini factas, ratas et firmas esse debere. — (9) Cit. Extrav. *Cum detestabile*, Bul. *Cum primum* S. Pii V, § 3, et Reiffenstuel cit. loc. n. 263, et seqq. Sed. Pius IX in cit. sua Bulla reservatæ excommunicationi submittit tantum reos *Simoniæ realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.* — (10) Tridentinum Sess. 24, cap. 18 de ref. — (11) Bul. *Romanum Pontificem* Pii IV et Bul. *Intolerabilis* S. Pii V § 3. Pius vero IX in cit. Bulla declarat excommunicationi reservatæ subiacere *reos Simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.* — (12) Cit.

Bul. *Intolerabilis* S. Pii V § 3. Dicitur Simonia confidentialis mixta cum ex una parte rei traditio facta fuit. Nec videtur contradicere novissima citata Bulla Piana, quia ab ea damnatur sub excommunicatione papali Simonia confidentialis, et non distinguitur inter realem, et conventionalem mixtam; sed ubi ius non distinguit, neque nos distinguere debemus. — (13) « Accessus, est, ait Card. » Soglia Inst. jur. priv. § 236, quando is, qui ad beneficii collatio- » nem concurrit eligendo, confirmando, aut præsentando, ex inito » pacto confidit idem beneficium sibi, aut alteri resignatum iri; ve- » luti si quis beneficium accipiat, inito pacto cum patrono, illud » suo tempore resignandi in favorem alterius, qui nondum per æ- » tatem habilis est. Regressus, est, cum quis ea conditione benefi- » cium resignat ut resignatarius sibi vel alteri idem beneficium red- » diturus sit; puta si quis infirmitate correptus alteri beneficium » suum resignet cum pacto in idem beneficium regrediendi, si con- » valuerit. Ingressus, est, cum quis beneficium sibi collatum, et non- » dum possessum eo pacto resignat, ut in illud postea ingrediatur, » si resignatarius vita periclitari, aut meliori beneficio donari con- » tigerit. » Cit. Bul. *Intolerabilis*. — (14) Propterea si quis beneficium resignet ea conditione, ut resignatarius aliud suum beneficium renunciet in favorem tertii, vel præsentans, aut conferens beneficium recipiat temporale pretium, quod ex eo beneficio non proveniat, erit quidem Simonia conventionalis vel realis, non vero confidentialis, Cit. Soglia eod. loc.

263. Blasphemia est *verbum contumeliosum in Deum prolatum*. Verbum tamen hoc habetur in Deum prolatum, cum in Beatissimam Virginem Mariam, aut Sanctos profertur, quia ut in Virgine, et Sanctis colitur Deus, ita etiam offenditur. Blasphemia dividitur in *hæreticalem*, et *simplicem:* hæreticalis est, cum aliquid fidei contrarium de Deo asseritur, vel negatur; simplex vero, cum absque errore in fide, quis Deo imprecatur. Hæreticalis recensetur inter delicta mere eeclesiastica, simplex autem inter mixta. Blasphemi in veteri Hebræorum lege erant morte mulctandi, lapidibusque obruendi (1); ex jure canonico sunt deponendi, si Clerici, et anathematizandi, si laici (2); quæ pœnæ adauctæ fuerunt a posterioribus Summis Pontificibus, et præsertim a Leone X (3), a S. Pio V (4), qui inter cætera illud decrevit, quod Clericus blasphemus pro prima vice, fructibus unius anni beneficiorum suorum, pro secunda, ipsis beneficiis privetur, et pro tertia, deponatur (5).

(1) Levit. cap. 24. — (2) Can. 10, c. 22, q. 1. — (3) Bul. *Supernæ*. — (4) Bul. *Cum primum*. — (5) Reiffenstuel de maled. n. 20. Sed insuper blasphemi ex jure civili aliis pœnis corporis afflictivis coercendi sunt, quod boni Rerumpublicarum duces quovis tempore suis legibus exequi curarunt, pœna triremis, carceris, aut mitiori pœna blasphemos plectendo. Cum vero hoc blasphemiæ crimen infaustis hisce temporibus nimium frequens, et quasi commune factum sit, S. Congregatio Inquisitionis pro Statu Pontificio Litteram encyclicam recenter emisit, qua mandat, ut, sola veritate rei inspecta, summarie contra blasphemos procedatur, et u correpti in flagranti crimine in carcere detrudantur. Anal. jur. Pont. ad an. 1857, pag. 2676.

264. Sacrilegium, est *violatio personæ, rei aut loci Deo sacri;* et ut blasphemia Deo injuria irrogatur verbis, ita in sacrilegio factis; ac proinde pro ea parte, qua injuria tantum Deo irrogatur ad delicta mere ecclesiastica pertinet. Sacrilegium triplex est, nempe *personale*, quod committitur in personis Deo sacris, ut per peccatum contra sextum, et per percussionem; *reale*, quod committitur in rebus Deo sacris, ut per profanationem, perque furtum, quod fit auferendo *sacrum de sacro*, *sacrum de non sacro, et non sacrum de sacro*, sicut Doctores loquuntur; ac denique *locale*, quod committitur in Ecclesia per irriverentiam, perque pollutionem. Jam vero sacrilegium personale per percussionem, papalis excommunicationis pœna punitur (1); alii vero sacrilegii casus ex jure canonico puniuntur pœnis arbitrariis (2).

Huc spectat magnum illud delictum, quod Confessarius in audiendis confessionibus committit, quando in actu confessionis, vel ante, vel immediate post, occasione, aut prætextu confessionis, vel etiam extra confessionem in loco ad audiendas confessiones destinato, ad inhonesta, et turpia pœnitentem provocat. Hoc delictum *sollicitatio* dicitur, et ob triplicem allatam rationem infandum sacrilegium est; nam sacram personam ipsius confessarii offendit, rem sacram, scilicet sacramentum Pœnitentiæ, profanat, et sacrum locum, vel Ecclesiam deturpat: unde gravissimis pœnis a jure plectitur; et quidem post plures Summorum Pontificum constitutiones, Benedictus XIV (3) contra delinquentes infert suspensionem ferendæ sententiæ ab ordine, et beneficio, et per-

petuam inhabilitatem ad Missæ celebrationem (4): insuper præcedentem Bullam confirmans Gregorii XV (5) mandat, ut sollicitatores a sollicitatis Inquisitori, vel Ordinario denuncientur, ut confessarii teneantur pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos, de obligatione denunciandi sollicitatores monere, et ut eos, nisi facta denunciatione, non absolvant. Quod si hujusmodi impii confessarii sollicitatos audeant docere, non adesse onus denunciationis, si apud ipsos confiteantur, vel si eos absolvant in peccato turpi lapsos, excommunicationem incurrant Papæ reservatam, invalide, excepto mortis articulo et necessitate, absolvant, et merito de hæresi suspecti habeantur (6).

(1) Cap. 22, de sent. excom. — (2) Ex jure vero civili gravissimis temporalibus pœnis quandoque plectuntur sacrilegi, et plecti semper debent a catholico Principe. — (3) Bul. *Sacramentum Pœnitentiæ*. — (4) Probabi iter ad incurrendam hanc inhabilitatem requiritur judicis declaratio; ab ea tamen Episcopus dispensat, si sit occulta, quia provenit ex delicto occulto. — (5) Bul. *Universi Dominici gregis*. — (6) In pœnis proferendis caute procedendum est, et in praxi regula est, ut denunciatus Confessarius, ad primam denunciationem *vigiletur*, ad secundam *vigiletur attentius*, et ad tertiam contra ipsum *procedatur*. Quomodo autem procedatur dicimus in nostra Theorica et Praxi Regiminis Diœcesani — Quæ supra de sacrilegis per clericorum percussionem diximus confirmantur a notissimo Canone *Si quis suadente diabolo*, c. 17, q. 4. Inter alios deinde sacrilegos notandi sunt, qui per furtum sacrum cum Ecclesiæ effractione res Ecclesiæ surripuerunt, qui excommunicationem papalem ex iure antiquo incurrunt, cit. cap. 22, de sent. excom. Iure autem novissimo ex Bulla *Apostolicæ Sedis* Pii IX, certum est, percussores clericorum incurrere excommunicationem Papæ simpliciter reservatam; nam ipse Pontifex in ea edixit huic reservationi subiacere *violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus, et personis, de quibus jure aut privilegio permittitur, ut Episcopus, aut alius absolvat*. Similiter certum videtur sustineri tamquam reservatam excommunicationem contra prædictos Ecclesiarum effractores; quia licet eos non nominet citata Piana Bulla, percutit tamen Concilium Tridentinum, cuius censuræ in suo robore manent ob expressam eiusdem Bullæ declarationem. Hoc quidem Concilium innovat, et exacte ab omnibus observari mandat *sacros canones, et concilia generalia, nec non alias Apostolicas sanctiones in favorem ecclesiasticarum personarum, libertatis ecclesiasticæ, et contra eius violatores editas*. Sess. 25, c. 20, de ref. Demum cit. Bulla Piana excommunicationem speciali modo Papæ reservatam

pronunciat contra *absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius sacerdos licet non approbatus ad Confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.* Sed insuper excommunicationem nemini reservatam pronunciat contra *negligentes, sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios, sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Prædecess. nostris Gregorio XV. Constit.* Universi 20 *Augusti 1622, et Benedicto XIV. Constit.* Sacramentum pœnitentiæ *1 Junii 1741.*

265. Sortilegium est *divinatio per sortes, aut falsa signa ad futura, vel occulta cognoscenda;* sed late sumptum omnem superstitionem, et divinationem, et magiam comprehendit (1). Sortes mittere absque speciali Dei inspiratione, ut plurimum, nefas est, etiamsi ordinarentur ad bonum. Nefas profecto est occultorum manifestationem a dæmone quærere, aut a fortuna quæ Gentilium deus erat, quia idololatrica sortitio foret. Nefas quoque est, occultorum manifestationem, modo extraordinario absque superno instinctu, et gravi necessitate, a Deo exquirere quod Dei tentatio foret. Sic non est licitum sorte, apertis sacrorum etiam librorum paginis, futura et occulta inquirere (2); nec astrologicis inspectionibus quærere, ut furtum Ecclesiæ factum reperiatur, et recuperetur (3); nec electiones ecclesiasticas per sortes facere, quæ, si fiant, ipso jure nullæ declarantur (4); nec damnatis superstitionibus uti ad victoriam in ludo, vulgo *Lotto*, quærendam (5); nec va icinationes de statu reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, sive de vita, et morte Romani Pontificis pro tempore existentis, ejusque usque ad tertium gradum consanguineorum (non affinium) recipere, et retinere (6). Nihilominus licitum erit ex. gr. sorte agros, vel hæreditatem dividere, lites et discordias componere, et quis prius in bello in hostem impetum facere debeat determinare, modo religiose, juste et recte id fiat (7).

Multis modis committitur sortilegium, sicut exponunt Canonistæ et Theologi, quos per summa capita indicat Sixtus V (8) qui inter alia hæc habet: *Alii præterea etiam in corporibus obsessis, vel lymphaticis, et phanaticis mulieribus, dæmones, de futuris, et occultis rebus, aut factis, exquirunt, ut merito ab eis, quos Dominus in Evangelio tacere*

imperavit, vanas, mendacesque referant responsiones. His verbis nobis videntur significati etiam hodiernorum temporum Magnetizatores, qui præstigio somnambulismi, et clare intuitionis per mulierculas gesticulationibus non semper verecundis abreptas *invisibilia quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota et longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario præsumunt* (9). Hi quidem videntur novi Pythones, et novæ Pythonissæ. Gravissimum sane crimen est sortilegium, quod idololotriam, vel hæresim sapit, quodque propterea gravissimis plectitur pœnis, uti est infamia, in laicis olim excommunicatio, in Clericis depositio, et privatio beneficiorum; sed delinquentes gravioribus adhuc plectendi sunt pœnis pro criminis immanitate (10).

(1) Doctor. ad tit. de sortil. — (2) Cap. 1, de sortil. — (3) Cap. 2, eod. — (4) Cap. 3, eod. — (5) Mot. propr. Clementis relat. a Giraldo ad tit de sortil. — (6) Bul. *Inscrutabilis* Urbani VIII. — (7) Sortes ex divina revelatione, vel inspiratione, esse licitas, nemo dubitare potest. Plurima enim fuerunt in veteri lege per sortes definita, ut legimus penes Gratianum in princ. caus. 26, quæst. 2, et penes Gonzales ad cap. 1, de sortil. n. 5; et ipsi Apostoli per sortes S. Matthiam in Apostolum elegerunt. Act. Apost. cap. 1. — (8) Bul. *Cœli et terræ.* — (9) Epist. Encycl. S. Inquisitionis ad omnes Episcopos, 4 aug. 1856. Ead. S. Inquisitio interrogata prius die 28 jul. 1840, statuerat hoc principium: *Applicatio principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita, et hæreticalis.* Interrogata similiter anno 1841, die 20 april., et 19 maii, an usus magnetismi foret licitus, respondit: *Usum, sive exercitium magnetismi, prout in casu exponitur, non licere.* Deinde, crescente abusu hujus detestabilis superstitionis necessarium judicavit, usum magnetismi severe interdicere, et insimul auctores, cooperatores, et factores punire. Unde in Encyclica ad Episcopos, et Inquisitores status Pontificii diei 21 mai 1856, eisdem præcepit, ut contra delinquentes procederent summarie, via œconomica, inspecta rei veritate, prævio virorum sapientum, et religiosorum consilio, pœnis proportionatis, etiam pœna carceris, injuncto onere certiorandi ipsam S. Congregationem, si circumstantiæ trahentes hæresim rigorosum juxta sacros canones processum postularent. In alia demum Encyclica ejusdem diei, et anni ad omnes orbis Episcopos, postquam declaravit, per magnetismum *novum quoddam superstitionis genus invehi*, ejusque media physica ordinari *ad effectus non naturales*, eosdem docuit, in magnetismo *reperiri deceptionem omnino illicitam, et hæreticalem, et*

scandalum contra honestatem morum. Quare *ad tantum nefas et religioni, et societati infensissimum efficaciter cohibendum* mandavit, ut omnem impenderent operam ad magnetismi abusus reprimendos, et avellendos, ut Dominicus grex defenderetur ab inimico homine, et depositum fidei sartum, tectumque custodiretur. — (10) Uti est degradatio, et traditio curiæ sæculari. Bul. cit. *Inscrutabilis;* perpetuus carcer, si sortilegus per maleficium damnum intulerit notabile. Bul. *Omnipotentis* Gregorii XV; et perpetua inhabilitas ad celebrationem Missæ, si sacrificio Missæ ad sortilegia usus fuerit. Decret. S. Inquisitionis an. 1745, a Benedicto XIV confirmat. Giraldus ad tit. de sortil.

266. Delicta mere ecclesiastica, sive a Clericis, sive a laicis patrata, per judicem ecclesiasticum, juxta sacrorum canonum dispositionem, cognoscenda, et punienda sunt. Nihilominus ultra debitam ejusdem animadversionem quandoque a judice civili adhuc coercentur; et quidem in laicis sine distinctione in vim legum civilium; in Clericis vero eo tantum casu, in quo agitur de delicto privilegiato, vel excepto ex Pontificis cum Principe conventione (1).

(1) Devoti Inst. can. lib. 4, § 5 et seqq.

TITULUS XXV.

DE DELICTIS MERE CIVILIBUS.

SUMMARIUM: 267. Quale sit crimen læsæ majestatis, et quot modis committatur? — 268. Qui sit homicidium, et quot ejus species? — 269. Duellum omni jure damnatur. — 270. Abortum quam habeat deformitatem, et quando committatur? — 271. Quæ sint homicidii pœnæ? — 272. Quid sit falsum, et quot modis committatur? — 273. Quid furtum, et quibus aliis nominibus designetur? — 274. Quid injuria et damnum injuria datum? — 275. Quæ delicta vocentur mixta? — 276. Quid fornicatio, et quæ hujus pœnæ? — 277. Concubinatus gravissime punitur. — 278. Quid stuprum, et adulterium? et quæ eorum pœnæ? — 279. Quid incestus, et sodomia, et quæ eorum pœnæ? — 280. Pœnæ contra incontinentes a judice sunt declarandæ. — 281. Clericus hac de causa diffamatus debet se purgare. — 282. Quis sit judex competens in delictis civilibus, et mixtis?

267. Plura sunt mere civilia delicta, ut læsæ majestatis, homicidii, falsi, furti, injuriarum, etc.; de quibus nostrum non est agere, nisi quatenus pœnis spiritualibus plectuntur, aut committuntur a Clericis.

Delictum, sive crimen læsæ majestatis est *machinatio, sive conspiratio contra vitam, dignitatem, seu potestatem Principis, vel alterius, cui Princeps talem concesserit potestatem.* Majestatis autem nomine intelligitur summa in cives, ac subditos legibus soluta potestas, quæ duplex est, ecclesiastica, et secularis. Quare læsæ majestatis reus est, qui machinatur in Summum Pontificem: imo ratione Pontificis incidit in crimen, qui in Cardinales, Legatos, Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos conspirat (1): et ratione Principis incidit in crimen, qui contra personam de ejus familia, aut contra ejus auctoritatem conspirat (2).

Hoc infandum delictum committitur *conspiratione*, cum plures in majestatem machinantur; *conjuratione*, cum plures juramenti fœdere in majestatem junguntur; *rebellione*, cum bello devicti, post fidelitatem juratam, iterum in majestatem arma vertunt, qui ideo dicuntur rebelles, quasi revertentes ad bellum; *seditione*, cum plures ab aliis dividuntur, et factiones in majestatem agunt, quæ seditio dicitur quasi *seorsum itio;* ac denique *perduellione*, cum quis in majestatem insurgit, sibi ejusdem auctoritatem usurpans, qui perduellis appellatur, quasi sit ad duellum accinctus. Post læsam majestatem divinam, de qua egimus in titulo præcedenti, hoc est maximum crimen, quod privatione beneficiorum, inhabilitate ad alia beneficia, et officia ecclesiastica, et excommunicatione Summo Pontifici reservata, aliisque pœnis a jure canonico plectitur (3).

(1) Cap. 2, de pœn. in 6. — (2) Can. 22, c. 6, q. 1. — (3) Cap. 5, de pœn. in 6. Unde apparet, quam falsa sit, et hominum societati infensa illa nova doctrina, quæ rebellionem licitam proclamat, quæque nuper damnata in sequenti propositione fuit: « Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet. » Syllab. propr. 63. — Sed hic præcipue notandum quod sancivit Pius Papa IX, in sua nuperrima Bulla *Apostolicæ Sedis*, in qua excommunicationi Romano Pontifici reservatæ subiicit in hac materia: 1° *Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis diœcesibus, Territoriis, Terris, aut Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes auxilium in eis, consilium, vel favorem.* 2° *Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad*

forum sæculare, eiusque mandata procurantes, edentes, vel auxilium, consilium, vel favorem præstantes. 3° Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones; item edentes leges vel decreta contra libertatem, aut iura Ecclesiæ. 4° Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios lædentes, vel perterrefacientes.

268. Homicidium, quod solo nomine horret, est *hominis occisio ab homine facta.* Multæ traduntur a Doctoribus homicidii species; sed nobis aliud est *voluntarium*, aliud *casuale:* voluntarium in *simplex*, et *qualificatum*, partitur; et hoc iterum in *assassinium*, ubi fiat cum præmeditatione; in *proditionem*, ubi fiat per dolos et insidias; in *parricidium*, ubi fiat in parentibus, aut sanguine, vel affinitate proxime conjunctis; ac demum in *sacrilegium*, ubi fiat in persona Deo sacra. Homicidium voluntarium appellatur, cum directe, et per se, aut indirecte ei præbendo causam intenditur, ut in procurante abortum (1), licet non habeat intentionem occidendi infantem (2). Casuale dicitur, quod nec directe, nec indirecte intenditur, sed casu omnino contingit, ut in eo, qui circumspiciens, et neminem videns, projicit perticam de curru et puerum vulnerat (3). Simplex est, quod mala voluntate caret, ut in eo, qui percussit intuitu disciplinæ (4), vel in ludo (5); aut malam voluntatem habet absque speciali aggravante circumstantia, ut in rixa, vel in subito iræ impetu. Qualificatum denique est, quod præter malam voluntatem habet specialem aggravantem circumstantiam adjunctam, ut supra innuitur (6).

(1) Rei quoque censentur esse ex hoc capite genitores, qui tenellos pueros secum in eodem lecto somni tempore reponunt, ex quo ipsorum puerorum suffocatio quandoque contingit. — (2) Cap. 5 et 20, de homicid. can. *Consuluisti* c. 2, q. 5, in quo ex sententia Stephani V, hæc leguntur: *Si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quanto magis qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit?* — (3) Cap. 14, de homicid. Hoc homicidium non imputatur ei, qui dedit operam rei licitæ, nec fuit in culpa, quia, ut ait Innocentius III, *nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit,* cap. 13, eod. Reiffenstuel de homi-

cid. § 5. — (4) Cap. 7 de homicid. — (5) Cap. 8 et 9 eod. — (6) Voluntarium homicidium potest esse justum, et non culpabile, ut in judice qui pœnam capitis pronunciat ex lege, in milite qui in bello justo inimicum interficit, et in aggresso, qui injustum aggressorem necat, servato moderamine inculpatæ tutelæ, quia ex sententia Innocentii III *Vim vi repellere omnes leges, et omnia jura permittunt.* Cap. 18 de homicid. Reiffenstuel, eod tit. § 3 et 4.

269. Quamdam qualificationem habet homicidium per duellum, et per fœtus animati abortum. Duellum sic appellatum, quasi duorum bellum, est pugna singularis armis ex condicto suscepta, designato loco et tempore, inducens periculum mortis, aut mutilationis. Duellum privata auctoritate indictum detestantur, et execrantur Patres Concilii Tridentini, quod in perniciem corporum, et animarum, fabricante diabolo, introductum dicunt (1). Gravissime damnatur sane ab omni jure, naturali, divino, ecclesiastico, et civili (2). Tridentinum damnat duellum publicum et solemne, eosque punit, qui pugnam commiserint; sed Gregorius XIII, etiam privatum, et minus solemne sine patrinis, sociis, loci securitate, ac sine litteris provocatoriis, aut denunciationis chartulis (3); et damnatio extenditur a Clemente VIII, ad omnem provocationem, et cooperationem attentatam, etiam non sequuta pugna, neque facto accessu ad locum, et ad omnes operationes circa chartulas, vel disfidationis nuncia, licet provocationes intimatæ non fuerint adversario, si per ipsos cooperantes non steterit, quominus intimarentur (4).

(1) Trid. sess. 25, c. 19, de ref. — (2) Bul. *Detestabilem* Benedicti XIV. Duellum, ut ait Zallinger, repugnat naturali ac divino præcepto: *Non occides;* proindeque obest supremo dominio Dei in vitam, mortemque hominum: obest naturali erga se ipsum, et alios charitatis præcepto: obest juribus uxoris, familiæ, reipublicæ, quibus duellantes adstricti sunt. Lib. 5 Decret. § 174. — (3) Bul. *Ad tollendam*, et Bul. *Firmum.* — (4) Bul. *Illius vices* Clementis VIII. Giraldus ad cap. 19, sess. 25. Trid. de ref. Hac de re considerandæ sunt propositiones a S. Sede damnatæ. Ab Alexandro enim VII damnata fuit propositio sequens: *Licet viro equestri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Ab Innocentio vero XI damnata fuit alia sequens propositio: *Licet defensione occisiva vel ipsis clericis, et religiosis tueri honorem, dum alia declinandæ calumniæ via*

non suppetat. Demum Benedictus XIV damnatione sequentes propositiones confixit: 1ª *Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.* 2ª *Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse sequuturam, utpote ab aliis impediendam.* 3ª *Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux, vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, et officii.* 4ª *Licitum est in statu hominis naturali acceptare, et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.* 5ª *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinato, in quo nimirum, vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.* Bul. cit. Benedicti XIV *Detestabilem.* — Pius vero IX in sua Bulla *Apostolicæ Sedis* censurarum ecclesiasticarum latæ sententiæ limitativa excommunicatos sub papali reservatione declarat *duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem præbentes nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.*

270. Abortum fœtus animati est infanticidium, et si fiat a parentibus etiam parricidii species. Committitur quando percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri prægnanti impositis, aut alio quocumque modo, fœtus immaturi de utero matris ejectio, aut subactio malitiose sive in se, sive in altera procuratur. Quando autem fœtus sit animatus absolute definiri non potest; sed illud certum videtur, nec statim post conceptum animari, licet plerique hoc affirment, quia ad hoc requiritur, ut fœtus sit formatus, et figuram hominis induerit; nec eo tantum tempore animari, cum in lucem venit; nam Innocentius XI, hanc damnavit propositionem: *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tum primum incipere eam lem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* In praxi tamen S. Pœnitentiariæ, ut testantur communiter Doctores, quoad irregularitates, et alias pœnas, hoc observatur, ut fœtus habeatur animatus in maribus post 40, et in feminis post 80, a conceptu dies, et ut in dubio præsumatur mas (1).

(1) S. De Ligorio l. 3, n. 394 et seqq. Si fœtus non sit animatus vere infanticidium non committitur; sed scelus est maxime detestabile, quod reum quasi homicidam facit, quia finem a natura intentum destruit, etiamsi id fieret ad infamiam, vel mortem vitandam. Hinc a præfato Innocentio XI damnata fuit sequens propositio: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Ob eamdem causam sub homicidii specie prohibita est sterilitatis procuratio. Nam *si quis*, ait Ecclesiæ lex, *causa explendæ libidinis, vel odii meditatione homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida teneatur.* Cap. 5, de homicid.

271. Pœna homicidii voluntarii ex jure divino est ultimum supplicium: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius* (1); *qui percusserit, et occiderit hominem, morte moriatur* (2). Ex jure vero canonico laici homicidæ sunt excommunicandi, nisi pœnitentia crimina diluerint (3); Clerici autem beneficiis, et officiis perpetuo privandi sunt (4), et in monasterium ad agendam pœnitentiam recludendi (5). Quod si pluries hoc flagitium perpetraverint, sunt anathematizandi, et degradandi (6). Præterea in omnibus adjungenda est pœna irregularitatis; in abortu, pœna excommunicationis reservatæ Episcopo (7); in sacrilegio, pœna excommunicationis reservatæ Pontifici propter violatum privilegium canonis; et demum in duello, pœna excommunicationis similiter reservatæ, ac privatio sepulturæ ecclesiasticæ, etiamsi reus signa pœnitentiæ dederit, et sacramenta receperit (8).

(1) Genes. c. 9. — (2) Levit. c. 24. — (3) Can. 20, c. 24, q. 3. — (4) Can. 12, dist. 81; et Trid. sess. 14, c. 7, de ref. — (5) Cap. 6, § fin. de homicid. Notandum tamen est, quod in pluribus casibus homicida ipso jure beneficiis privatur, ut contingit in assassinio, in occidente Papam, vel Cardinalem, vel Episcopum, vel suum Prælatum, vel conbeneficiatum, vel aliquem in odium S. Officii. Giraldus ad cap. 7, sess. 14. Trid. de ref. — (6) Cap. 10 de judic. — (7) Bul. *Sedes Apostolica* Gregorii XIV. Hæc pœna habet locum tantum in abortu fœtus animati; nam idem Gregorius mitigavit Bullam *Effrenatam* Sixti V, et quoad fœtum inanimatum rem deduxit ad jus commune. Duo præterea hic notanda sunt: Primum, quod, licet excommunicatio sit reservata tantum Episcopo, reliquæ pœnæ, ut irregularitas, et inhabilitas ad beneficia et officia ecclesiastica, Summo Pontifici reservatæ manent. Secundum quod privatio beneficiorum, et officiorum incurritur ipso jure saltem post sententiam criminis declaratoriam. — (8) Trid. sess. 25, c. 19, de ref. et Bul. *Detesta-*

bilem Benedicti XIV. Clerici insuper ob hoc crimen excidunt a quacumque dignitate, beneficio, et officio, et in dictas pœnas incidunt suadentes duellum, comitantes, præbentes arma, mittentes libellum, et quomodolibet ei cooperantes, de industria spectantes, fautores, criminis participes, illudque permittentes. Zallinger l. 5, § 175; insuper et Principes territorium concedentes. Trid. sess 25, c. 19 de ref.; immo et loca ipsa certaminis incurrunt eo ipso interdictum Papæ reservatum. Giraldus ad cit. cap. Trid. V. cit. Bullam Pianam.

272. Falsum *est actus dolosus animo corrumpendæ veritatis ad decipiendum alium adhibitus.* Multis modis committitur, nempe dicto, facto, scripto, et usu. Dicto falsarius est, ex. gr. testis, in judicio mendacium proferens, aut verum dolo malo supprimens (1), qui si Clericus sit, deponendus, et in monasterium, vel in carcerem detrudendus est (2). Facto falsarius est, ex. gr. corrumpens, vel effingens monetam, qui si Clericus sit, ex jure communi est perpetuo beneficiis privandus (3), et in Italia est degradandus (4). Scripto falsarius est, ex. gr. notarius falsum instrumentum scribens, et violator Litterarum Apostolicarum, qui excommunicatione punitur Summo Pontifici reservata (5). Usu demum falsarius est, ex. gr. falsum ab aliis paratum adhibens, uti est falsum instrumentum, vel testimonium in judicium producens, qui si Clericus sit, deponendus est, et in monasterium detrudendus (6).

(1) Cap. 1 de crim. fal. — (2) Can. 7, dist. 50. — (3) Extrav. *Spondent* de crim. fal. int. com. — (4) Bul. *In suprema* Urbani VIII. — (5) Reiffenstuel de crim. fal. n. 12 et 33. — (6) Cit. can. 6, dist. 50. Hic illud adhuc notamus, quod falsarii, qui accusant Confessarium sollicitationis, non possunt absolvi, nisi a Papa, mortis articulo excepto. Bul. *Sacramentum Pœnitentiæ* Benedicti XIV. — Iure tamen novissimo statuto a Pio IX in sua Bulla *Apostolicæ Sedis* falsarii litterarum apostolicarum subiiciuntur excommunicationi speciali modo Romano Pontifici reservatæ; decrevit enim ibi Pontifex dictæ reservationi obnoxios esse *omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. E. R. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato Eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes Vice-Cancellarii aut Gerentis vices prædictorum.* Pariter decrevit excommunicationi Episcopis reservatæ obnoxios esse *Litteris Apostolicis falsis scienter utentes vel crimini ea in re cooperantes.*

273. Furtum *est contrectatio fraudulenta rei alienæ animo lucrifaciendi ipsam rem, vel ejus usum, vel possessionem, invito rationabiliter domino.* Consequenter furtum committitur, cum auferuntur ipsæ res corporales mobiles, cum impeditur earum usus, ut si rem locatam locator auferat, aut conductor ea præter conventionem utatur; et cum violatur earum possessio, ut si pignus a creditore auferatur, aut creditor, soluto debito, pignus possideat. Sed pro diversitate rerum, ac modorum, quibus committitur, diversa sortitur nomina. Etenim furtum commissum in homine libero proprie dicitur *plagium*, quod in Exodo punitur morte: *Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur* (1). Furtum commissum violenter contra dominum dicitur *rapina;* quæ, si fiat in mari contra catholicos eos spoliando, punitur excommunicatione Summo Pontifici reservata, a qua absolutio, nisi facta restitutione, non datur (2). Furtum commissum exturbando armenta a pascuis, eaque surripiendo, dicitur *abigeatus*, sive *abigatus*. Furtum denique commissum in publico ærario, aut in pecunia Ecclesiæ ab eo, cujus fidei fuit tradita, dicitur *peculatus*. Cæterum clericus furti manifesti reus, et condemnatus, ab ordine, et officio est deponendus (3); et si recidivus sit, excommunicandus et degradandus (4).

Ad furtum refertur etiam usura, scilicet lucrum ultra sortem, quod ex mero mutuo absque alio titulo percipitur. Hæc usura, quæ a Doctoribus appellatur stricte lucrativa, omni jure naturali (5), divino (6), et ecclesiastico (7) prohibita est, et qui eam exercet, tamquam fur tenetur ad lucri percepti restitutionem (8), fit infamis, quando usura est manifesta, ac propterea irregularitate notatur (9), repellitur a communione altaris, a sepultura ecclesiastica, nec ejus recipiuntur piæ oblationes, nisi, si possit, restituat, vel de restituendo caveat (10). Clericus denique suspendendus, aut deponendus est; et laicus excommunicandus (11).

(1) Exod. c. 21. — (2) Bul. *Cœnæ*, et cap. 3, de raptor. etc. hæc pœna nunc videtur sublata, quia de ea nulla fit mentio in Tridentino et in Bul. *Apostolicæ Sedis* Pii IX. — (3) Can. 12, dist. 81. —

(4) Cap. 10, de judic. Insuper S. Canones statuerunt, orandum non esse pro furibus, et latronibus, si furando, vel depredando occidantur. Can. 31, c. 13, q. 2 et cap. 2 de furt. — (5) Jure naturali usura prohibetur, quia cum mutuum sit contractus realis servanda est æqualitas inter datum, et acceptum, et cum sit contractus gratuitus, sive beneficientiæ, usuris onerandus non est mutuatarius, alioquin fieret contractus lucrativus, quod est contra ejus naturam. (6) Exod. 22, 25. Levit. 25, 36; ibi enim legitur: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Et quod ita sit ex jure divino interdicta usura, summi Pontifices, et sacri canones satis aperte declararunt: nam Alexander III, in cap. 3, de usur. declaravit, usuras damnari ex *utriusque Testamenti pagina*; et Clemens V in Concilio Viennensi definivit, usuras esse *contra jura divina, pariter et humana.* Clem. *Ex gravi* de usur. — (7) Ecclesia usuras semper damnavit in conciliis suis, ut in Niceno I, in Lateranensi II et III. Devoti lib. 4, tit. 16, in not. in summorum Pontificum constitutionibus, ut patet ex distinctione 47, ex causa 14, q. 3 et 4, decreti Gratiani, et titulis de usuris Decretalium, sexti Decretalium, Clementinarum, et ex Encyclica Benedicti XIV *Vix pervenit*, et sanctorum Patrum scriptis. Devoti ibid. — (8) Cap. 3, de usur. cap. 2, eod. in 6. — (9) Can. 2, § *Porro*, c. 3, q. 7 et cap. 11, de excess. prælat. — (10) Cit. cap. 3, de usur. et cap. 2, eod. in 6. — (11) Cap. 7, eod.

274. Injuria, sive injuriarum delictum est *læsio in corpus, vel dignitatem, aut famam hominis liberi dolo perpetrata*, quam quisque patitur in se, et in personis sibi conjunctis, ut pater in filio, maritus in uxore, etc. Committitur autem: dicto, ut per convitium; facto, ut per verberationem; et scripto, ut per libellum famosum, qui nihil aliud est, quam chartula quædam ad alterius infamiam ab ignoto auctore scripta, vel picta, et publicata. Pœna in genere contra scribentes famosos libellos est excommunicatio ferendæ sententiæ (1).

Injuriæ personæ illatæ affine est damnum rebus injuria datum; ideirco hæc duo simul junguntur in eodem Decretalium titulo: *De injuriis, et damno dato.* Hoc nomine intelligitur damnum, quod dolo rei alienæ infertur absque ulla inferentis utilitate, quod potissimum affertur ab illis, qui ædificia, aut segetes succendunt. Iniqui autem hujusmodi incendiarii gravissimis pœnis etiam spiritualibus plectuntur: nam incendiarii ecclesiarum propter rerum sacrarum violationem ipso jure excommunicatione percelluntur (2), a qua ante denunciationem possunt

ab Episcopo absolvi, post denunciationem vero non nisi a Summo Pontifice (3). Aliarum deinde rerum incendiarii sunt excommunicandi, et si absque pœnitentia, et satisfactione decedant, ecclesiastica sepultura privantur (4).

(1) Can. 1, 2, 3, c. 5, q. 1. Huic pœnæ adjungitur perpetua infamia. Bul. *Ea est rerum* Gregorii XIII. Hi libelli majorem gravitatem gerunt cum scribuntur contra Romanum Pontificem, et regimen Ecclesiæ Romanæ, cap. 1 de maled. et ibi Doctores, ac præsertim Giraldus. Si scribuntur contra Ordinem Prædicatorum, vel Minorum S. Francisci, rei non possunt absolvi, nisi a Summo Pontifice. Giraldus ibid ; si contra institutum Societatis Jesu, percelluntur excommunicatione Papæ reservata, et inhabiles fiunt ad beneficia. Bul. *Ascendente Domino* Gregorii XIII. Verum quando libellus præjudicat tantum personæ, melius est, ut remittatur injuria ad exemplum Christi Domini, et S. Pii V. Giraldus cit. loc. — (2) Can. 107, c. 11, q. 3. — (3) Cap. 19 de sent. excom. — (4) Can. 32, c. 23, q. 8 et cap. 5 de rapt. et incend. Sed jure novissimo excommunicatio videtur sublata a Bulla *Apostolicæ Sedis* Pii IX.

275. Ita perstrictis mere civilibus delictis, ad mixta progredimur, quæ simul Religionem, et Rempublicam lædunt. Plurima hujusmodi sunt delicta; sed hic præcipua tantum commemoramus, quæ contra sextum Decalogi præceptum committuntur, uti est fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, et sodomia: quæ crimina ab omni lege divina et humana gravissimis plectuntur pœnis, quia ex ipsis omnia fere dimanant Religionis, et Reipublicæ mala (1).

(1) Hoc persensit ipsemet Horatius, dum sic aurea canebat lyra in od. 6, l. 3: *Fœcunda culpæ sæcula nuptias — Primum inquinavere, et genus, et domos — Hoc fonte derivata clades — In patriam, populumque fluxit.*

276. Fornicatio, id est copula carnalis soluti cum soluta jam corrupta (1), est infandum scelus; nam, ut ait D. Paulus: *Omnis fornicator, et immundus non habet hæreditatem in regno Christi, et Dei* (2). Quare fornicarii gravibus plectuntur pœnis, quia nedum fornicatio est contra naturam ob vagum concubitum (3); sed et in Clericis sacris ordinibus insignitis est et sacrilegium. Ideo laici hujus criminis rei ex præscripto Concilii Neocæsareensis

non poterant inter clericos cooptari; et si per ignorantiam cooptati fuissent offerendi munere erant privandi (4). Clerici vero a jure sacro variis puniuntur pœnis, nimirum pœnitentia decem annorum quodam determinato modo peragenda (5), ingressu in ecclesiam, si pœnitentiam noluerint adimplere (6), suspensione ab officio, et beneficio (7), privatione beneficii (8), et depositione (9). Hinc Episcopus ex his pœnis eam potest infligere, mitiorem, vel rigidiorem, quam, pensatis circumstantiis personarum, et delicti, opportuniorem in Domino judicaverit (10); unde Doctorum mos est affirmare, fornicationis pœnam esse judici arbitrariam (11).

(1) Dicimus *jam corrupta*, quia in virgine foret stuprum. — (2) Ad Ephes. 5. — (3) Gonzales ad cap. 6, de cohab. cler. et mul. n. 4. — (4) Can. 9, tom. 1, Concil. colum. 1511, Collect. Labbæi. — (5) Can. 5, dist. 82. — (6) Can. 15, dist. 81. — (7) Can. 6, dist. 81, et ib. Gloss. — (8) Can. 16, dist. 81. — (9) Can. 24, Apostol. et can. 12 et 13, dist. 81. — (10) Gloss. in cit. can. 5, dist. 82, verb. *decem annis*. — (11) Reiffenstuel de cohab. cler. et mul. n. 49. Devoti l. 4, t. 15.

277. Consuetudinaria fornicatio, sive concubinatus, gravius, ut æquum est, punitur; etenim laici hujus criminis rei ter sunt monendi, inde excommunicatione percutiendi, a qua absolvi nequeunt, nisi prius concubinas dimittant (1). Clerici vero ex veterum canonum dispositione sunt beneficiis privandi, et perpetuo degradandi (2). Jure tamen novo Tridentini, Episcopi monendi sunt a Concilio Provinciali, et nisi se emendent, ipso facto evadunt suspensi (3); Clerici beneficiati cum cura animarum, monendi, coercendi, et castigandi sunt, et si incorrigibiles se ostendant, beneficiis privandi, appellatione remota (4); beneficiati sine cura monendi sunt specialiter tribus vicibus, et post primam monitionem ipso facto privantur tertia parte fructuum beneficiorum, post secundam omnes fructus amittunt, et a beneficiorum administratione suspenduntur, et post tertiam officiis, et beneficiis privandi sunt, et inhabiles ad alia declarandi auctoritate Apostolica, ac demum excommunicationis gladio plectendi (5); Clerici demum sine cura, et sine beneficiis pœna suspensionis ab ordine,

et inhabilitatis ad beneficia, aliisque modis juxta criminis gravitatem sunt puniendi (6).

(1) Trid. sess. 24, cap. 8, de ref. mat. ubi similem pœnam imponit etiam conjugatis similiter delinquentibus, et mulieres concubinas, et adulteras coercet. — (2) Can. 2, dist. 28, can. 11, dist. 32, cap. 3, 4, 5, et 6, de cohab. cler. et mul. — (3) Trid. sess. 25, c. 14, de ref. Si post suspensionem, quod Deus semper avertat, in malo perseverent, a Concilio, vel a Metropolitano, ut sentit Giraldus, deferendi sunt ad Romanum Pontificem, qui etiam per privationem in eos animadvertet. — (4) Trid. sess. 21, c. 6, de ref. — (5) Trid. sess. 25, c. 14, de ref. — (6) Trid. eod. loc. Pœna tamen privationis beneficiorum ex mente Tridentini non videtur decernenda nisi in casu incorrigibilitatis beneficiati, ut recte observat Giraldus ad cap. 5 de cohab. cler. et mul. Cæterum observamus, in clerico concubinario tantam esse deformitatem, ut reputetur infamis. Reiffenstuel de cohab. cler. et mul. n. 46; et ut olim neque liceret audire missam sacerdotis concubinarii per notorietatem facti, vel per operis evidentiam Arg. cap. 7 et 10, de cohab. cler. et mul. et can. 5, dist. 33. Sed hæc prohibitio sublata est per constitutionem Martini V *Ad evitanda*, quia talis sacerdos non est amplius vitandus. Giraldus ad cap. 10 de cohab. cler. et mul.

278. Stuprum proprie dictum, sive violenta virginis defloratio, fornicationem continet; ideoque præter pœnas fornicatorum laicus stuprator tenetur defloratam ducere, vel dotare (1); et Clericus nedum tenetur dotare, sed etiam deponendus est (2).

Adulterium, sive alieni thori violatio, tunc committitur, cum uterque delinquens est conjugatus, vel unus conjugatus, et alter solutus; ex quo orta est communis appellatio adulterii *duplicis*, et *simplicis*. Gravissimis pœnis plectitur a jure divino, et ecclesiastico. Jure enim divino in Veteri Testamento adulter plectebatur morte per lapidationem (3); jure vero ecclesiastico laicus adulter est excommunicandus (4); Clericus autem ab officio, et beneficio deponendus, et in monasterium detrudendus ad agendam pœnitentiam (5). Adeo infestum hoc est crimen, ut maritus conscius adulterii uxoris, si in eo perseveret, teneatur eam dimittere (6); et si uxor pœnitentiam agat, et in bonam frugem revertatur, maritus ad eam recipiendam hortari, non autem cogi potest (7).

(1) Cap. 1 de adult. et stupr. et ibi Doctores. Electio in hac alternativa ad stupratorem pertinet, modo deflorata consentiat, et possit propter impedimentorum absentiam stupratori nubere; secus alternativa evanescit, et tenetur omnino dotare. Giraldus ad cit. cap.; si tamen promisit matrimonium, debet promissionem adimplere. — (2) Devoti l. 4, tit. 15, § 4. Iisdem plectitur pœnis, qui virginem per dolum, et fraudem, vel metum injuste incussum violavit. Reiffenstuel de adult. et stup. n. 46, et dos debetur, etiamsi violata non nubat; nam imponitur pro reparatione damni in puella. Quod si proles enascatur, aliæ sunt obligationes alendi, et educandi, de quibus videndi Moralistæ. — (3) Joan. 8, Deut. 22, Levit. 20, ubi legitur: *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius.... morte moriatur, et mœchus et adultera.* — (4) Cap. 6, de adult. et stup. — (5) Can. 10 et 11, dist. 81. — (6) Cap. 3 de adult. et stup. — (7) Cap. 4 de divort., cap. 19 de conv. conj. Nec scelus minuitur, si ad malum adsit consensus mariti; nam Innocentius XI hanc damnavit propositionem: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

279. Incestus, sive conjunctio inter consanguineos, et affines (1), in eo gradu, in quo est prohibitum matrimonium (2), est crimen etiam adulterio gravius, si fiat in persona, cum qua ex jure naturali matrimonium consistere non potest (3). Quare hoc crimen ita æstimandum est, ut sit gravius in consanguinitate, quam in affinitate, in linea recta, quam in transversali, in gradu propinquiore, quam in remotiore, et ut sit gravius, si sit conjunctum cum stupro, quam cum adulterio (4). In genere autem pœna incestus in laicum est excommunicatio ferendæ sententiæ, si in scelere persistat (5); in Clericum vero est depositio (6); sed Clericus post debitam peractam pœnitentiam potest ab Episcopo in suum gradum restitui (7).

Sodomia a Sodoma sic appellata, quam ultor ignis e nubibus delapsus consumpsit, est infandum crimen, seu monstrum criminis, quod libidinum furias et in corpora, et in sexus contra naturam continet, ut sapienter notavit Tertullianus. Hujus proinde criminis rei, ex Levitico morte erant puniendi (8), ex antiqua Ecclesiæ disciplina, etiamsi pœnitentes, non poterant admitti neque in primo pœnitentium gradu, scilicet inter *Flentes* (9), et ex jure canonico, si laici, excommunicandi, ac a cœtu fidelium penitus excludendi, si Clerici, præter depositionem ab omni

officio, beneficio, et privilegio clericali, potestati sæculari tradendi sunt, ut de eis gladius civilis capiat supplicium (10).

(1) Hoc crimen restringitur ad cognationem naturalem ortam ex consanguinitate, vel affinitate, nec ad cognationem legalem, et spiritualem extenditur. Reiffenstuel de adult. et stup. n. 67, et Zallinger eod. tit. § 191. — (2) Idest, in linea recta in infinitum; in laterali usque ad quartum gradum inter consanguineos; inter affines ex matrimonio similiter usque ad quartum gradum; et inter affines ex copula illicita usque ad secundum gradum tantum. Idcirco non est incestus, sed simplex fornicatio, vel stuprum, in copula cum consanguinea, et affine ex matrimonio in sexto, vel quinto gradu, vel affine ex copula illicita in tertio gradu. Reiffenstuel d. l. n. 67. — (3) Can. 11, c. 32, q. 7, ubi legitur: *Adulterii malum vincit fornicationem; vincitur autem ab incestu. Pejus enim est cum matre, quam cum aliena uxore concubere.* — (4) Incestus conjunctus cum adulterio duo habet specialia: 1m. Quod qui scienter incestum committit cum consanguineis suæ uxoris, vel sui mariti, amittit jus petendi debitum conjugale. Cap. 1, de eo, qui cognov. etc., et ibi Doctores. 2m. Quod tam adulter, quam adultera incestuosa ex jure interdicitur perpetuo ab alio quocumque matrimonio cum persona extranea. Hoc tamen in dissuetudinem abiisse videtur, et consequenter impedimentum consuetudine sublatum. Nihilominus tam Pœnitentiaria, quam Dataria Apostolica in dispensatione ad petendum debitum, vel super consanguinitate, solet adjungere his in casibus, ut conjux, qui alteri supravixerit, maneat cœlebs. Giraldus ad cit. cap. 1. — (5) Can. 9, c. 35, q. 3. Clement. unic. de consang. et affinit. — (6) Ita communiter Doctores, tum quia incestus gravior est adulterio, tum quia in Clerico ordinibus sacris prædito continet sacrilegium. — (7) Cap. 4, § 1, de judic. — (8) Levit. cap. 20. — (9) Devoti l. 4, t. 15, § 9, in not. 1. - (10) Bul. *Cum primum*, et Bul. *Horrendum* S. Pii V: consequenter Clericus sodomita fit infamis, et si sit notorius, ministeria ordinis exercendo, incurrit in irregularitatem, in quam non videtur incurrere, si sit occultus, quia ipso jure non est contra eum indicta suspensio. Giraldus ad cap, 4, de excess. Prælat.

280. Pœnæ supra recensitæ contra Clericos incontinentes a jure canonico indictæ, per judicem ecclesiasticum sunt declarandæ, qui ex pluribus, quam pro facti circumstantia maluerit, eligere potest (1). Sed declaratio legitimis debet inniti probationibus, ut sunt non solum probationes plenæ, sed et urgentissimæ præsumptiones, quæ certitudinem moralem in viro prudenti inducunt. Quod si Clericus cum indiciis gravibus hac super re publice diffamatus sit, et condemnari ob defectum probationis nequeat, ex jure canonico non est in judicio absolvendus,

nisi prius delictum sibi affixum per canonicam purgationem diluerit (2).

(1) Cap. 4, de offic. deleg. — (2) Cap. 8, de cohab. cler. et mul. cap. 5, de adult. et tot. tit. de purg. canon.

281. Purgatio duplex est, *canonica*, et *vulgaris*. Sed hæc a sacris canonibus ut superstitiosa omnino reprobatur, et damnatur (1). Canonica vero purgatio ex jure habet locum, cum diffamatus (2) nequeat directe suam innocentiam demonstrare (3), et consistit in juramento ab ipso diffamato, et ab aliis viris spectatæ vitæ sibi proximis coram judice emisso, quo ille de sua innocentia, et hi de innocentiæ credulitate jurant, qui *compurgatores* appellantur (4), quia ad purgationem concurrunt. Tres horum, aut septem, aut in alio numero pro judicis arbitrio assumuntur (5), et purgationem constituunt *tertiæ*, *aut septimæ manus*, aut alterius, juxta compurgatorum numerum (6). Verum hic extraordinarius innocentiæ demonstrandæ modus forte ob perjuriorum periculum in dis suetudinem abiit (7).

(1) Tot. tit. de purg. vulg. Hæc vulgaris purgatio habebatur a superstitiosis Gentilibus, ut quædam probatio criminis, vel innocentiæ, ob interventum Divinitatis; ac propterea appellabatur *judicium Dei;* sed erat vera Dei tentatio: et fiebat per duellum, ac habebatur innocens qui vivebat, et reus qui succumbebat; fiebat etiam per tactum ferri candentis, et manus inde adusta erat signum reatus, manus vero ab igne intacta signum innocentiæ; fiebat pariter per aquam frigidam, et calidam, et aliis modis. Illud enim gentibus his persuasum erat, Deum in his experimentis per miraculum salvaturum fore innocentem, et reum relicturum, ut meritas lueret pœnas. Cap. 7, de purg. can. et ibi Gloss. — (2) Diffamatio potest provenire ex processu inchoato. Cap. 5 et 15, de purg. can.; vel ab orta in populo opinione, aut rumore delicti in damnum alicujus. Cap. 2, eod.; item a suspicione commissi criminis. Cap. 5, eod.; vel ex fama impedimenti, quo quis ligatus creditur, ne ascendat ad ordines, aut beneficia obtineat. Cap. 14, eod. — (3) Varios habemus hujus generis in jure casus, præter eos, qui continentur in titulo *De purgatione canonica.* Sic ex. gr. ex jure admittitur purgatio canonica in Clerico de Apostasiæ crimine infamato. Cap. 3, de Apostat.; in Clerico de homicidio suspecto. Cap. 14, de homic. volunt.; in suspecto de calumnia, de concubinatu, vel de alio crimine Cap. 2, de calum. cap. 8, de cohab. cler. et mul. et cap. 10, de accusat. In omnibus hisce

casibus ex jure indici potest per Episcopum canonica purgatio, quando de crimine vel impedimento per testes, vel aliis probationibus non constat, neque est spes, ut possit in posterum constare: immo, rebus sic stantibus, potest et ipse reus, vel ejus procurator instare, ut ad purgationem canonicam admittatur. Cap. 12, de purg. can. Unde purgatio hæc dici etiam potest probatio subsidiaria exceptionis ejus, qui negat se imputatorum esse reum. Ex adverso vero non potest esse locus canonicæ purgationi, quando crimen, vel impedimentum est probabile. Rubr. cap. 4, eod.; et quando crimen est notorium Cap. 15, eod. Si vero de calumnia manifesta essent signa, vel de innocentia accusati non posset prudenter dubitari, Episcopus posset, vel non, purgationem indicere juxta quod prudentius judicaret. Cap. 12, de purg. can. — (4) Compurgatores jurare debent, se credere, reum verum jurasse, et vere immunem esse a crimine, vel macula illi imputata. Cap. 5 et 13, de purg. can. Assumendi sunt inter viros honestos, bonæ famæ, probati in fide catholica, nec in judicio pro criminibus umquam condemnati, qui se purgantis conversationem, et vitam bene noscant non tam moderno tempore, quam transacto, quique propterea, quantum fieri potest, habitent in viciniis, vel sint de capitulo, de ordine, de cœtu, de civitate, vel parochia illius, qui se purgat. Cap. 7, 9, 10 et 11, eod. — (5) Manus compurgatorum determinari debet ab Episcopo juxta qualitatem, et gravitatem criminis. Sic Innocentius Papa in casu Episcopi Tridentini, qui Simoniæ fuerat accusatus, mandavit, ut se purgaret tertia manu sui Ordinis, id est Episcoporum, et quarta Abbatum, et religiosorum sacerdotum. Cap. 5, eod. Sic in casu hæresis indicta fuit purgatio quartædecimæ manus. Cap. 10, eod. — (6) Effectus purgationis canonicæ legitime factæ hic est, ut diffamatus de crimine, vel impedimento, tamquam purgatus ab infamia sit absolvendus, vel ad ordines, et beneficia admittendus. Cap. 8 et 12, eod.; modo, ut supponitur, scandalum cessaverit. Cap. 10, eod. Si vero diffamatus in purgatione deficiat, quia recusat jurare, vel compurgatores non invenit, pœna delicto proportionata condemnandus est. Zallinger ad tit. de purg. can. § 275. — (7) Licet hic modus in dissuetudinem abierit, non tamen propterea dici potest omnino abrogatus: nam ipse Van-Espen cum Zippeo fatetur quidem raro in curiis ecclesiasticis adhuc adhiberi, sed non dicit esse abrogatum. Part. 3, t. 8, c. 4, de instru. caus. crim. Revera nulla est lex huic purgationi contraria; ideoque quod usu intermissum est, usu renovari potest, cum nemo non videat, quantæ utilitatis clero sit per medium legale purgationis reparare famam amissam. Diffamatio, ut plurimum, ab uno aut a paucis oritur; quid melius, quam famam ita a paucis saucio, tam per manum testium proborum, et optimorum reparare? Recaitaque Episcopus ageret, qui etiam hodie sapientissimas Ecclesiæ leges de purgatione canonica ad praxim revocaret. Sed quis forte opponet: 1°. in hac purgatione, quatenus reus debet suam innocentiam jurare, adesse periculum perjurii; 2°. reo inquisito legem et praxim prohibere delationem juramenti circa crimen, de quo in suo constituto inquiritur. Respondemus ad primum. Perjurii periculum olim

quoque aderat; et tamen Ecclesia prædictas leges tulit, et observari voluit. Insuper admittitur in causis civilibus juramentum purgatorium, quod præstatur a reo. Nonne hic est periculum perjurii? At si, non obstante hoc periculo, licitum est se purgare in civilibus per juramentum, forte idem non licebit in criminalibus? Si licet ad servanda bona temporalia, non licebit ad servandam famam, et bonum nomen, quod præstat divitiis multis? Respondemus ad secundum. Latissimum est discrimen inter juramentum datum reo in suo constituto, et juramentum datum in purgatione: nam in primo casu crimen jam probatum est, vel proxime probandum; in secundo vero casu non solum abest criminis probatio, sed neque probabile est crimen, ut supra innuimus. Et aliunde juramentum necessarium est ad famam recuperandam, quæ nullo alio modo recuperari potest.

282. Judex denique competens pro foro externo quoad delicta mere civilia in laicis est solus judex sæcularis, et in iisdem quoad mixta est simul ecclesiasticus, et sæcularis; quorum primus juxta canonicas sanctiones pœnas profert spirituales, et secundus juxta civiles leges pœnas infligit temporales. In Clericis autem pro utroque delictorum genere judex competens est solus ecclesiasticus, quia Clerici fori privilegio juvantur, ubi de eorum delictis privilegiatis, vel exemptis non agitur.

TITULUS XXVI.

DE PŒNIS ECCLESIASTICIS.

SUMMARIUM: 283. Pœnarum definitio, et divisio. — 284. Quomodo agnoscatur, an pœna sit latæ, vel ferendæ sententiæ? — 285. Quod sit inter utramque discrimen? — 286. Quid sit excommunicatio, et quotuplex? — 287. Excommunicatio tolerata quos producat effectus? — 288. Quos excommunicatio non tolerata? — 289. Communicatio cum hæreticis, et schismaticis in sacris, et divinis prohibita. — 290. Suspensio quid, et quotuplex? — 291. Suspensio ut censura quomodo differat a suspensione ut pœna? — 292. Qui sint suspensionis effectus? — 293. Quid interdictum, et quotuplex? — 294. Quid cessatio a divinis? — 295. Nova censurarum moderatio. — 296. Iudex et subjectum censuræ. 297. Quomodo censura auferatur? — 298. Quomodo danda sit absolutio a censuris? — 299. Quid sit degradatio, et ob quod delictum dari queat? — 300. Quid depositio? — 301. Quid mulcta; quando habeat locum, et cui applicanda? — 302. Sacri canones pœnam admittunt carceris, et exilii.

283. Pœna ecclesiastica est *delinquentis, aut delicti coercitio, ab Ecclesia per canones, aut a potestate ecclesiastica secundum canones, data, aut comminata.* Ex hujus definitio-

nis verbis, omnes fluunt pœnarum ecclesiasticarum divisiones: etenim dicitur *delinquentis aut delicti coercitio,* ad indicandam pœnam *medicinalem*, quæ datur ad delinquentis emendationem, uti est excommunicatio, suspensio, et interdictum; et pœnam *vindicativam,* quæ datur pro bono publico ad delicti vindictam, uti est degradatio, depositio, privatio beneficii, etc. Dicitur *ab Ecclesia per canones*, *aut a potestate ecclesiastica secundum canones* (1), ad significandam pœnam *a jure*, sive *ordinariam*, quæ datur ab Ecclesia per canones, et pœnam *ab homine*, sive *extraordinariam*, quæ datur a potestate ecclesiastica secundum canones. Dicitur denique *data*, aut *comminata* ad innuendam pœnam *latæ sententiæ*, quæ post commissum delictum ipso facto contrahitur, et pœnam *ferendæ sententiæ*, quæ contrahitur dumtaxat per judicis sententiam.

(1) Ecclesia quidem potestatem habet infligendi pœnas nedum spirituales, quæ afficiunt animam, sed etiam corporales, quæ affligunt corpus. In illis infligendis utitur potestate spirituali, quæ soli Ecclesiæ competit; in istis vero potestate temporali, quæ Ecclesiæ, et Reipublicæ sæculari communis est. Quod autem Ecclesia hac temporali potestate etiam polleat, patet ex dictis supra ad n. 23; innuit D. Paulus scribens ad Corinthios epist. 1, cap. 4; declaravit Tridentinum, cum pœnas temporales pluribus in locis indixit, ut sunt proscriptiones omnium bonorum contra duellantes, sess. 25, c. 19, de ref. mulctæ pecuniariæ, captio pignorum, aliaque similia. sess. 25, c. 3, de ref. Illud tamen edixit, quod ubi ecclesiasticorum crimina tam gravia sint, ut solemni degradatione non satis punita habeantur, eorum criminum rei pro ulteriori punitione sint curiæ sæculari tradendi, quia Ecclesia a sanguine abhorret. Sess. 13, c. 4, de ref. Novissime hoc ipsum definivit Pius IX, damnando propositionem, quæ omnem aufert Ecclesiæ in temporalia directam vel indirectam potestatem. Syllab. prop. 24. Rem denique ita omnino esse demonstrat invictis argumentis J. Stremler in tract. de pœn. eccl. sect. 1, c. 4, ad quem Lectorem remittimus, ut vera hac in re noscat principia, et discat adversariorum oppositiones confutare.

284. Ad dignoscendum, an pœna sit latæ, vel ferendæ sententiæ duæ videntur assignandæ regulæ. 1ª. Inspicienda sunt verba pœnæ, quæ si referantur ad tempus præteritum, vel præsens, ut si dicatur, *excommunicamus*, *privamus*, et tanto magis si adjungatur *ipso facto*, *ipso jure*, continent latæ sententiæ pœnam; si vero referantur ad tem-

pus futurum, ut si dicatur, *excommunicabitur, privabitur*, ferendæ sententiæ pœnam continent. 2ª. Inspiciendus est sensus pœnæ, qui si perficiat actionem per se, dat latæ sententiæ pœnam, ut si dicatur, *declaramus excommunicatum*, vel *sciat se esse privatum*, et tanto magis, si adjungatur, *statim, omnino, ex tenore præsentium*, etc. Si vero actionem alteri remittat perficiendam, pœnam dat ferendæ sententiæ, ut si dicatur, *qui hoc fecerit excommunicetur, privetur*, vel *est excommunicandus, privandus*, etc. (1).

(1) Si adhibeatur verbum modi subjunctivi, ut si dicatur, *excommunicationi subjaceat*, vel *locum suum amittat*, dubitari potest, an pœna sit latæ, vel ferendæ sententiæ. Sed in dubio pro pœna tantum ferendæ sententiæ resolvendum esse videtur, quia in obscuris quod minimum est teneri debet, ut odia et pœnæ benigna interpretatione restringantur. Cap. 49, de reg. jur. in 6.

285. Inter pœnam latæ et ferendæ sententiæ latum est discrimen: nam pœna ferendæ sententiæ non obligat, nisi post sententiam condemnatoriam judicis; pœna vero latæ sententiæ statim obligat in conscientia, ubi externam executionem non requirit, uti in excommunicatione, suspensione, irregularitate, inhabilitate ad officia, etc. (1). Ubvero externam executionem requirit, ut in privatione dominii, aut beneficii, necessaria est adhuc judicis sententia declaratoria commissi criminis, pœnæque contractæ, nisi talis declaratio a lege excludatur; quod fieri potest per clausulam, *etiam alia declaratione non secuta*, vel per aliam similem. Cæterum sententiæ judicis condemnatoriæ, et declaratoriæ effectus valde diversus est: porro in condemnatoria pœna incipit tantum a die sententiæ; in declaratoria autem a die commissi delicti, ad quem ipsa sententia retrotrahitur. Quare qui beneficio privatur per judicis sententiam condemnatoriam, a die tantum sententiæ tenetur restituere fructus; sed qui privatur per declaratoriam, a die delicti fructus beneficii restituere tenetur.

(1) Nilominus quando delinquens habet titulum coloratum possidendi suum beneficium, sive gradum, vel ejus delictum est occultum, actus jurisdictionis valide exercet.

286. Omnes pœnæ medicinales, quæ infliguntur, ut delinquens corrigatur, et a contumacia desistat, sub Censuræ ecclesiasticæ nomine continentur, et sunt: *excommunicatio, suspensio* et *interdictum* (1).

Excommunicatio sic appellata, quasi extra communionem ejectio, quoad substantiam idem sonat ac anathema, quod græce separationem significat (2). Unde excommunicatio, sive anathema, est *censura ecclesiastica, quæ Christianum communibus fidelium bonis privat* (3). Ecclesia profecto ex jure divino potestatem habet graviorum criminum reos excommunicandi, sive anathematizandi, sicut divina ejus constitutio necessario requirit, ut societas sit perfecta (4).

Cum prædicta bonorum communium privatio fit ex integro, ita ut excludat, tam active, quam passive, a bonis fidelium communibus, dicitur excommunicatio *major;* et si ex parte, ita ut tantum passive a dictis bonis excludat, dicitur *minor* (5); at cum simpliciter excommunicatio profertur, semper intelligitur major (6). Quare percussus excommunicatione majore avellitur a corpore fidelium tamquam ethnicus, et publicanus, et privatur receptione, et administratione Sacramentorum, communibus ecclesiæ suffragiis, et indulgentiis, etc. (7), cum ex adverso excommunicatione minore læsus Ecclesiæ membrum remanet, et tantum Sacramentorum receptione, ac ad legitimam sui electionem habilitate privatur (8).

Excommunicatio maior dividitur in *reservatam*, et *non reservatam.* Absolutio a prima, excepto mortis articulo, dari tantum potest ab eo cui fuit reservata; absolutio vero a secunda valide datur a quocumque confessario approbato. Reservatio facta S. Pontifici in vim novissimæ Bullæ *Apostolicæ Sedis* Pii IX duplicis est speciei: alia est reservatio facta *speciali modo,* et alia *simpliciter* facta. Illa respicit sequentes excommunicatorum casus: 1°. Apostasiæ et hæresis: 2°. Lectionis librorum hæreticorum, et librorum solemniter a Papa damnatorum: 3°. Schismatis: 4°. Appellationis a mandatis Papæ ad generale Concilium: 5°. Offendentium Cardinales, Episcopos, et Nuncios: 6°. Impedientium exercitium iurisdictionis ec-

clesiasticæ: 7°. Trahentium ecclesiasticos ad tribunal laicum: 8°. Recurrentium ad laicam potestatem ad impediendas litteras S. Sedis: 9°. Falsariorum litterarum Apostolicarum: 10°. Absolventium complicem in peccato turpi: 11°. Usurpantium bona Ecclesiarum: 12°. Invadentium civitates, terras, iura, et supremam iurisdictionem S. R. E. Hæc vero reservatio simpliciter S. Pontifici facta afficit excommunicatos Defendentes propositiones a Papa sub excommunicatione damnatas, vel praxim exquirendi in Confessione nomen complicis: Iniicientes violentas manus in clericos: Duellantes, Massones, et Carbonarios; Violantes asylum sacrum, vel clausuram Monialium; Mulieres violantes clausuram Monachorum; Reos Simoniæ realis in beneficiis, et confidentialis; imo et Simoniæ realis in ingressu in Religionem; Facientes quæstum ex indulgentiis; Collectores eleemosynarum pro missis cum quæstu; Alienantes, vel infeudantes civitates et loca S. R. E; Regulares præsumentes ministrare clericis aut laicis, sine necessitate et licentia Parochi, Extremam Unctionem, aut Viaticum; Extrahentes reliquias ex catacumbis absque venia; Communicantes cum excommunicatis nominatim a Papa in crimine criminoso; Clericos communicantes in divinis cum similiter excommunicatis; Omnes excommunicatos a Tridentino sub Papæ reservatione, et præsumentes absolvere a casibus Papæ speciali modo reservatis, extra mortis articulum. Reservatio vero facta Episcopis in eadem Bulla quatuor tantum respicit excommunicatorum casus, scilicet 1°. Clericorum in sacris, et Monachorum, aut Monialium post professionem solemnem matrimonium contrahentium, et eorum qui cum eis contrahunt: 2°. Procurantium abortum: 3°. Utentium scienter falsis Apostolicis litteris; 4°. Eorum, qui a Tridentino excommunicantur, reservata Episcopis absolutione. Sed ad hæc rite inspicienda est citata Piana Bulla.

Jure canonico novo introducto a Martino V, in Bul. *Ad Evitanda* (9), excommunicatio major dividi potest in eam quæ ab Ecclesia tolerantiam habet, et in eam, quæ tolerantiam non habet: unde excommunicati alii dicuntur *tolerati*, et alii *vitandi*, seu non tolerati. Tolerantiam non

habet: 1°. excommunicatio publice, et nominatim in individuo a judice contra aliquem expresse prolata, et denunciata; 2°. excommunicatio contracta propter publicam, et notoriam Clerici percussionem, quæ nulla possit tergiversatione celari. Excommunicati his duobus modis sunt vitandi, ideoque cum illis communicare non licet; omnes autem reliqui sunt tolerati, cum quibus possumus licite communicare (10).

(1) Cap. 21, de verb. signif. Aliqui hic addunt Superioris præceptum. Anal. Jur. Pont. ser. 7, pag. 458. — (2) Anathema non differt ab excommunicatione, nisi ratione majoris solemnitatis, quæ ad illud pronunciandum requiritur: nam anathema solemniter proferendum est, adhibitis determinatis cæremoniis, ut terrorem incutiat salutarem. Pont. Rom. tit. de ord. excom. et can. 106, c. 1, q. 3. — (3) Bona fidelium communia sunt: sacramentorum participatio, sacrificia, suffragia Ecclesiæ, sacra officia, indulgentiæ, orationes, et benedictiones nomine Ecclesiæ factæ, pietas Christiana, et externa communio; quorum omnium per Sanctorum communionem participat quisque fidelis, quia multi unum sumus corpus in Christo, ut ait D. Paulus ad Rom. c. 12. Idcirco in hac privatione non comprehenduntur ea, quæ pure spiritualia sunt, vel quæ pertinent ad communionem internam, velut dona Spiritus Sancti, gratia Dei, virtutes fidei, spei, etc., quia hæc directe non subjacent potestati Ecclesiæ, et ab Ecclesia privatio in excommunicatis fit tantum in iis, quæ ejus potestati directe subjacent. Item in privatione non comprehenduntur bona spiritualia particularia, ut est fructus precum, quibus aliquis orat pro excommunicato, vel excommunicatus orat pro se, quia Ecclesia privat solum bonis communibus, non particularibus. — (4) Evincitur evidenter hæc potestas ex facultate, quam tradidit Christus Apostolis, eorumque Successoribus, pascendi, ligandi, atque solvendi, dum adjunxit, eum esse tamquam ethnicum, et publicanum, qui Ecclesiam non audiret. Matth. 18; qua potestate usus est D. Paulus, cum incestuosum Corinthium tradidit in interitum Satanæ, ut spiritus salvus fieret, et in aliis occasionibus, 1ª ad Corinth. c. 5, ℣ 5, 11 et 13; 2ª ad Thessal. c. 3 ℣ 14, et postea semper Ecclesia in Conciliorum decretis, in summorum Pontificum litteris, et aliis sacris canonibus. Evincitur etiam ex ratione: nam omnis societas bene constituta debet habere potestatem a se repellendi malos, qui societati adversantur. Quanto magis necesse erit ab Ecclesia repellere scandala, pro quibus repellendis Dominus nec manui, aut pedi, parcendum voluit? — (5) Distinctio in majorem et minorem excommunicationem antiquissima in Ecclesia est; prima quidem in gravissimis sceleribus dabatur, et mortalis dicebatur, eaque percussi, tamquam ab Ecclesia separati, aliis Ecclesiis denunciabantur. Can. 106, c. 11, q. 3; nec ab iisdem in co nmunionem admittebantur, ne fideles detrimentum paterentur, ut fecit S. Epi-

phanius, qui in communionem noluit recipere Joannem Episcopum Hierosolymitanum, qui Origenis errores defendebat. Devoti loc. cit. Secunda vero dabatur in levioribus delictis, quando rei pœnitentiam petebant, et medicinalis appellabatur. — (6) Cap. 59 de sent. excom. — (7) Sic excommunicatus expellitur ab Ecclesia, et traditur Satanæ, ut fecit D. Paulus de incestuoso Corinthio, nam *omnis Christianus, qui a sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur..... quia extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia Christus.* Can. 33, c. 11, q. 3. Immo nedum Satanæ traditur, et spiritualem pœnam patitur, sed etiam corpore a Satana vexatur, ut olim contigit in excommunicatis ab Apostolis, ex sententia S. Chrysostomi, S. Ambrosii, S. Hieronymi, et S. Augustini. — (8) Cap. 10 de cler. excom. minist. ubi statuitur, violantem excommunicationem minorem non fieri irregularem, licet graviter peccet. — (9) Hæc Bulla edita fuit in concilio Constantiensi, licet nulla de ea in ipsius Concilii actis fiat mentio; constat tamen ex certis, et authenticis documentis, usu et consuetudine ubique recepta est, et observatur veluti lex. Benedictus XIV, de Synod. l. 12, c. 5, § 4. Devoti l. 4, t. 18, § 10, in not. Hujus tantopere celebratæ legis opportunum esse judicamus afferre textum, qui sic sonat: *Ad evitanda mala, et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ, a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, ac interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia, vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra, personam, collegium, universitatem, ecclesiam, communitatem, aut locum certum, vel certa, a judice publicata, vel denunciata specialiter, et expresse. Constitutionibus Apostolicis, et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, salvo si quem pro sacrilegio, et manuum injectione in clericum, sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari: nam a communione illius, licet damnatus non fuerit, volumus abstineri juxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, et interdictos, non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodo libet suffragari.* — (10) Jure antiquo omnes excommunicati excommunicatione majori erant vitandi, quando eorum excommunicatio erat publica, et notoria. Ecclesia enim tolerabat tantum excommunicatos occultos hoc sensu, quo fidelis cognoscens excommunicationem fuisse contractam ab aliquo, et esse adhuc occultam, tenebatur eum occulte tantum devitare, non publice, et non tenebatur eum denunciare, ut proximorum famæ parceretur. Cap. 8 et 14 de sent. excom. Postea edita fuit hæc Bulla Martini V, quæ tamen revocata fuit a Concilio Basileense, a Leone X, et a Concilio Lateranense V. Sed hæc correctio non obtinuit, et perpetuo dispositio Martini V fuit observata, quæ ex consuetudine etiam nunc jus facit. Benedictus XIV, de Synod. l. 6, c. 5, n. 2. A diuturno tempore raro in Ecclesia auditur data excommunicatio,

quæ aliquem vitandum faciat; sed anno 1863, die 2 decemb. talis sententia a S. Congregatione Romanæ, et Universalis Inquisitionis solemniter pronunciata fuit contra Sacerdotem Petrum Mongini Parochum Ogebii diœcesis Novariensis, qua declaratum fuit, ipsum Petrum *sic denunciatum ab omnibus Christi fidelibus evitandum esse, et evitari debere.*

287. Excommunicatio tolerata sequentes parit effectus, nimirum privat excommunicatum: 1°. *usu* activo, et passivo Sacramentorum, licet excommunicatio sit occulta, salva participatione eorumdem in articulo mortis (1); 2°. *participatione* suffragiorum Ecclesiæ, et indulgentiarum, 3°. *Assistentia* divinis officiis, publicis orationibus, processionibus, immo et solemnibus benedictionibus (2); potest tamen excommunicatus concionem in Ecclesia audire, modo ibi tunc divina non celebrentur officia (3); 4°. *habilitate* ad beneficia, et officia ecclesiastica quæcumque (4); 5°. *facultate* præsentandi oblationes, aut eleemosynas Ecclesiæ, quæ a ministris recipi nequeunt (5); 6°. *jure* obtinendi a S. Sede rescriptum, quod etiam obtentum est nullum, nisi de ipsa causa suæ excommunicationis agatur (6); 7°. *sepultura* ecclesiastica (7).

(1) Cap. 12 de sent. excom. in 6. — (2) Cap. 18 de sent. excom. et Clem. 2, eod. — (3) Cap. 43, eod. Item potest orare privatim, et etiam horas canonicas recitare, sed non potest lucrari distributiones quotidianas, licet lucretur sui beneficii fructus, nisi per sententiam judicis iisdem privetur. Cap. 53 de appell. in 6. — (4) Cap. 7 de cler. excom. minist. — (5) Cap. 13, § *Credentes* de hæret. — (6) Cap. 26 de rescript., cap. 1, eod. in 6. — (7) Cap. 12 de sepult. Præterea excommunicatorum nomina nequeunt publice recitari in Ecclesia, et in orationibus publicis. Zallinger ad tit. de sent. excom., § 298.

288. Excommunicatio non tolerata præter supra citatos effectus, qui personam excommunicati afficiunt, graviores adhuc producit, qui alios etiam fideles respiciunt. Hinc excommunicati publice, et nominatim denunciati, nec non notorii Clericorum percussores (1) privantur: 1°. *exercitio* potestatis ordinis; non est enim licita consecratio, quæ fit ab excommunicatis, licet sit valida (2); 2°. *potestate* jurisdictionis tam voluntariæ, quam conten-

tiosæ pro foro tam interno, quam externo (3); hinc excommunicatus non potest alium excommunicare, neque beneficia conferre, et si ex tribus judicibus delegatis unus sit excommunicatus, sententia ab iisdem prolata irrita est (4); 3°. *Communione* externa fidelium tam forensi quam politica (5); hinc excommunicatus non potest esse judex, actor, advocatus, tabellio, testis, etc. (6), neque potest cum fidelibus habitare, conversari, tractare, eosque etiam alloqui (7). Unde Doctores actiones prohibitas excommunicato cum fidelibus, et fidelibus cum excommunicato, in hoc versiculo comprehendunt: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur. Os* indicat allocutionem verbo, sive scripto; *orare* continet omnem orationem cum excommunicatis in sacris, et divinis, eorumque nominum recitationem in publicis precibus (8); *vale* significat omne externum signum amicitiæ, velut salutationem, osculum, amplexum; *communio* explicat communicationem, vel societatem; *mensa* demum comprehendit nedum epulas et convivia, sed etiam cibum, vel potum cum excommunicatis sumere.

Sunt tamen quidam casus in jure expressi (9), in quibus licet cum ipsis excommunicatis vitandis communicare. Hi casus a Doctoribus in hoc versiculo comprehenduntur: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse. Utilitas* primo excusat a pœna, et a culpa: hinc excommunicati possunt hortari, maxime a Pastoribus, ut convertantur. Secundo excusat *lex,* scilicet lex matrimonii, in quo societas conjugalis integra servatur. Tertio excusat *humile,* sive ratio subjectionis, ut filiorum cum parentibus, militum cum ducibus. Quarto *ignorantia* tam juris, quam facti excusat. Quinto excusat etiam *necessitas* tam animi quam corporis in ipso excommunicato, et in communicante cum eo (10).

(1) Bulla Martini V supra relata nullam in his excommunicatis requirit denunciationem, ut sint vitandi, quam requirit in alio casu; sed ex Galliæ consuetudine, ut testatur P. Antoine, et Giraldus, ad criminosum vitandum reddendum præter notorietatem facti olim requirebatur adhuc notorietas juris, sive declaratoria judicis sententia. Giraldus ad cap. 7, de cons. eccl. — (2) Can. 1, c. 9, q. 1. — (3) Cap. de sent. et re jud. et cap. 1, de off. vic. in 6. — (4) Cap. 1, de suppl. negl. Præl. in 6. — (5) Communicare tam in sacris, quam in pro-

fanis cum excommunicatis esse prohibitum patet ex divina Scriptura, quæ docet excommunicatum habendum esse tamquam ethnicum, et publicanum, et ex jam citatis D. Pauli sententiis, quæ præcipiunt, ne quis fidelis cum excommunicatis commisceatur, aut cibum sumat. Si excommunicati sunt tolerati, in communicatione adest tantum culpa, quæ nascitur ex periculo perversionis, vel ex scandalo; si vero sunt vitandi, incurritur excommunicatio minor in communicatione in civilibus, et excommunicatio major in communicatione in crimine criminoso. Cap. 29 et 30, de sent. excom. — (6) Si excommunicatus est toleratus, acta ejus in judicio sustinentur, modo contra ipsum exceptio excommunicationis non proponatur: ea enim proposita, et probata, agere nequit, quia jure antiquo agere interdicebatur, et Martinus V noluit excommunicatum in aliquo relevare. Doctores tamen addunt, excommunicatum toleratum posse a judice in judicio admitti, aut rejici etiam absque ulla exceptione, dum vitandus semper est repellendus, excepto casu, in quo sit reus, ut supra dictum est. — (7) Quare S. Joannes ait: *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Epist. 2. — (8) Cap. 28 et 38 de sent. excom. et Bul. *Ex quo* Benedicti XIV, in qua declarat, licitum esse pro excommunicatis orare privatim, non publice. Ideo *eorum nomina in solemni sacrificii prece* pronunciari non possunt. Ad hoc efficiendum, ait ibi Pontifex, *necesse est intervertere leges Ecclesiæ, quæ a fidelium sibi obsequentium catalogo excludit eorum nomina, qui se ab illius unitate, et obedientia separarunt, quæque dum prohibet, ne pro his publice oretur, eorum certe commemorationem ab officio Missæ, quæ publicum est sacrificium, excludit.* — (9) Can. 103, c. 11, q. 3. — (10) S. De Ligorio l. 7, n. 200 et seqq.

289. Ex dictis facile colligitur, hæreticos, et schismaticos nominatim non denuntiatos non esse vitandos; ac proinde communicantes cum iisdem nullam incurrere canonicam pœnam. Nihilominus communicatio cum hæreticis, et excommunicatis etiam toleratis, plena periculi esse solet, ut jam innuimus; et ideo talis communicatio, in civilibus et humanis, prudens et cauta esse debet pro necessitate potius, quam pro lubitu, quia de personis agitur Satanæ traditis, et forte a Satanæ spiritu occupatis. Communicatio vero cum iisdem, in sacris et divinis, videtur omnino catholicis interdicta (1). Nam Sacra Congregatio S. Officii interrogata, an liceret catholicis communicare cum hæreticis, et schismaticis in ipsis partibus infidelium, respondit: *Non licere*, neque licere extra casum extremæ necessitatis catholicos in divinis cum Græ-

cis schismaticis communicantes absolvere (2). Et Benedictus XIV, perpendens citatum indultum Martini V, docet, illud minime prodesse, ut catholici possint in sacris et divinis cum hæreticis toleratis communicare, etiamsi catholici cum hæreticis permixti vivant, et contrariam sententiam confutat, quam Summi Pontifices, et Sacræ Congregationes S. Officii et De Propaganda Fide illicitam semper reputarunt (3).

(1) Communicatio in sacris et divinis ea est, quæ fit in sacrificio Missæ, in divino officio, in publicis orationibus, processionibus, et solemnibus benedictionibus, immo et in matrimonio contrahendo. Benedictus XIV, de synod. l. 6, c. 5, n. 3. — (2) Hac de re prodiit Instructio S. Congregationis S. Officii anni 1719, quam refert Giraldus ad cap. 8 de sent. excom. ad quem lectorem remittimus. Sed quæ hic exponimus confirmantur a decisione S. Officii diei 10 maii 1753, quam prædictus Auctor per extensum refert loco citato; sacra Congregatio ita semper respondit, et dum Missionarii inter hæreticos viventes motivum persecutionis proponebant, si fideles cum illis non communicassent, S. Congregatio respondit: *Necessarium omnino esse persecutioni non cedere, eo vel quia persecutio ipsa æquivalet interrogationi fidei.* — (3) Benedictus XIV, loc. cit. n. 2.

290. Suspensio est *censura ecclesiastica, quæ clericum privat exercitio functionum sui ordinis, officii et beneficii, in toto, vel in parte* (1). Idcirco dividitur in totalem, et partialem, et in suspensionem ab officio, a beneficio, ac simul ab officio et beneficio (2). Una tamen regulariter ad aliam non extenditur (3); sed si quis simpliciter denuncietur suspensus, ex communi Doctorum sententia, omnium suorum functionum exercitio privatur, et suspensio judicatur totalis (4). Insuper Suspensio dividitur, uti excommunicatio, in *reservatam*, et *non reservatam*. Reservata tolli non potest nisi a reservante per absolutionem, si sit censura, et per dispensationem, vel relaxationem, si sit pura pœna, ut cum propter præteritum peccatum imponitur. Notandum tamen est, quod cum imponitur ad certum tempus per se ipsam sine absolutione, vel dispensatione, cessat. Non reservata vero, ex communiori Doctorum sententia, sive sit censura sive pœna, tolli tantum potest per Episcopum, sive habentem iurisdictionem quasi episcopalem, non per Confessarium, sive Parochum absque spe-

ciali Episcopi delegatione. Ex dispositione iam sæpius citatæ novissimæ Bullæ *Apostolicæ Sedis* Pii IX Suspensiones Papæ reservatæ sunt sequentes: 1°. Suspensio a beneficiorum perceptione contra Capitula, et Conventus recipientes in administratione Episcopos, et alios Prælatos antequam eis exhibuerint Apostolicas litteras de eorum promotione: 2°. Suspensio per triennium a collatione ordinum contra ordinantem aliquem absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto ne petat ab ipso alimenta: 3°. Suspensio ad annum ab administratione ordinum contra ordinantem alienum subditum, vel subditum suum alibi tanto tempore commoratum, ut canonicum impedimentum contrahere potuerit, sine litteris dimissorialibus vel testimonialibus Episcopi: 4°. Suspensio per annum a collatione ordinum contra Ordinantem in sacris Religiosum non professum vota solemnia sine titulo beneficii vel patrimonii, excepto casu legitimi privilegii. 5°. Suspensio perpetua ab exercitio ordinum contra religiosum ejectum extra Religionem degentem: 6°. Suspensio perpetua ab ordine suscepto contra præsumentem ordinem suscipere ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico, vel schismatico notorio: 7°. Suspensio ab ordinibus susceptis contra clericos Romæ ultra quadrimestre commorantes, vel pertinentes ad Episcopatus Suburbicarios, qui regulis non satisfaciunt ipsis in eadem Piana Bulla constitutis. Præterea in eadem Bulla confirmantur omnes suspensiones a Tridentino prolatæ.

(1) Suspensio, de qua hic agimus, afficit tantum Clericos, ac regulariter in ordinibus sacris constitutos; non vero laicos, ac moniales, aut Religiosos, qui nullo ordine initiati sunt, quia hi nullam habent potestatem ordinis, sive jurisdictionis, et officium, quod gerunt, potius œconomicum est, quam ecclesiasticum. Unde nec Abbatissa, nec Priorissa veram possunt pati suspensionem. — (2) Suspensio ab officio privat Clericum omni actu jurisdictionis: suspensio a beneficio eum privat jure percipiendi beneficii sui redditus. In more tamen est, ut frequenter nominetur, et infligatur suspensio a divinis: hæc autem privat Clericum illis actibus, qui ei competunt in divinis obeundis officiis. – (3) Ratio est, quia in pœnalibus stricta fit interpretatio. Cum enim suspensiones distinctæ proponuntur, possunt separatim subsistere, et una aliam non includit. Ulterius hac in re Doctores communiter tradunt, verborum sensum accurate per-

pendendum esse, ut agnoscatur quanta sit suspensio, et tanta erit, quanta volita, et explicata fuerit. — (4) Hoc ea ratione communiter retinetur, quia si totalis non esset, non appareret, ex qua parte foret observanda, an ex parte officii, vel beneficii. Hinc, ut in excommunicatione generatim lata, secundum supra exposita, intelligitur de majori, non de minori excommunicatione; sic in suspensione generatim inflicta de totali intelligitur, non de partiali.

291. Suspensio sic definita non comprehendit suspensionem, quæ decernitur, ut pœna delicti (1): nam, licet utraque pœna sit, Clericumque suarum functionum exercitio privet in toto, vel in parte; attamen illa est pœna medicinalis; hæc vero vindicativa: illa datur ad tempus indeterminatum, scilicet quousque durat delinquentis contumacia; hæc vero ad tempus determinatum, vel etiam in perpetuum juxta delicti mensuram: illa requirit præviam monitionem, sine qua contumacia non inducitur; hæc vero nullam requirit monitionem, sed solum causæ cognitionem, cum delictum jam commissum persequatur: illa denique per absolutionem tollitur; hæc vero per dispensationem, et etiam ipso facto post lapsum determinati temporis (2). Irregularitas tamen oritur tam a suspensione, ut censura, quam a suspensione, ut pœna (3); et hoc procedit etiam in casu, quo suspensio sit occulta.

(1) Quod suspensio non semper sit censura, sed interdum pœna a censura distincta patet ex cap. 7, § 3, de elect., ubi Alexander III eligentes indignum ad beneficium per triennium a suis beneficiis declarat suspensos, et ex cap. 1, de sent. excom. in 6, ubi Innocentius IV suspensione per mensem ab ingressu in Ecclesiam damnat judicem, qui censuras infert absque scriptura, quæ causam censuræ contineat, et exemplum sententiæ reo petenti non tradit. Hæ suspensiones, ut patet, sunt pœnæ vindicativæ, non medicinales. — (2) S. Congregatio Concilii sub die 7 maii 1832, definivit, delicta contra mores quinquennio præscribi, et in casu proposito rejecit instantiam a parte læsa factam solum post septennium a die delicti. Anal. Jur. Pont. ser. 8, pag. 476. — (3) Cap. 1, de sent. excom. in 6, et cap. 1, de sent. et re jud. in 6.

292. Effectus suspensionis est, privare Clericum determinatis actibus officii, et beneficii sui juxta suspensionis naturam, et extensionem. Sed hac in re interpretatio fieri debet restrictive, quia in odiosis versamur, quæ sunt re-

stringenda. Præterea suspensus ab officio non potest eligere alium ad prælaturam, neque eligi, neque capax est ad beneficium obtinendum (1); et suspensus a beneficio, quamtumvis suspensio sit occulta, omnibus ejus fructibus, et quotidianis etiam distributionibus ita privatur, ut eas licite percipere nequeat, perceptosque ante omnem judicis sententiam restituere teneatur (2).

(1) Cap. 8 de consuet. — (2) Ita docet Zallinger ad tit. de sent. excom. § 203. Hæc fructuum privatio absque limitatione procedit, quando suspensio datur, ut censura; nam quando datur, ut pœna, suspensus cum Episcopi assensu potest ex beneficio tot sibi adscribere fructus, quot sunt necessarii ad suam sustentationem, si aliter non habeat, unde vivat. Ratio est, quia suspensus, ubi velit, potest se a censura liberare desistendo a contumacia, non ita a pœna, quæ datur ad determinatum tempus. Attamen quocumque modo suspensus fructibus privetur, post absolutionem, vel dispensationem eosdem non recuperat, nec eos potest facere suos, nisi ex Summi Pontificis indulgentia. Gravius tamen contra suspensos procedi potest, si suspensionem violent, et functionibus interdictis se ingerere præsumant: possunt enim beneficiis privari, et deponi. Cap. 13 de vit. et honest. cler. et cap. 1, § ult. de elect. in 6. Zallinger. loc. cit.

293. Interdictum est *censura ecclesiastica, quæ prohibet divinorum officiorum exercitium, Sacramentorumque usum, et sepulturæ ecclesiasticæ dationem; exceptis certis casibus, et Sacramentis.* Convenit in pluribus cum suspensione, et maxime in eo, quod potest considerari, ut pœna medicinalis, et ut pœna vindicativa: convenit quoque cum excommunicatione, in qua quodammodo continetur. Sed eodem tempore differt a suspensione, quæ fertur tantum in Clericos, dum interdictum in Clericos, et laicos, imo, ratione personarum, etiam in loca potest ferri: differt similiter ab excommunicatione, quæ excommunicatos de sinu Ecclesiæ projicit; dum qui interdictum patitur, ut personæ, et loca, in Ecclesia manet.

His consentit præcipua interdicti divisio in *personale, locale*, et *mixtum*. Personale est, quod fertur specialiter in determinatas personas, aut generaliter in collegium, vel populum; quo casu interdictum personas directe afficit, easque quocumque sequitur. Locale est quod fertur in locum, aut territorium determinatum, ut in aliquam Paro-

chiam, aut Diœcesim; quo casu interdictum indirecte tantum personas ibi existentes afficit, quatenus in dicto loco nequeunt divina celebrare, Sacramenta percipere, vel habere sepulturam, sed possunt alibi. Mixtum denique interdictum est, quod fertur in locum et in personas ejusdem loci, quodque propterea naturam induit personalis et localis.

Dividitur insuper interdictum in *generale,* et *speciale.* In generali interdicto locali contingunt quidam casus supra in definitione excepti, ut est parvulorum Baptismus, morientium Pœnitentia (1), adultorum Confirmatio (2), secreta divinorum officiorum celebratio facta januis Ecclesiæ clausis (3), et solemnis divinorum officiorum celebratio in majoribus anni solemnitatibus (4), in quibus interdictum non exercet vim. In interdicto autem speciali casus quidam pariter excepti sunt, ut Sacramenti Baptismatis, Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ per modum Viatici, et Extremæ-Unctionis, quæ regulariter possunt ministrari (5). Denique observamus interdictum quandoque esse partiale, ut interdictum solius sepulturæ, et interdictum ingrediendi in Ecclesiam (6).

Denique, ad similitudinem excommunicationis et suspensionis, etiam Interdictum dividitur in *reservatum* et *non reservatum.* Reservatum S. Pontifici, in supra allegata Bulla *Apostolicæ Sedis* Pii IX, declaratur illud, quod incurrunt Universitates, Collegia, Capitula, quæ a mandatis R. Pontificis ad universale futurum Concilium appellant. Similiter reservatum ad arbitrium eius, qui tulit, est interdictum ab ingressu Ecclesiæ, quod incurrunt scienter celebrantes, vel celebrari facientes divina in locis interdictis, et admittentes nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam. Interdicta vero a Tridentino lata, ac censuræ omnes, quæ *hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Cœtum, locorumque piorum* a præfata Piana Bulla in suo robore servantur, et confirmantur.

(1) Cap. 12, de spons. et matr. — (2) Cap. 43 de sent. excom. — (3) Cap. 24, eod. in 6. — (4) Ibid. Excludendæ tamen sunt illæ personæ, quæ interdicto causam dederunt. Majores autem solemnitates indicantur in Bul. *Ineffabilis* Martini V. — (5) Cap. 57 de sent. excom. et cap. 19, eod. in 6. — (6) Cap. 20 de sent. excom. Hoc interdicto afficitur, qui paschale præceptum non adimplet, cap. *Omnis utriusque sexus*, de pœnit. et remiss.

294. Quamdam cum interdicto similitudinem habet cessatio a divinis, quæ nil aliud est, quam *mera intermissio divinorum officiorum facta ex tristitia, atque ad luctum Ecclesiæ significandum, ob inobedientiam, et pravitatem filiorum suorum* (1). Licet hæc cessatio a divinis, quandoque etiam de jure pro interdicto accepta fuerit; nihilominus ab ea multum differt: nam proprie censura non est, neque eam violans irregularitatem incurrit (2). Qui potest censuras ferre, etiam potest cessationem a divinis indicere, cujus effectus gravior est, quam in interdicto: nam tempore cessationis a divinis officia divina celebrari nequeunt nec diebus, ut supra, pro interdicto exceptis; sed tantum Baptismus, Pœnitentia, et Eucharistia per modum Viatici ministrari possunt, et semel in hebdomada ad Corpus Christi conficiendum Missam celebrare licet, quod ex theorica interdicti desumitur (3).

(1) Cessatio a divinis indicitur ab jure, ut in casu pollutionis Ecclesiæ propter homicidium, vel ab homine propter aliquod gravissimum scelus. — (2) Cap. 55, de appell. cap. 18, de sent. excom. in 6. — (3) Cap. 57, eod.

295. Præter censuras latæ sententiæ reservatas, quas iam supra retulimus, aliæ multæ sunt non reservatæ, iure præexistente inspecto, quas iustis de causis sapientissime limitavit Pius Papa IX, qui ita decrevit: *ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ hactenus impositæ sunt, non nisi illæ, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non*

secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere (1). Idem Pontifex exinde omnes singillatim enumerat excommunicationes latæ sententiæ Papæ speciali modo reservatas et reservatas simpliciter, vel reservatas Episcopis, vel nemini reservatas; enumerat similiter suspensiones et interdicta Papæ reservata. Inter excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatas enumerat tantum sequentes, dum eidem excommunicationi submittit, 1°. Mandantes et cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, ant nominatim excommunicatos vel interdictos; 2°. Lædentes aut perterrefacientes Inquisitores, denunciantes, testes, aliosve ministros S. Officii, eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes; 3°. Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico ad formam Extrav. *Ambitiosæ;* 4°. Negligentes, sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis in Bul. *Universi* Greg. XV et Bul. *Sacramentum Pœnitentiæ* Benedict. XIV; 5°. Excommunicatos a Tridentino sine reservatione, excepta excommunicatione lata in decreto Sess. IV *de edit. et usu Sac. libr.* quam tenet Pontifex tantum quoad imprimentes, aut imprimi facientes sine approbatione Ordinarii libros *de rebus sacris tractantes.*

(1) Bul. *Apostolicæ Sedis* Pii IX, edit. 12 octob. 1869 sub initium Concilii Oecumenici Vaticani. Circa hanc nuperrimam Bullam plura sunt observanda: Primum, quod hæc Bulla in materia censurarum latæ sententiæ facit ius novum, et antiquum abrogat, vel eidem derogat; nova enim lex tollit priorem sibi directe contrariam, etiamsi de ipsa non faciat mentionem, quod est rationis et iuris principium ab omnibus Doctoribus universaliter admissum. Si vero lex nova antiquæ in toto contraria non sit, ad unitatem præcepti reducendæ sunt, ita ut prior auferatur in ea parte, in qua fuit eidem per posteriorem derogatum, ut exposuimus ad n. 37 et seq. Hoc voluisse et fecisse Pontificem iudicamus tum ex eo, quod mutationes et derogationes a se factas contra anteriores canones firmas et ratas declaravit his verbis: *Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quæ in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quæ in eisdem factæ sunt ex anterioribus Constitutionibus Prædecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam*

Conciliorum generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in præmissis per quoscumque Iudices..... sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; tum etiam ex eo quod declaravit, censuras a se latas, aut innovatas vim habere *non modo ex veterum canonum auctoritate,* quatenus cum hac sua Constitutione conveniunt, verum ex hac ipsa sua Constitutione *non secus ac si primum editæ ab ea fuerint.* Consequenter anteriores canones censuras latæ sententiæ importantes, qui non fuerunt in hac Bulla innovati tamquam abrogati, quoad censuras latæ sententiæ, habendi sunt: alii vero in eadem quomodolibet innovati adhuc vim habent, et eorum censuræ vigent, non tamen iuxta eorum formam, sed tantum quatenus cum hac Bulla conveniunt, non secus ac si ab ea eædem censuræ editæ primum fuissent. — Secundum, quod licet generaliter verum sit in conflictu legum inter priorem et posteriorem concordanda esse iura, et priorem legem explicandam esse per posteriorem, et vicissim posteriorem per priorem ad evitanda iurium correctio, quæ est odiosa; in hac tamen specie arbitramur, ita posteriorem legem esse accipiendam, quatenus ipsa tantum priorem explicet, et iuxta sui formam limitet, quia Pontifex id expresse designavit, cum dixit, censuras in sua Constitutione insertas *eo modo* vim habituras, quo insertæ sunt, *non secus ac si primum editæ ab ea fuerint* cum prohibitione aliter interpretandi, decreto *irritante*, et clausula *non obstantibus* etc., adiecta. — Tertium, quod pro valida absolutione a casibus Papæ hic speciali modo, vel simpliciter reservatis, non sufficit generalis concessio absolvendi a casibus et censuris Papæ reservatis, nisi de iis formalis, explicita, et individua mentio fiat. — Quartum, quod revocata sunt, et abolita quæcumque indulta, et privilegia absolvendi a casibus et censuris Papæ reservatis sub quavis forma concessa quibuscumque personis etiam regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti etiam speciali mentione dignis, et in quavis dignitate constitutis, vel cuicumque Cœtui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto etiam regulari cuiuscumque speciei, etsi titulo peculiari prædito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessa fuerint; non obstantibus privilegiis in Corpore Juris, aut Apostolicis Constitutionibus comprehensis, et non obstante consuetudine etiam immemoriali. — Quintum, quod in posterum ad formam huius Bullæ omnes tractandæ ac moderandæ sint censuræ latæ sententiæ, tam in iure canonico, quam in Morali Theologia, dum censuræ aliæ præexistentes, et in hac Bulla non innovatæ, vel reservatæ, tamquam abrogatæ et sublatæ habendæ sint, quod pro regula in aliquo forte casu prius aliter definito ad has Institutiones nostras extensum volumus. — Sextum, quod cum hæc Bulla disponat tantum de censuris latæ sententiæ, sequitur censuras ferendæ sententiæ remanere sub imperio iuris antiqui, cui ne vel minimum in hac parte derogatum fuit.

296. Lator et iudex censurarum est solus ecclesiasticus vir habens iurisdictionem in foro externo, qui tamen ferre non debet censuras nisi *sobrie magnaque circumspectione*, ut præcipit Tridentinum (1), et regulariter, nisi sequentes concurrant conditiones, 1°. ut adsit peccatum grave, externum et consummatum cum contumacia coniunctum (2); 2°. ut præmittatur trina monitio, vel una peremptoria (3): 3°. ut regulariter proferatur in scriptis cum declaratione causæ, quorum exemplum reo tradendum est (4). — Subiectum vero censuræ est omnis delinquens (5) christianus, (6) vivens, (7) subditus illius, qui censuram fert. Non tamen potest excommunicari Universitas, vel Collegium, quia in communitate supponuntur esse innocentes, et solum culpabiles sunt puniendi. Nec Episcopus potest inconsulta Apostolica Sede, omnes simul unius conventus Regulares ab audiendis fidelium Confessionibus suspendere (8). Nec demum in censuris interdicti, et suspensionis a iure latis comprehenduntur Episcopi, nisi de illis specialis mentio fiat (9). Sed hoc non extenditur ad censuram excommunicationis, quam ut cæteri incurrunt Episcopi, licet de illis nulla fiat mentio (10).

(1) Sess. 25, c. 3, de ref. — (2) Benedictus XIV, pro excommunicatione ferendæ sententiæ, quæ appellatur comminatoria, requirit crimen *grave et enorme; et multo gravius et execrabilius* pro excommunicatione latæ sententiæ. De Synod. l. 10, c. 1, n. 3. — (3) Hoc verum est de censura lata ab homine; nam censura lata a iure non indiget monitione, quia lex continuo monet. Una vero monitio peremptoria pro tribus cum competenti temporis spatio tunc fit, cum urgens adest necessitas, quæ longiorem non patitur moram, cap. 9 de sent. excom. in 6. Sed monitio continere debet nomen monentis, moniti, causam monitionis, et pœnam infligendam; aliter haberi non posset contumacia. — (4) Scriptura requiritur, ut reus agnoscat suam delinquendi causam, et censuræ speciem eidem coniunctam, vel coniungendam. — (5) Propterea delicti incapaces, ut amentes et pueri ante usum rationis, et delinquentes solum interne vel solum externe, censuris non ligantur. De impuberibus usu rationis præditis dubitatur. Duo tamen certa sunt: 1^{m}. eos non comprehendi in sententia censuræ, nisi nominentur, vel dicatur *cuiuscumque ætatis*, ut Trid. sess. 25, c. 5, de reg.: 2^{m}. eos etiam censura irretitos posse ab eadem absolvi ab Episcopo tam ante, quam post pubertatem, modo factum criminosum in pubertate contigerit. — (6) Pagani, judæi et cathecumeni non subiiciuntur censuris; bene vero hæ-

retici et schismatici, qui si nominatim denuncientur excommunicati, fiunt vitandi. — (7) Mortui enim nequeunt excommunicari. Quare sacri canones, qui loquuntur de excommunicatione post mortem, ita intelligendi sunt, ut loquantur de defunctis, qui in excommunicatione obierunt, et dicta excommunicatio æquivalet declarationi excommunicationis ad effectum illis interdicendi officia ecclesiastica. Sic hæretici etiam post mortem excommunicandi sunt. Can. 6, c. 14, q. 2, et illi, qui sibi mortem consciverunt. Can. 12, c 23, q. 5. Ex adverso qui in excommunicatione mortuus est, potest post mortem absolvi ad habendam ecclesiasticam sepulturam, et alia officia Ecclesiæ, si manifesta pœnitentiæ signa dederit, et per eum non steterit, quominus Ecclesiæ reconciliaretur. Cap. 28 et 38, de sent. excom. — (8) Bul. *Superna* Clem. X. — (9) Cap. 4 de sent. excom. in 6. — (10) S De Ligorio l. 7, n. 15. Sic ex consuetudine, vel privilegio, Reges et Reginæ censuris ligari nequeunt nisi a Papa. Id. n. 16.

297. Censura auferenda est per absolutionem (1), quæ datur a sacerdote in actu sacramentalis Confessionis pro foro interno, vel a judice, aut ejus delegato extra confessionem pro foro externo, vel pro utroque. Illa tamen data pro foro interno, qua homo reconciliatur Deo, non tollit externum excommunicationis effectum, nisi et alia accedat, qua homo reconciliatur Ecclesiæ (2).

In censura *ab homine* per sententiam inflicta regulariter absolutio danda est ab eo, qui censuram tulit, aut ab ejus successore, aut per appellationem, vel querelam ab ejus Superiore, quia semper intelligitur reservata ejus auctori, vel Superiori. Dicimus *per sententiam*, quia si sit inflicta, per generale statutum, et non sit reservata, a quocumque confessario pro foro interno, juxta jam dicta, censuræ absolutio dari potest. In censura vero *a jure*, si non est reservata, quilibet confessarius pro foro interno absolvit (3); sin secus absolvit tantum ille, cui fuit reservata, aut successor, aut Superior; excepto mortis articulo, in quo quilibet sacerdos ab omnibus censuris, et peccatis absolvit (4); et excepto casu alicujus magnæ, et urgentis necessitatis (5), in quo Episcopus a Papalibus censuris absolvit, ut suo loco adnotavimus, quod intelligimus de casibus notoriis; nam in occultis delegatam a jure habet auctoritatem (6).

(1) Censura non aufertur per resipiscentiam rei, neque per satisfactionem datam parti læsæ, neque per juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, neque per mortem tam censurati, quam censurantis. Cap. 38 de sent. excom — (2) Hoc verum est quando censura est publica, et notoria, cap. 28 de sent. excom., et quando factum criminosum ad forum externum deductum fuit. Si vero censura sit occulta, absolutus a confessario licite se gerit in foro externo tamquam plene absolutus, quia absolutio pro foro interno datur ad reparandam offensam divinam, et in foro externo ad reparandam offensam publicam, quæ in casu occulto nulla est. Reiffenstuel de sent. excom. n. 247. — (3) Ratio est, quia ubi conditor legis censuræ absolutionem non reservavit, eam omnibus confessariis concessisse videtur. Cap. 29 de sent. excom. — (4) Trid. sess. 14, c. 7, de pœnit. Nulla remanet reservatio in articulo mortis, ne occasione reservationis aliquis in æternum pereat. Sed hæc ratio locum non habet in suspensione; et ideo suspensio reservata tolli non potest, nisi a reservante, etiam in mortis articulo, quia hæc relaxatio, non est necessaria, ut necessaria est in excommunicatione, et interdicto. Excommunicati tamen vitandi, si in morte signa pœnitentiæ dederint, adhuc sunt publice absolvendi, et etiam post mortem, ut sepultura ecclesiastica, et aliis ecclesiasticis officiis donari queant: nam post reconciliationem cum Deo in foro interno, reconciliandi adhuc sunt in externo cum Ecclesia. Cap. 28 de sent. excom. Rit. Rom. tit. 21. Barruffaldus ad eumd. tit. — (5) Casus magnæ et urgentis necessitatis verificatur: 1.° in eo, qui ad evitandum scandalum, vel infamiam debet brevi celebrare Missam, vel S. Communionem accipere. S. De Ligorio l. 7, n. 86; 2.° in eo, qui temporario detinetur impedimento, quominus queat Romam se conferre ad absolutionem obtinendam. Cap. 11 et 58 de sent. excom.; 3.° in eo, qui perpetuo impedimento detinetur, ne queat summum Pontificem adire. Arg. cap. 26 de sent. excom. et cap. 22, eod. in 6. Horum omnium ratio est, quia, existente impedimento adeundi Papam, restituitur Episcopo potestas ordinaria. S. De Ligorio l. 7, n. 84. Sed in duobus primis casibus ex juris citati dispositione absolvendus debet jurare, se post absolutionem, quam primum potuerit, Papam aditurum ad ejus mandatum recipiendum. Verum hodie hic personalis accessus non amplius præcipi solet; sed sufficit recurrere ad S. Pœnitentiariam, quæ facultates opportunas Ordinario concedit, modo non agatur de gravioribus quibusdam excessibus, ut de abortu a Presbytero procurato, cui post absolutionem datam ab Ordinario imponere solet onus ad limina Apostolorum intra certum tempus accedendi. Giraldus ad cap. 1 de sent. excom. In tertio vero casu, post absolutionem nulla remanet obligatio denuo ad S. Sedem recurrendi, neque per epistolam, neque per procuratorem, quia jus requirit præsentiam rei, quæ ob impedimentum perpetuum cum nusquam haberi possit, potestas Episcopi ordinaria perfecte reintegratur, et absque ulla conditione absolutio datur, ut docet S. De Ligorio d. l. n. 89, qui in præcedenti n. 88, impedimenti perpetui casus enumerat, et inter hos perpetuo impeditos præter mulieres, servos, senes sexagenarios, ægrotos, debiles,

carceribus detentos ad vitam, triremibus perpetuo damnatos, comprehendit Monachos, et Moniales. Sed quoad Moniales exceptio fieri debet in excommunicatione propter violationem clausuræ, a qua Episcopus eas absolvere non potest. Quod dicimus de reservationibus papalibus relate ad Episcopos, etiam reservationibus episcopalibus relate ad confessarios aptandum est. — (6) Trid. sess. 24, c. 6, de ref.

298. Quoad modum, absolutio a censuris valide datur quibuscumque verbis, aut signis absolvendi voluntatem sufficienter demonstrantibus, licet expediat adhibere formas a Doctoribus, et præcipue a S. De Ligorio assignatas (1). Datur persæpe *ad cautelam*, ut contingit in administratione sacramenti Pœnitentiæ (2), et Rescriptis Apostolicis, ad effectum obtinendæ gratiæ (3). Datur denique etiam *ad reincidentiam*, cum id fit sub certa lege ex. gr. adeundi Papam, ut in casibus supra expressis, vel satisfaciendi parti læsæ, aut alia pia opera exercendi intra certum tempus, quo elapso sine satisfactione, operumve executione, absolutus in censuram reincidit (4).

(1) Lib. 6, n. 116. — (2) Hoc patet ex forma absolutionis sacramentalis præscripta a Rituali Romano. — (3) Revera in Rescriptis S. Sedis, in quibus aliqua gratia, indultum, aut privilegium conceditur, et etiam in dispensationibus super matrimonii impedimentis apponitur absolutio a censuris ad effectum lucrandi gratiam; nam aliter excommunicatis rescriptum non prodesset. Sed hæc absolutio non prodest *non parentibus rei judicatæ, incendiariis, violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus, et falsificari procurantibus Litteras, et supplicationes Apostolicas, et illis utentibus, receptoribus, et fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticæ libertatis, via facti ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, et Nuncios, vel executores Apostolicæ Sedis, et ejus Officialium ejus commissa exequentes impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati a jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi substinuerint, et generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias, quam, ut profertur, quomodolibet ligati, in illis per annum continuum insorduerint.* Reg. Cancel. § 66, in Bul. nov. tom. 4, pag. 14. Cæterum hæc absolutio *ad cautelam* datur etiam cum incertum est, an quis ob aliquod factum censuram contraxerit. Cap. 40 de sent. excom. Incertitudo hæc potest oriri ex defectu cognitionis juris et facti, ex defectu libertatis in agente, ex defectu potestatis in judice, atque ex defectu justitiæ in sententia. Si desit cognitio ob ignorantiam crassam, aut supinam, censura contrahitur. Cap. 2 de constit. in 6, nisi in lege præcise requiratur scientia, ut cum lex habet clausulam,

scienter, aut *præsumpserit;* quo casu Doctores ita delinquentem a censura excusant. Ob ignorantiam vero affectatam, nemo excusatur, quia talis ignorantia æquivalet scientiæ, immo et dolo. Ob ignorantiam denique invincibilem tam juris, quam facti omnes excusantur, cum nulla sit in eis contumacia, cumque ibi esse nequeat pœna, ubi non fuit culpa. Cap. 4 de sent. excom. Si desit in agente libertas ob metum gravem, censura non contrahitur, quia leges humanæ non obligant cum gravi damno, et aliunde: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Cap. 4 de reg. jur. At in casibus extraordinariis, quando videlicet observatio legis humanæ moraliter necessaria videtur pro conservando bono publico, aut si ejus violatio cederet in contemptum fidei, vel legis, aut potestatis ecclesiasticæ, transgrediens ex gravi metu etiam vitæ legem sub censura positam non excusatur ab illa, ut hisce verbis tenet Reiffenstuel de sent. excom. n. 34, cui subscribit S. De Ligorio, et Gonzales ad cap. *Sacris* de his quæ vi, metu, etc., et communiter Doctores tradunt. Si denique desit potestas in judice, aut justitia in casu sententiæ, aut in modo eam pronunciandi, in dubio sententia in foro exteriori est servanda quia bonum publicum, et ordo societatis id requirit. Cap. 5 de cler. excom. minist. et cap. 40 de sent. excom. — (4) Cap. 22 de sent. excom. in 6.

299. His expositis de pœnis medicinalibus, ad vindicativas accedimus, quarum major est degradatio, sive aliter appellata depositio realis, quæ ita potest describi nimirum: *Degradatio est pœna ecclesiastica, qua Clericus ordine et munere clericali, consequenter etiam omni beneficio, et officio, nec non privilegio fori et canonis per sententiam solemniter, et perpetuo privatur, et curiæ seculari traditur, ut ab eadem juxta leges puniatur* (1). Talis est illa, quæ describitur a Bonifacio VIII (2), quæ quidem, si agitur de Presbytero datur ab Episcopo in præsentia sex Episcoporum, vel Abbatum usum mitræ, et baculi pastoralis habentium, qui si interesse commode nequeant, possunt repræsentari per alias personas in dignitate ecclesiastica constitutas, ætate graves, et juris scientia commendabiles (3), Si agitur de alio ministro in ordine sacro constituto, datur ab Episcopo in præsentia trium dictorum virorum. Et si agitur de alio ministro in ordine minori constituto a solo Episcopo fit: vero ex consuetudine hoc ultimo casu non solet adhiberi dicta solemnis degradatio (4). Hæc tamen gravissima pœna infligi non potest, nisi ob gravissimum scelus in jure eam pœnam adjunctam ha-

bens, cujusmodi est hæresis, et apostasia (5), falsificatio Litteram Apostolicarum (6), conspiratio contra proprium Episcopum (7), assassinium (8), incorrigibilitas clerici post servatos aliarum pœnarum gradus (9), crimen nefandum contra naturam pluries patratum (10), sollicitatio ad turpia in sacramentali Confessione (11), celebratio Missarum, et auditio Confessionum a non sacerdote facta (12), procuratio abortus fœtus animati (13), confectio falsæ monetæ in Italia, ac falsarum syngrapharum montis pietatis Romani, ac mensæ nummulariæ S. Spiritus (14), et furtum sacrilegum Sanctissimæ Eucharistiæ (15).

(1) Hæc degradatio non potest dici antiquata, ut quidam sibi persuadent: reperitur enim præscripta recentissime in art. 5. Conventionis anni 1841, inter Gregorium XVI et Regem Sardiniæ, in qua præcipitur, ut fiat secundum sacrorum canonum dispositionem. — (2) Cap. 2 de pœn. in 6. — (3) Trid. sess. 13, c. 4, de ref. — (4) Flebilis degradantium conventus, cui præter Episcopum pontificalibus indutum vestibus, cæterosque prædictos ecclesiasticos viros, judex sæcularis, aliique ministri, et populus adest, in Ecclesia, aut in alio loco sacro initur. Huc adducitur infelix Clericus vestibus indutus proprii ordinis, eoque paratus modo, ut si suum, presbyteri, diaconi, vel subdiaconi ministerium esset ad altare executurus; quem inde Episcopus publice sacris vestibus spoliat incipiens ab ultima, et desinens in prima, quam in sacra ordinatione recepit, et proferens interim verba illis contraria, quæ fuerunt in sacra ordinatione prolata, uti præscribit Pontificale Romanum. Jubet demum ejus caput abradi, ne remaneat tonsuræ clericalis vestigium, eum solemniter pronunciat depositum, ac degradatum, curiæque sæculari puniendum tradit, rogando enixe, et obsecrando sæcularem Magistratum, ut per viscera misericordiæ Dei, suæque pietatis sensum, exauctorati Ecclesiæ ministri misereatur, et sanguini parcat. — (5) Cap. 9 et 15 de hæret. — (6) Cap. 7 de crim. fals. — (7) Can. 18, c. 11, q. 1. Non ignoramus, a modernis criticis hunc canonem apocryphum dici; sed cum Ecclesia eum retineat in Decreto Gratiani pluries emendato, et veteres Doctores eum citent ad hanc propositionem firmandam, putamus adhuc hodie hanc retinendam, quia canon consuetudine roboratur. — (8) Arg. cap. 1 de homicid. in 6. — (9) Arg. cap. 10 de judic. — (10) Bul. *Horrendum* S. Pii V. — (11) Bul. *Cum sicut* Pii, confirmata a Gregorio XV, et a Benedicto XIV Bul. *Sacramentum*. — (12) Bul. *Etsi alias* Clementis VIII. — (13) Bul. *Effrenatam* Sixti V, et Bul. *Sedes Apostolica* Gregorii XIV. — (14) Bul. *In Suprema* Urbani VIII, et Bul. *Ad Curam* Benedicti XIV. — (15) Bul. *Cum alias* Alexandri VIII, et Bul. *Ab Augustissimo* Benedicti XIV. Hæc pœna tunc tantum habet locum, cum ab jure expresse decernitur, et si jus tantum de depositione loquatur, degradatio fieri ne-

quit. Unde si Episcopus videat degradationem necessariam in casu a jure non expresso, debet summum Pontificem consulere, ejusque oraculum expectare, a quo solo dari potest rehabilitatio.

300. Degradationem sequitur Depositio verbalis, quæ proprie sumpta est *pœna ecclesiastica, qua Clericus ordine, officio, beneficio, et quocumque clericali munere per judicis sententiam perpetuo privatur.* Depositio olim pro degradatione ut plurimum accipiebatur; sed vere distinguitur (1). Licet enim in pluribus cum degradatione conveniat, in pluribus adhuc ab eadem differt: nam degradatio Clericum realiter, et actualiter omnino exauctorat; depositio vero tantum verbaliter per sententiam. Illa tollit privilegium fori et canonis, et Clericum graviori pœna punitum adhuc judici sæculari puniendum tradit; hæc vero privilegium fori, et canonis non aufert: immo *partialis* esse potest, ut ab officio, aut beneficio, vel *totalis*; sed semper cum spe obtinendæ dispensationis post vitam emendatam, et peractam pœnitentiam (2); dum in degradatione omnis spes aufertur (3).

(1) Cap. 10 de judic. — (2) Cap. 4 eod. — (3) „Actualiter degradatus rehabilitari amplius non potest, nisi a Papa, qui non facile gratiam concedit, sed valde raro, et non nisi ex gravissima causa, qualis esset publica necessitas, vel magna Ecclesiæ utilitas, verb. gr. causa publicæ pacis faciendæ, vel schismatis tollendi; item magna pœnitentia degradati, et ædificatio Ecclesiæ inde proveniens, maxime si rehabilitatem petat Episcopus diœcesanus. Thesaurus de pœn. eccl. part. 1, c. 27 de pœn. deposit.

301. Aliæ plures sunt pœnæ vindicativæ temporales, vel corporis afflictivæ ab Ecclesia ab antiquissimis temporibus adhibitæ ad delicta compescenda, uti est privatio beneficii, et fructuum ipsius, mulcta, carcer, et exilium. De privatione beneficii, et fructuum agimus suis in locis. Hic quæri posset, an Sacerdos privari etiam possit ab eleemosynis Missarum manualibus accipiendis? Affirmativa nobis videtur probabilior (1). Mulcta pecuniaria, sive amenda, est quædam pecuniæ summa, quam delinquens ob statutum, vel judicis decretum solvere tenetur in pœnam sui delicti (2). Hanc pœnam Ordinarius irrogat in

defectu pœnæ ordinariæ a jure statutæ, ut cum pœna in ejus arbitrium remittitur, et valide statutis suis adjungit, quoties id expedire judicaverit. Hanc pœnam potius quam censuram judex imponit, cum in judiciis agitur de contumacia, vel de non adimpleta executione reali, vel personali a se præscripta, quia Tridentinum mandat, ut in judiciis prius inferantur pœnæ temporales uti est mulcta pecuniaria, et ut censuræ, ac maxime excommunicatio, numquam irrogentur, nisi in casu necessitatis, dum aliæ pœnæ temporales non sufficiunt (3).

Mulctæ pecuniariæ solvendæ sunt Depositario pœnarum, et mulctarum, qui existere debet in qualibet Curia ecclesiastica (4), et statim assignandæ sunt uni, aut pluribus piis locis in diœcesi existentibus (5). Nec potest Ordinarius eas in toto, vel in parte assumere pro sua sustentatione, etiamsi egeat, aut pro reparatione domus episcopalis, vel Ecclesiæ cathedralis, aut pro honorario Vicarii sui, aliorumque Curiæ officialium, vel etiam ipsius Depositarii, ut pluries decisum fuit a S. Congregatione Concilii; sed assignandæ omnino sunt integræ in favorem pauperum, ex. gr. hospitalibus, orphanotrophiis (6), etc.

(1) Licet hujus pœnæ nullam inveniamus apud auctores mentionem; tamen putamus eam licitam, et valde opportunam: nam si beneficiatus potest puniri privatione fructuum beneficii sui, etiam sacerdos poterit Missarum eleemosynis privari. Insuper hæc pœna honorem sacerdotis salvum servat, si ei privatim indicetur, et salubrius in solo ære punitur, qui si bonus est, habebit adhuc S. Sacrificii solatium, et si malus abstinebit a Sacrificio, quod magis propter eleemosynam, quam propter devotionem forte celebrat. — (2) Mulctæ nominantur in Constitutionibus Apostolicis, in Concilio Carthaginensi an. 399 et a S. Gregorio Magno, qui eas habet tamquam pœnas ecclesiasticas. Stremler de pœn. eccles. sect. 1, c. 4. — (3) Sess. 25, c. 3, de ref. — (4) Revera instructio pro relatione status diœcesis ab Episcopo facienda in visitatione liminum Apostolorum hoc continet quæsitum: *An habeat Depositarium pœnarum, et mulctarum pecuniarium, et an eædem fuerunt piis usibus applicatæ.* — (5) Trid. cit. sess. 25, c. 3, de ref. — (6) Stremler de pœn. eccl. sect. 2, c. 8, § 1. Hic tamen illud est notandum, quod non licet mulctas, vel pœnas pecuniarias imponere pro corrigendis excessibus, et criminibus puniendis a Clericis aut laicis patratis, quando a jure alia statuitur pœna. Cap. 3 de pœn. et ib. Gloss.

302. Pœna carceris probatur ab Innocentio III (1), a Bonifacio VIII (2), et a Concilio Tridentino, quod *personalem districtionem* permittit (3), ut reus *pane doloris, et aqua angustiæ* suarum culparum pœnitentiam agat, ut scribit Innocentius III (4). Duplex est carcer, nimirum: *præventivus*, et *afflictivus*. Præventivus decerni non potest nisi de crimine sufficienter constet, et criminosus sit valde de fuga suspectus. Sed ex hodierna Ecclesiæ praxi in judiciis criminalibus habendis reus gravis criminis in carcere, sive monasterio detinetur, donec inquisitio contra ipsum compleatur (5). Postquam vero rei constitutum, aut rei examen judex exceperit, potest reo libertatem concedere, ut melius valeat suas defensiones peragere, modo locum non deserat sibi ad habitandum assignatum. Carcer vero afflictivus datur in pœnam delicti post accuratam ejusdem probationem, et judicis sententiam, qui potest esse *temporarius*, vel *perpetuus*, ut liquet ex sententia citati Pontificis (6).

Exilium denique probatur ab Alexandro Papa I (7), et a Symmacho, quia ad Christianam societatem tutandam valde confert, dum membrum vitiosum a loco expellitur, in quo potest magis nocere. Ecclesiæ tamen Pastores solent, loco exilii, relegationem indicere, vel expulsionem extra diœcesim (8).

Ultimo loco inter pœnas ecclesiasticas contra Clericos recenseri etiam potest *communio laica*, et *communio peregrina*. Juxta veriorem sententiam duæ istæ pœnæ ita explicantur, ut scilicet, communio laica sit pœna, et simul gratia, per quam Clericus degradatus, et scelerum vere pœnitens, ab Ecclesia recipitur, non ut Clericus, sed tantum ut laicus, ita ut laicorum catholicorum juribus fruatur, et sanctam communionem more laicorum sumat, non vero divina mysteria celebret, aut jura, ac privilegia clericalia habeat (9). Communio vero peregrina ita explicatur, ut sit pœna, per quam Clericus depositus, vel suspensus etiam in sua diœcesi reducitur ad conditionem peregrinorum, ut non possit sacra mysteria facere, sed tantum recipere, vel, ut peregrinus, sanctam communionem sumere. Ex quibus eruitur, communionem laicam

dari in realiter depositis, vel degradatis, qui curiæ sæculari traduntur, et communionem peregrinam in verbaliter tantum depositis, vel suspensis, cum hoc inter utramque pœnam discrimine, quod communione laica damnatus non potest in gradum suum restitui, nisi a Summo Pontifice ex specialissima gratia, dum damnatus communione peregrina, pœnitentia peracta, modo irregularitas, vel aliud impedimentum non obstet, in suum gradum ab Episcopo restituitur (10).

(1) Cap. 27, de verb. signif. — (2) Cap. 3, de pœnit. in 6. — (3) Sess. 25, c. 3, de ref. — (4) Certum est ab antiquissimis temporibus in Ecclesia exstitisse carceres, quæ appellabantur *Diaconicæ*, sive *Decanicæ*, in quibus criminosi recludebantur, ut ipsæ leges Romanorum demonstrant. Gonzales ad cit. cap. 27, de verb. signif. Jus hoc reos plectendi per carceres habet Ecclesia, quod jus sibi velle servare declarat sequentem damnando propositionem: *Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam, vel indirectam.* Syllab. prop. 24. Propterea a vero multum aberrant, qui jura Ecclesiæ in hoc imminuere non verentur, ut potestatem civilem augeant, quique praxim invocant contrariam in pluribus diœcesibus observatam, quæ impotentiam, sive deficientiam mediorum indicat, non juris defectum. Videndus hac de re J. Stremler de pœn. eccl. sect. 1, c. 4, et sect. 2, c. 8, § 2, ubi veram Ecclesiæ doctrinam defendit, utilemque praxim promovere studet. — (5) Reclusio in monasterium loco carceris observatur fere ubique, cum Episcopi retinere non soleant familiam armatam, et habere carceres ad reos continendos, ut olim habebant. Et hæc reclusio in monasterio, vel seminario expresse probatur in conventione inter Pium VII, et Præsidem Reipublicæ Italicæ primum Reipublicæ Gallicanæ Consulem Napoleonem inita die 16 septembris anni 1803, ut in Bullario novo tom. 12, pag. 59, in qua sub art. 13, hæc leguntur: *Episcopus præter cæteras canonicas pœnas, poterit in ecclesiasticos culpabiles animadvertere, eos etiam claudendo in seminariis, et in domibus Regularium.* — (6) Carcer temporarius dari potest tamquam pœna arbitraria; carcer vero perpetuus in illis tantum casibus, in quibus ipsa lex hanc pœnam constituit. Stremler cit. c. 8, § 2. — (7). Can. 9, c. 3, q. 4. — (8) Can. 3, c. 3, q. 5. — (9). Antiqui canones hanc pœnam sæpe commemorant, ut videre est penes Devoti Inst. can. l. 1, tit. 8, § 19, in not. 2, et penes Christ. Lupum ad can. 1, conc. Sardic. et in can. 8, 9, 10, etc. dist. 50. Moderna autem praxis hanc ipsam pœnam servat, ut testatur, et probat Card. Soglia in Inst. jur. priv. § 248, his verbis: « Cum postremis elapsi sæculi annis in maxima » illa sacrarum humanarumque rerum perturbatione, multi sacerdo- » tes ex utroque clero impetu tempestatum abrepti sceleribus, et » flagitiis se contaminassent, dein vero cum ibidem res publicæ, et

» etiam religiosæ in ordinem adduci cœpissent, eorum plures supe-
» riorum enormitatum dolore, ac pœnitentia ducti, ad Apostolicam
» Sedem confugerunt enixe rogantes veniam, et vehementer exo-
» ptantes cum reliquis fidelibus catholicæ unitati iterum consociari.
» Itaque S. Sedes cum id ad Ecclesiæ pacem, et catholicæ unitatis
» bonum conducere intelligeret *proprio cujusque oratoris Episcopo gra-*
» *tiam, et communionem cum Apostolica Sede habenti facultatem commu-*
» *nicavit, oratorem ipsum, dummodo indubia pœnitentiæ signa exhibe-*
» *ret, a pœnis, et censuris ecclesiasticis, a recessu a statu clericali, sa-*
» *crilegiis, et attentatibus, et excessibus admissis Apostolica auctoritate*
» *in utroque foro absolvendi in forma Ecclesiæ consueta, injuncta pro*
» *modo culparum pœnitentia salutari, aliisque injunctis de jure injun-*
» *gendis, firmis quoad eumdem oratorem tam irregularitate ex præ-*
» *missis, et præmissorum occasione contracta, quam inhabilitatione ad*
» *quodcumque sacrorum ordinum exercitium, atque ad quævis ecclesia-*
» *stica officia, et beneficia seu obtenta, sive assequenda, et ad illorum*
» *emolumenta, et fructus ex iisdem quoque modo percipiendos.* Denique
» declaratur, *eumdem oratorem ad simplicem laicorum communionem*
» *hoc ipso traductum, nec non omnibus juribus, et privilegiis clerica-*
» *libus prorsus spoliatum remanere.* » — (10) De communione peregrina ita decernebant Patres Synodi Agathensis cap. 2: *Contumaces Clerici ab Episcopo corrigantur. Si officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita ut, cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricola gradum suum, dignitatemque recipiant.... si quis Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.* Et Patres Concilii Herdensis sanxerunt, ut clerico criminoso *vix peregrina communio concedatur.* Christ. Lupus ad can. 13, Conc. Calcedonen.

FINIS LIBRI PRIMI.

INDEX TITULORUM.

LIBER PRIMUS.

TITULUS I. De jure in genere, et de jure canonico in specie. Pag. 1
II. De corpore juris canonici. 11
III. De Ecclesia Catholica. 21
IV. De legibus ecclesiasticis 39
V. De rescriptis 50
VI. De traditione, et consuetudine. 60
VII. De personis 68
VIII. De communibus Clericorum juribus 74
IX. De communibus Clericorum oneribus 83
X. De promotione ad clericatum, et ad ordines . . 99
XI. De iis, qui promoveri non possunt 110
XII. De hierarchia ordinis, et jurisdictionis. . . . 118
XIII. De Summo Pontifice 126
XIV. De Cardinalibus, et Legatis Summi Pontificis. 134
XV. De Patriarchis, Primatibus, et Archiepiscopis . 140
XVI. De Episcopis 147
XVII. De Vicariis Episcoporum. 163
XVIII. De Capitulis canonicorum 177
XIX. De Capitulo Ecclesiæ cathedralis 191
XX. De Prælatis inferioribus, et Parochis 202
XXI. De Regularibus 216
XXII. De Monialibus 233
XXIII. De Conservatoriis, et Confraternitatibus . . 247
XXIV. De delictis ecclesiasticis 257
XXV. De delictis mere civilibus, et mixtis 277
XXVI. De pœnis ecclesiasticis 293

GTU Library
3 2400 00721 5431

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2300
All items are subject to recall